Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

KW
235 ~~Erasmus~~
A 32 ~~A 33~~

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32



AMSTELODAMI,
Typis Ludovici Elzevirii,
Sumptibus Societatis, 1654.

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Nobiliſſimo, Ampliſſimoque Domino,

DOMINO

CLAVDIO SARAVIO,

in Suprema Pariſienſi Curia Regis Conſiliario.

REdit ad te jure merito, Nobiliſſ. atque Ampliſſ. Domine, quod tuum eſt: offerimus, Ampliſſimo nomini Veſtro inſcriptas, & jam de novo excuſas Epiſtolas, incomparabiles in hoc ſcribendi genere, ac vére θαυμαστοῦ DOMINICI BAVDII: *quarum pars non exigua, atque dimidiam ultra Centuriam, hactenus inedita, quod nunc lucem aſpiciat publicam, & tanto animi gaudio ab omnibus litteratis excipiatur, lectite-*

tur, tui eſt beneficii, qui per Celeb. D. Samuelem Mareſium, *Theologum, nulli hodie ſecundum, earum nobis copiam feciſti.*

Scribimus indocti doctique
Poëmata paſſim,

inquit Venuſinus Poëta. At idem plane de Epiſtolis pronunciare licet, quibus conſcribendis nihil hodie vulgarius quidem, at nihil, Doctorum judicio, difficilius. Epiſtola non index modo eſt animi, ſed & prudentiæ, eruditionis, ſtyli. Excelluerunt hac in arte non mediocriter heroicis olim temporibus præclari Viri; ſed nec ita ſterile hoc noſtrum fuit ſeculum, quin & illud non degeneres protulerit poſteros. Quos inter familiam ducit magnum illud Reip. literariæ lumen ac columen, ille venuſtatis ac gratiarum pater, clariſſimus Acad. noſtræ Lugd. Batavæ quondam Profeſſor, Dominicus Baudius, *qui Epiſtolas exarandi inimitabilis artifex, non*

factus

factus ſed natus eſt, quod earum editio, jam ſæpius iterata, nulli non fecit palam. Verum enimvero, unum eſt, de quo juſtas ſæpiſſimè audivimus eruditorum querelas, totum hunc Authorem, adeo malè multatum ab imperitis & ignaris librariis, hactenus circumferri, qui ſi in vitam rediret poſtliminio, fœtum ſuum non agnoſceret, non magis quàm Æneas, cum apud inferos

— Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora, manuſque ambas, populataque tempora, raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares:
Vix adeo agnovit. —

Ita hic Author noſter mutilus ac fœde depravatus in hunc uſque diem proſtitit. Quocirca laboravimus, Doctiſſimorum etiam Virorum adhibitâ operâ,

ut tandem integer atque emaculatus in publicum prodiret. Ne quid præterea perfectioni deeſſet, lacunas, quantum fieri potuit, ex autographis ſupplevimus; Latina pariter ac Græca, cum opus fuit, correximus. Commentariolum de Fænore, BAVDIO *noſtro non indignum, de quo multis in Epiſtolis fit mentio, ad calcem adjunximus. Ita non lacerum amplius, ſed integrum, non ſordidum, ſed nitidum, Vir Ampliſſ., reddimus tibi ac publico* BAVDIVM *tuum. Quem animo iſto accipe, quo eum amplecteris, & nos conſecramus. Vale. Lugd. Bat. pridie eidus Novembris,* CIↃ IↃC XLIX.

Amplitud. Veſtræ

Nomine Societatis

Devotus Cliens

LVDOVICVS ELZEVIRIVS.

DOMI-

DOMINICI BAUDI

ELOGIUM.

ACademiam Lugd. Batavam admirabili ſucceſſu, parvo poſt tempore quam ſumptibus maximis, majore ab Illuſtr. D. Ordin. animo, inſtituta fuit, ad eam perveniſſe nominis celebritatem, ut nulli in Europa cedat, norunt omnes, niſi qui ab eruditione & humanitate averſi ſunt, aut qui ſua intereſſe non exiſtimant, æſtimare cultum quo humanum ingenium ad perfectionem ſui maxime informatur. Hanc celebritatem illi contulerunt, non tam juſtus Profeſſorum numerus, quorum non ſine cauſa magna ſemper fuit habita ratio, ne Facultas ulla eſſet, quæ non publice & quidem ab eximiis hominibus exponeretur, quam è toto numero pauciſſimi, quorum genius & indoles fatali quadam ratione ad invidiam eximia fuerunt. Ex hoc numero paucorum fuit & DOMINICVS BAVDIVS, ad æternitatem à natura deſtinatus, factus à genio, quem propitium milleſimus quiſque eorum qui ſcribunt, non conſequitur. Plerique enim, cum labore aſſequantur omnia; hoc eodem comite &

 duce,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

duce, vindicare nomen à tenebris conantur, & poſteritatis gratiam mereri; quæ ſudore ſolo non paratur, nec tam in propinquo jacet. Quare id pauciſſimis ſuccedit. Alii contra, ſine cura ulla aut moroſitate ea ſcribunt & effundunt, ad quæ homo ſanus aſpirare non audeat. Adeo inuſitata quædam naturæ facilitas, lepor quidam genuinus, ac venuſtas, ſequitur quæ cogitant aut dicunt: ut lectori quoque vim propemodum faciant, neque à ſe dimittant, quin Sirenum inſtar voces ſingulæ, inter voluptatem & ſtuporem medium, detineant, cogantque ſæpius repetere, quæ in aliis ſemel, in aliis nunquam legiſſe ſatis eſt. Illud condimentum ſi cui deeſt, fallitur, ſi à poſteritate ſperat, quod ab ævo ſuo impetrare non poteſt. Faſtidium enim lectoris, certiſſima ſcriptorum mors eſt. Quod qui expugnare non didicit, fruſtra in arenam hanc deſcendit, cum tam multæ viles ac vulgares artes ſint, in quibus quiſque, quis & quantus ſit, experiri poteſt. Cæterum à contemptu & faſtidio nulli unquam minus fuit periculi quam BAVDIO. Qui, ſi quiſquam hac ætate, Muſis & Mercurio litaverat. Accedebat ad ingenii felicitatem memoriæ prodigium: quæ, ut quidque rarum in antiquitate tota aut eximie præclarum occurrebat, pertinaciter ſervabat, & cum aliquid ſcribendum eſſet, etiam quæ aliter ab aliis prolata erant, inſtituto ſuo ita lepide accommodabat, ut quæ quiſque pro ſe domo cum labore maximo afferret, minus commoverent animum ac tangerent. Quod non raro in

epiſtolis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

epiſtolis apparet. quas, ut ſingula in mentem veniebant, incredibili facilitate ad amicos ſcribebat: & in quibus ita ſe expreſſit, ut in iis vivere adhuc & ſpirare videatur. Erat eo ingenio BAVDIVS, ut celare nihil, nihil diſſimulare poſſet, omnia cum ſuis candide communicaret, omnium ingenia & mores de ſuis æſtimaret, neminem eſſe improbiorem crederet quam ipſe eſſet, cum omnibus benigne ageret ac placide: neminem ultra biduum odiſſet, neque modo officia prompte cuilibet offerret, ſed offenſas quoque ſuas malevolis, uno verbo victus, condonaret. Fortunam ſuam nunc in cœlum tolleret, cum tetrarchis ac regibus de felicitate ſuo ſibi judicio contenderet, vitam quam elegerat tranquillam, & ab omni ſtrepitu remotam ac ambitione, omnibus præferret: meros denique Zenonas & intonſos Catones loqueretur: nunc pertæſus ſui, ſortem ſuam accuſaret, cuivis non tam meliorem quam diverſam invideret. Quæ tempeſtas ubi paululum remiſerat, quod nonnunquam interventu, aut alloquio benigniore amici fiebat, iterum fortunam ſuam abſolvebat, præcepta ſapientiæ dictabat, & germanam (ita enim ipſe loquebatur) probitatis & ingenii pauperiem, non modo non invitus, ſed cum voluptate quadam tolerare videbatur. Ne quis forte admiretur, ſi hic quædam ejus generis occurrant. Vno ut dicam verbo: Is fuit BAVDIVS, qui in Acad. Lugd. Batavâ inter primos nomen dedit, & Aſtrææ ſacris ac honoribus initiatus, in eadem complures

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

annos maxima cum dignitate & admiratione docuit: res ab Ordin. geſtas immortali eloquentia & ſingulari venuſtate vindicavit ab interitu. In qua cura expiravit, perquam laudando fine & Chriſtianis omnibus optando, ſi quis pœnitentiam & ſeriam ad Deum immortalem converſionem potius reſpiciat quam morbum. Cujus rei documenta, quod pauciſſimis conceditur, non viva modo voce, ſed & calamo & manu, paulo ante exceſſum dedit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

VITA
DOMINICI BAVDII.

NAtus eſt in Inſulis Flandrorum VI. *eid. Aprileis* CIↃ IↃ LXI. *Pater ei fuit cognominis; mater fuit Maria Heems: par lectiſſimum conjugum, & inter rara fidei exempla numerandum. Trocinia ſtudiorum egit Aquiſgrani; quo pater cum familia profugerat ob ſævitiam Ducis Albani. Patrem ibidem amiſit quo anno inita eſt pacificatio Gandavenſis. Paulo poſt ejus obitum miſſus eſt Lugdunum Batavor. ut illic pars fieret naſcentis Academiæ. Ibi per* VIII. *menſes commoratus, rediit Gandavum; quo ſe mater, uſa beneficio pacis, receperat: inde profectus eſt Genevam: ubi per ſeſquialterum annum Theologiæ ſacris operatus eſt, & ſæpius publice diſputavit propoſuitque ſub præſidio Theodori Bezæ, Antonii Faii, & Lamberti Danæi. Inde Gandavum reverſurus* CIↃ IↃ LXXXIII, *ſub eodem Danæo theſes Theologicas aſſeruit coram frequenti hominum conventu. Poſtea contulit ſe Lugdunum Batavorum. ubi quum per menſes* XV. *aſſiduam Iuri operam navaſſet, titulum Doctoris eſt conſecutus ſub auſpicio Hugonis Donelli, pridie Non. Iunias* CIↃ IↃ LXXXV. *Sub finem ejus menſis acceſſit numero comitum ſplendidiſſimæ Legationis, quæ tunc ab Illuſtriſſimis Ordinibus miſſa eſt ad Reginam Elizabetham. illic innotuit multis à fama vel dignitate claris viris, ſed uni inſtar omnium maxime charus fuit Philippo Sidneio; cujus morte fecit jacturam ingentis patroni. An-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

no 1587, Nonis Ianuariis, adlectus eſt Hagæ-Comitis in ordinem advocatorum. Poſtea per annos decem continuos vixit in Gallia, nulli bono invi-ſus, & gratus acceptuſque primariis regni viris, quorum nomina conſecrata ſunt æternitati. CIↃ IↃ XCII *renunciatus eſt cauſarum patronus in ſuprema Curia Parlamenti à principe Senatus Achille Harlæo; cum cujus unico filio Chriſtophoro, quem Chriſtianiſſimus rex Henricus Magnus honore Legati ordinarii decorarat, profectus eſt in Angliam. Inde, pertæſus deſultoriam vitam, fixit ſedem Lugduni Batavorum: & conſpirantibus ſuffragiis Curatorum Academiæ, Conſulumque ejus urbis, deſignatus eſt Eloquentiæ Profeſſor,* CIↃ IↃ C VI, *Eid. Majas. Poſt obitum vero Pauli Merulæ cœpit explicare Cornelium Tacitum Auguſtæ hiſtoriæ principem. Docuit etiam publice aliquandiu conjunctim cum eo munere Ius Romanum, iiſdem ultro liberaliterque invitantibus ad eam operam ſtudioſæ juventuti impartiendam: nec ordine eo motus eſt, quaſi neſcius exercendi, ſed honeſta miſſione donatus, ſtipendiis nullam partem imminutis, ut onere ſublevaretur.* CIↃ IↃ C XI *ab Illuſtriſſimo potentiſſimorum Ordinum conſeſſu ſcribendæ Hiſtoriæ munus ei injunctum eſt.* CIↃ IↃ C XIII, *Auguſti* III, *circa veſperam febre correptus, delirio ac vigiliis continuis miſere attritus, omnique tandem robore exutus, mortalitatem explevit* XXII *Auguſti, circa horam pomeridianam* III. *Funeratus Lugduni Batavor. in æde S. Petro ſacra.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DE Induciis Belli Belgici libri tres.
Excellentes aliquot Iamborum libri, & Poëmata varia.
Epiſtolæ.
Orationes.
Commentariolus de Fœnore.

TESTIMONIA DE DOMINICO BAVDIO.

Dom. Baudius de ſeipſo, Epiſtola quadam ad Curatores Academiæ.

COncurrant omnes, non dicam ut ille Satyricus, augures, haruſpices, ſed quidquid eſt ubique hominum curioſorum, qui in aliorum acta tam ſedulo inquirant, ut ea fingant quæ nunquam fuerunt, nihil inveniet quod in nobis carpere poſſit livor, quam quod interdum ad exemplum priſci Catonis liberalius invitari nos patimur, nec ſemper conſiſtimus intra ſobrietatem veterum Sabinorum. Huic quoque peccatulo indies moderari conamur, & pulchre procedit.

Item alia ad amicum.

Malignitas obtrectatorum nihil aliud in nobis ſugillare poteſt, quam quod nimis commodus ſim convivator, & interdum largius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

adſpergor flore Liberi patris. Sed ut Sertorii miles caudam equinam depilavit ſenſim carpendo; ſic operam quotidie magis magiſque do, ut diligentius vivam, & ad cæteras laudes, quibus invidia fremente clari erimus poſtgenitis, temperantiæ virtutem & ſobrietatis adjungam, &c.

Item ad alium.

Nemini bono juſtam cauſam præbui, cur me debeat odiſſe, niſi candori & ingenuitati bellum indicat. Si fama noſtra paulum hæſit ad cantilenas Sirenum, ſi interdum virtus incaleſcit flore Liberi, commune hoc vitium mihi eſt cum priſco Catone, illud cum maximis viris. quibus ego tamen auctoribus nolo culpam defendere; ſed optimus eſt erranti portus, mutatio conſilii in melius.

Ioh. à Wouwer in Epiſtola ad Petrum Scriverium.

Sed quid narras, Baudium in numerum Profeſſorum adlectum? Felicem, imo immortalem Scholam Lugdunenſem hoc tibicine! Vtinam ad vos advolare liceret, & audire

Florem illibatum popûli, Suadæque medullam.

Idem ad cognatum ſuum Nic. à Vechta.

Venit huc menſe Auguſto mei viſendi gratia DOMINICVS BAVDIVS, *vir ſummus & clariſſimus, quibuſvis noſtri ævi ſi non ſuperior, certe æqualis, ſive veram eruditionem, ſive rerum uſum & Iuris ſcientiam ſpectes. Is evocatus ex Gallia, ægre retentus in Academia Lugdunenſi vivit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

vivit. Hunc pater tuus aliique præcipui in hac urbe viri penes me viderunt : ejus incredibilem eruditionem , memoriam , ingeniumque , ſupra mortales, admirati ſunt. Facile ab illo impetrarem, ut domi ſuæ in Hollandia ageres, quotidie loquentem audires, atque adeo florem omnis elegantiæ libares. Hamburgi, cIↃIↃC III.

Idem ad ipſum Baudium.

Niſi vererer, amicitiæ noſtræ injuriam fieri, ambitioſe gratias agerem promptitudini adfectus tui, cujus magnitudo blanda vi evicit, ut non invitus ſuſciperes quæ te minus operoſe rogaram. Imprimis vero hoc nomine me tibi devinctum ſentio, quod vel omnibus notum eſſe, gratum habuiſti, quanti me faceres, & quam arcta neceſſitudine animi noſtri coaluiſſent. Non facile autem dixero, quantum ſibi D. Præfectus Regius de literis tuis gratulatus ſit. Prolixa profecto oratio eſſet, ſi apud te referre vellem, quantum de tua erga filium benevolentia ſibi placeat. Cum vero vir Illuſtris nihil inter tantas ac tam amplas poſſeſſiones magis carum habeat jucunda hac anima, non miraberis, ſi tenero & anxio adfectu prudentiæ tuæ illum credere ſatagit. Nam (nequid erres) ut eſt vir cordatus & temporum inprimis peritus, nihil apud vos fortaſſe tantopere nobis imponeret, ut ſuaviſſimum hunc ſpiritum eo ablegaremus, niſi cordi eſſet, unico Baudio vota noſtra credere, quem ſolum dignum æſtimamus, propter quem Theſpiæ petantur. Quare majori ſtudio à te contendimus, ut pari facilitate qua nos ſemel erube-

ſcere

ſcere humanitas tua coëgit, curam totius inſtitutionis in te ſuſcipere velis, &c.

Ad reliqua epiſtolæ tuæ capita prorſus admiranda, vix accedere audeo. terret me rara illa elegantia, & judicii quædam maturitas, captum ſæculi ſupergreſſa. O te divinum! cujus genium non ſine ingenti ſtupore exoſculor. Quid habet vel eruditiſſima antiquitas, quod tuis opponat? Mi Baudi, concede nobis, ut te digne æſtimemus. tum demum me vivere & mente vigere intelligo, cum tua reliqui. ſentio ſacros quoſdam ignes inflammare hanc mentem laſſitudine rerum humanarum ſemiſopitam, cum à te ſecedo. Et recte judicas, ſatis datum eſt ſtudiorum amœnitati, revocanda ſunt ad utilitatem. Non negabo, abripuit me ſeculi furor, cui plus ſatis indulſi: ſed invito & reluctanti genio, qui toties injecit manum fugienti, atque ad meliora trahere conatus eſt. detrectator imperii non ſine gemitu ereptos ſine gloria dies repeto. Laborant in fine conatus noſtri. quibus abſolutis, moriar ſi vel tralaticio adſpectu hæc ludicra literaria dignabor. Solidiora me occupabunt, & forte ad æternæ famæ templa non ſine fauſtis acclamantium votis vel quadrigis albis ſubvehar. Te vero, ſerio ut me ames, unice rogo. Non elegiſti amicum (leve hoc nomen eſt) ſed fratrem. In gratiam tuam quidvis pati aut facere paratus ſum. Vale. Hamburgi, XXVI. Auguſti, CIↃ IↃC V.

NOMEN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

NOMENCLATOR
eorum

Ad quos ſcribit Baudius; itemque illorum, qui ad Baudium ſcripſerunt.

Latinus numerus Centuriam, Barbarus Epiſtolam notat.

ADrianus à Blyenborgh. I. 4. II. 6. 8. 21. 23. 56.
Adrianus à Mathenes. II. 98. III. 33. 77. 94.
Albertus vander Vechte. IV. 22.
Amicis ſuis æger. I. 10.
Amico cuidam. II. 41.
Auguſtinus Puteanus. I. 79. 85. III. 3.
Balduinus Berlicomius Dom. Baud. IV. 52.
Benedictus ab Alefeldt. I. 81.
Carolus Borbonius. I. 9.
Chriſtophorus Puteanus. I. 57. 59. 61. 63. 69.
Cornelius vander Myle. I. 55. 66. 70. 71. 72. 75. 80. 83. 91. 100. II. 15. 18. 19. 25. 26. 30. 31. 38. 39. 42. 50. 53. 58. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 76. 77. 81. 83. 87. 92. 94. 96. 97. 100. III. 1. 3. 5. 6. 14. 15. 20. 27. 30. 72. 90. IV. 8.
Cornel. vander Myle prioris patruelis. III. 84.
Cornelius Vandalius. I. 93. IV. 20. Idem D. Baud. I. 92.
Damaſus Blyenburgius. I. 3.

Daniel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Daniel Heinſius. II. 34. 36. Idem Dom. Baud. IV. 40.
Ericus Dimmerus. I. 15.
Everhardus Vorſtius. IV. 2.
Franciſcus Douza. I. 56. III. 53.
Franciſcus Swveertius. II. 86.
Fredericus Sandius. III. 41. 50. 55. 60.
Fredericus Bertramus ab Alefeldt. II. 35.
Georgius Benedicti Dom. Baud. IV. 49.
Gerardus Ioh. Voſſius. II. 16. 17. 55. 57. 59. III. 22. 23. 25. 26.
D. Gravius. IV. 21.
Guilielmus Braſſerus. III. 70. IV. 5. 7.
Hermannus Hagius. III. 42. 46. 59.
Henricus Rumpius. II. 11. 24. III. 45. 51. 52. 56. 65.
Henricus Stapelius. III. 49. 67. 68. 71.
Hugo Grotius. I. 74. 88. 96. 97. 99. II. 14. 22. 29. 32. 33. 37. 43. 52. 54. 67. 78. 82. 84. 88. 89. 101. III. 2. 7. 16. 31. 89. 92. 93. 96. 99. 100. IV. 9. 15. 19.
Iac. Aug. Thuanus. I. 6. 7. 14. 33. 38. 41. 42. 43. 44. 48. 49. 50. 58. 86. II. 2. III. 18.
Iacobus Baduerius. I. 60. 62.
Iacobus Gillotius. I. 87. 90. III. 13. 17.
Iacobus Magnus. IV. 4.
Ianus Douſa, pater. I. 1. 12. 16. 23. 28. 35.
Ianus Douſa, filius. I. 13. 27. Idem D. Baudio. I 11. 29.
Ianus Gruterus. II. 10.
Iohannes Druſius. III. 8.
Iohan. ab Oldenbarnevelt. I. 47.
Ioh. Iſaacus Pontanus. III. 97.

Ioh.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Ioh. Kirchmannus. II. 13.20.49.
Ioh. Meurſius. I. 82. 84.
Ioh. Milander. III. 4.57.69.
Ioh. Polyander. III. 24.91.
Ioh. Richardus Neræus. III. 28.
Ioh. Rutgerſius. II. 4. 5. 51.95. III. 32.74. 75.76.78.79.83.85. IV. 13.
Ioh. à Wouvver. I.77. II. 9.28. III. 34.35. 36.37.38.39.40. 44.48.58.63.64. Idem Dom. Baud. I.73.76. II.7. IV.41.42.43. 44.45.46.47.48.
Ioſ. Scaliger. I. 8.18.20.21.24.30.31.34.36. 39.45.53.64. Idem D. Baudio. I. 19. 22 25. 32. 40. 46. 65.
Iſaacus Caſaubonus. I. 68. 78. 95. Idem D. Baud. IV. 35.36.37.
Iſaacus Luſſius. I. 89.
Iuſtus Lipſius. I. 37.52. II. 1.12. Idem Dom. Baud. IV. 24.25.26.27.28.29.30.31.32. 33. 34.
Iuſtinus à Naſſau. I. 47.
Laurentius Sylla. III. 43.
Luchtmaeckerus. II. 47.
Ludovicus Servinus. III. 54. IV. 23. Idem D. Baudio. I. 17.
Maximilianus Vrientius. II. 46. 75. 93. 99. III. 9.10.11.12.19.21.29.72.87. Idem D. Baudio. IV. 53. 54.
Monſeigneur de Thou. I. 51.
N. N. II. 45. IV. 12.
Nicolaus Audebertus Dom. Baud. IV. 50.51.
Nicolaus à Vechta. III. 61.62.66. IV. 14.
Nicolaus Reigersbergius. IV. 1.

Nico-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Nicolaus Seiſtius. III. 79. 88. IV. 9.
Nobilis Vir. II. 44. 66. 79. 85.
Ordines Confœderatarum Belgii Provinciarum. IV. 39.
Paulus G. P. F. N. Merula. II. 27.
Petrus Plancius. IV. 10.
Petrus Regemorterus. I. 2.
Petrus Rubenius. III. 81. 86. IV. 3.
Petrus Scriverius. I. 94. II. 27. III. 73. IV. 6.
Philippus Huraltus Chevernius. I. 5.
Puteani fratres. I. 54. II. 48.
Q. Sept. Florens. Dom. Baud. I. 26.
Raphaël Thorius. II. 90.
Reginaldus Brederodius Veenhuſius. II. 40.
Richardus Thomſonius. II. 98. IV. 38.
Stephanus Douſa. I. 98. III. 47. 82. 95. 98.
Stephanus vander Werve. IV. 16. 17. 18.

ORA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ORATIONVM
conſpectus.

ORATIO I. *cum auſpicaretur interpretari C. Plinii Panegyricum* TRAIANO *dictum.* Pag. 511
II. *Sub perſona Ordinum Belgii ad* IACOBVM I. *Britanniæ Regem, de non ineundo fœdere cum Hiſpano.* 522
III. *Ad eundem Regem.* 546
IV. *Ad Sereniſſimam* ELIZABETHAM *Angliæ Reginam, cum Reſponſione extemporali Reginæ, & Replicatione Baudii.* 548
V. *Ad Studioſos Leydenſes ob cædem commilitonis tumultuantes.* 553
VI. *Funebris, dicta honori & memoriæ maximi virorum* IOSEPHI SCALIGERI. 599
VII. *Diſſertatio de Induciis Belli Belgici, edita ſub nomine* LATINI PACATI. 613
VIII. *Hortatio ad amplectendas Inducias, edita ſub nomine* IVLIANI ROSBECII. 631
IX. *De Fœnore Commentariolus.* 645

FINIS.

Mani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Manibus

Dominici Baudi

Ianus Gruterus.

Dum mei florentiore Baudii meliſmate
Alloquor Manes, eiſque juſta Iuſta molior,
Gratiæ Novenſileſque uno ore viſæ dicere:
Quid fatigas teque, noſque? Baudio præconium
Maximum eſt, favere linguis, nec loqui de Baudio.
Quippe ut hic, & ille, & iſte, & iſte cuncta dixerit,
Baudium laudare nemo quiverit, quam Baudius.

De eodem

H. Grotius.

Quem legis, & laudas, ſi vis noviſſe, Poëtam,
Verſibus & vita Baudius unus erat.
Vidimus hunc ipſum qualem tibi carmina monſtrant:
Ingenium Domini læta papyrus habet.
Talis erat, ſeu cum fluitarent proſpera, ſeu cum
Immeritum premeret ſævior aura caput:
Liber & intrepidus, nec qui concederet unquam
Fortunæ magnis regibus eſſe minor:
Nulli ſponte nocens, & amabilis hoſtibus ipſis,
In quo, ſi noſſes, perderet ira locum:
Infenſus ſceleri: ſed non ut lege ſevera
Viveret, antiquæ ſimplicitatis amans.
Melle madens, & quo non incorruptius alter
Miſcuit innumeris ſeria mille jocis:
Et ſi cuncta ſimul permittis dicere, vates
Teius arguto miſtus Ariſtophani.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

PETRVS SCRIVERIVS
De effigie vera
BAUDII.

VAne, quid affectas os magni reddere BaudI,
Pictor? ad hunc hominem non ſatis aptus eras.
Nullus Apelleis color eſt geniuſque tabellis,
Lyſippum fruſtra Praxitelemque voles.
Optimus ipſe ſui pictor, morumque ſuorum,
Quos Iocus & docti compoſuere Sales.
Vna vel in medium procedat Epiſtola BaudI,
Vera redit facies. aſſimulata perit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32



DOMINICUS BAUDIUS IC. & HISTORIARUM PROFESSOR.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOMINICI BAUDI EPISTOLARUM

CENTURIA I.

EPISTOLA I.

Iano Douſæ patri Nordvici toparchæ Dominicus Baudius S. P. D.

Nordvicum.

ET tu ad beneficentiam natura propenſus es, mi Douſa; & ego libens tibi occaſiones bene merendi obtrudo: cum præſertim tam prolixe liberalitatem tuam interpretere, ut beneficium accipere exiſtimes, cum in hominem probum confers. Verum enim vero, cum conſcientiam meam interrogo, non poteſt quin juſto pudore ſuffundar; qui cum ne cogitanda quidem gratia ſummis tuis erga me meritis reſpondere poſſim, ea porro auctum ire pertendam. Sed nec tua ſors redhoſtimentum deſiderat, nec Douſica indoles id expoſcit, & (ut Tullii patrocinium impudentiæ meæ prætexam) eſt hominis ingenui, cui multum debeas, ei plurimum velle debere. Quando igitur decretum eſt tibi, mores illos benignos ac beneficos uſque perſequi, cur materiam iſti animo non gratificer? cur, quod in me eſt, & tibi comitatis laudem, & mihi ex ea fructum invideam? Scin' igitur quid te rogem? Scio te ſcire: non enim novam petitionem adfero, ſed quam memoria teneo, ſæpe me tibi in memoriam injeciſſe. Quid igitur, inquies, his verborum argutiis opus fuit? Nihil mehercule; novi enim quam ſim apud te impetrabilis: verum habet hoc ſollicitudo, ut omnia neceſſaria ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

iſtimet. Si nihil eſſet in mora periculi, non committerem, ut præcipiti feſtinatione legitimum tempus occupare videri poſſem. Nunc autem in tanta captatorum turba, tam curioſa omnium diligentia, difficile eſt ad omnes commoditatis articulos animo excubare; & ubi omnia feceris, plerumque poſt feſtum venit, qui tempus exſpectat; is æmulos ſubruit qui prior venit. Tum autem (cur enim animum inducam tacere quod confiteri nec turpe eſt, nec rationibus meis diſconducit?) adeo ſunt, mi Douſa, res meæ paupercu-læ, ut niſi quam maturè honeſtum aliquod vitæ ſubſidium mihi proſpiciam, tantum non ad incitas redactus ſit tuus ille Baudius. Quod incommodum ne mihi objiciatur, tua maxime cautio eſt. Dices fortaſſe, egon' iſtud præſtare poſſum? Tu inquam, & (ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ ςήθεσσι κελεύῃ) nimium te ipſe contemnis: non intelligis te Douſam eſſe. Modeſtiæ hoc argumentum eſt. aſſentior; ſed nec ea ſemper decet, &, ut mores ſunt hujus ſæculi, ruſticitatem & δυσωπίαν vocant; ſed ego vere immodeſtus & inverecundus, qui hæc ad te. Verbum non addam præter verbum vetus, γνῶθι σεαυτόν. hoc ſi ab animo tuo impetras, quidlibet deinceps per te impetrare non abs re mihi perſuadeo. Nullam enim tantam rem arbitror, quam aut ego pro tua benevolentia adverſus me precibus & ſtudiis abs te exorare non debeam, aut tu pro tua auctoritate perficere non poſſis. Vale. Datum Middelburgo, ipſis Cal. Ian. auſpicibus anni cIↃ IↃ LXXXVII, ſtylo veteri.

EPISTOLA II.

Petro Regemortero Dominicus Baudius S. D.

[*Poëmatis juvenilibus præfixa Anno* 1587.]

ITa hodie mos viget doctiſſime Regemortere, ut qui aliquid ſcripturiunt, ii plerumque vel ætatis patrocinio, vel officii prætextu culpam temeritatis deprecentur. Ego, quamquam utraque defenſione poſſum, neutra tamen utar. Nam & depravatio conſuetudinis tantum non jam in legem abiit, & multitudo peccantium iſtud peccatum ſatis me abſolvit, omnique neceſſitate cauſſæ dictionis liberat. Stultum eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

eſt, certe ſerum nimis, jam demum incipere miſereri chartarum, quæ tamdiu tam miſere ſine omni gratia perierunt & pereunt cottidie. Quod ſi hæc ratio probis non probabitur, reſtat aliud præſidium, ut tecum partiar omnem invidiam, tua culpa ſit quod flagitare non deſieris, mea quod ſtudio tuo ſim obſecutus. Et vero (ſi bene te novi, bene autem te novi) nunquam defugies auctoritatem, nec intercedes conditioni. Scis enim quanto opere, quam ægre impetraris (tametſi apud me nemo te vivit impetrabilior) ut depoſitum hunc partum tolli ſuſtinerem. Quid enim? Laudem hic ſperem aut ſpectem? imo bene benigneque mecum agatur, ſi carebo noxia; carere poteram una re ſi quieviſſem: ſed petitionum tuarum protela verecundiam noſtram expugnarunt, & omnes res relictas habeo præ quod tu vis. Interim ne te putes nihil egiſſe, & hanc rem impune laturum ſperes, geretur quidem mos tibi, ſed ea lege, ut viciſſim ſubeunda tibi ſit hujuſce moleſtia nuncupationis. Bene, opinor, ratio accepti & expenſi inter nos conveniet. Tu enim (quæ tua eſt facilitas) beneficium accipere exiſtimabis, ego autem magno onere videbor ſublevatus: Ut ut res cadet, mihi certe facti mei ratio optime conſtabit. Sive enim hanc noſtram operam oneris loco deputabis, patronum ecce Terentium mihi,

Tute hoc intriſti, omne tibi exedundum eſt:

Sin autem pro munere interpretaberis (quomodo mihi perſuadeo) nemo te uno eſt, cui hoc omne libens magis meritoque donem, dedicem: ſive doctrinæ tuæ meritum expendam, ſive ingenium moreſque intuear ad omnem elegantiam factos. Vide igitur, quoniam communis tibi culpa mecum eſt, ut in communem cauſſam pro parte incumbas, & huic opuſculo ſi non ex animo, ſaltem gratiæ cauſſa ſuffrageris. Quanquam equidem hujus ſuffragationis gratiam tibi facio, teque integrum ad alia reſervari cupio, quæ (ſi vita & otium ſuppeditet) olim lucem adſpicient, digniora ingenii tui plauſu & ea, quantulacunque eſt, opinione, quam in literis ſuſtinemus. Sophoclem dixiſſe ferunt, ſe à rebus Venereis tanquam a domino agreſti ac furioſo profugiſſe; item ego ab hiſce Poëticis illecebris tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quam à Sireniis ſcopulis enavi, & (ut ſperare videor) evaſi. Revera enim quæ iſta profuſio eſt in hac vitæ brevitate, tantaque copia rerum ſcitu digniſſimarum, tempus tanquam rem vacuam ſupervacuis impendere? nec ſupervacuis tantum, ſed noxiis, ut quæ dulcedine quadam ſui, præclariſſima quæque ingenia alliciant ad ſe & avocent à melioribus? Expertus loquor: nec quiſquam tibi mihive verba dederit, ut magnum aliquod & ſecretum bonum in iis ineſſe ſuſpicemur. Kal. Octob.

EPISTOLA III.

Damaſo Blyenburgio ſuo Dominicus Baudius S. D.

Lugd. Batavor.

ITa eſt, ut ais: valde negligenter ſua ſcripſit noſter Blyenburgius; conjecturam facio ex eo, quod pleraque errata typographi non aliunde fere ſunt, quam ex vitio autographi. Nos igitur diligentia noſtra emendemus auctoris incuriam. Vere dico incuriam, nam ſi dediſſet operam, longe accuratius omnia ſcripta haberemus. Quæ ad me miſiſti, diligenter inſpexi. annotavi ad marginem, quæ emendatione egebant. Vide ne officio deſit, qui correctioni præeſt. De ordine Adoptivorum poſtea viderimus. nondum rediit noſter. Ad præfationem meam quod attinet, dicis te appendicem poſt epilogum inſerturum. Atqui non ea mihi mens. cupio enim in ipſo contextu ante epilogum interſeri. D. Damanus, cui has perferendas dedi, facile tibi rem explicabit. Quæſo ut illi & præfationem & appendicem legendam tradas. Quanquam ſpero fore ut iſtuc excurram, priuſquam præfatio edatur. Impuriſſimus ille hoſpes me monuit ſuper illa re quam tibi dixi. eram tum deſtitutus omni præſidio argentario: alioquin belluæ iſti offam objeciſſem. Tu velim verbo ſignifices te ei daturum, ne ultra mihi moleſtus ſit. Egomet ſi Leydam venero, hominem abſolvam. Facio impudenter quod tibi hanc moleſtiam exhibeam; ſed ſi quid pecco, pecco fiducia arctiſſimæ neceſſitudinis, quam mihi tecum eſſe vis. In benignitate igitur hoc reperiſti negotii. Vale cariſſimum caput. Hagæ Comitis, XI. Martii, CIↃ IↃ LXXXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Epistola IV.

Adriano à Blyenburgh I. C. Dominicus Baudius S. P. D.

Hagam Comitis.

VErſus meos, amice magne, prudenti verecundia diu ſuppreſſos, nunc (quæ res vertat bene) in lucem exire patior, invitus, ni me ut auderem invitaſſent cum alii multi non è multis, tum unus in paucis unicus: quem auctorem meum tametſi nomine non laudo, perſpicue tamen intelligis, quem hoc elogio deſignem, nec à conjectura aberrabunt qui in literis recte & ordine, hoc eſt ſeorſim à vulgo ſentiunt. Utinam ea ſeges eſſet virorum ad hoc exemplum, ut prudenti cenſori non liqueret, quis potiſſimum in hoc luſtro legendus princeps eſſet eruditorum ſenatus. Sed quoniam ſequius cecidit, optimum eſt quod adeſt grato animo interpretemur, & hoc nomine gratulemur Belgis noſtris, eum nunc extare hominem, de quo meritiſſime vetus verbum uſurpes, Unus instar omnium. Ut ad meas nugas redeam, tutius illæ quidem ab infamiæ periculo latebant intra privatos parietes, & abſque aliorum hortatu foret, ætatem per me latuiſſent. Cæterum ne prævaricer, & cauſſam tradam adverſariis, quî minus & nobis jus ſit publica via incedere? quaſi vero honos ille editionis, non jam vulgo vulgetur, graſſante indies conſcribillantium gangræna. Eſſet (fateor) è re literariæ dignitatis, ut nihil niſi ab ingenio excultum, ab arte limatum, ab induſtria elaboratum, denique profuturum publico in publicum prodiret: cæterum, ut mores ſunt hujus ſeculi, nunquam impetrabitur, adeo hic morbus invaſit atque invaluit, ut cum ratione inſaniat qui eum perſanare poſtulet. Nam ut quiſque vel ſui fiducia ſubnixus, vel inconſulta famæ cupiditate incitatus, partum aliquem abortivit inanem omnis judicii atque doctrinæ, eum continuo tollit & educit ſine omni dilectu. Hinc libri mole immenſi, numero innumeri; quibus non injuria occinas illud Theocriti,

— ὥς μύρμακες ἀνήριθμοι ϗ ἄμετροι.

Nec vero Ælios aut Perſios una huc traho, & lumina

illa lectiſſimorum hominum, qui ævum hoc illuſtrant ingenii ſui monumentis, vere dicturus videor, omni laude majoribus: iſtos loquor, qui præter numerum nihil adferunt, qui domeſtico præconio imperitiæ ſuæ teſtes colligunt, qui miſeras & inſontes chartas verborum inaniis refarciunt ſine more & modo: quibuſcum omnibus ſi lege agatur, quando (inquit ille) ad me venient? Sed næ ego inſcitus, qui tam ſollicite cauſſam orem apud te, qui, ſi exquiratur uſque ab ſtirpe auctoritas, ad hoc me facinus impuliſti; & nunc quaſi re bene geſta factum gaudere non erubeſcis. Ac ne diſſimulem, tantum abeſt ut id tibi ſuccenſeam, ut etiam ingratus ſim, ni ultro gratias agam. Nam & quod feciſti, id omne ab intima benevolentia profectum eſſe certo ſcio; &, ſi conſilium eventu ponderamus, feciſti ſapienter: etenim ita lepide proceſſit hoc negotium, ut (niſi me communis φιλαυτία decipit) nonnihil hinc celebritatis huic homini obveniſſe videatur. Quod cum ita ſit, quamvis ipſe moleſtus non ſim, tamen vel hæc una ratio abs te poſtulat, poſtulat autem? imo flagitat, ut tandem cum Muſis volentibus expedias quod reip. literariæ debere te ſentis, & debere non debes diutius. Si quid mihi credis homini in his ſtudiis, ut jocari ſoles, feliciter verſato; ut ipſe fateor, non prorſus hoſpiti; certe amico tuo germanum in modum; vehementer auctor tibi ſum maturandæ hujus editionis. Cur enim & nomini tuo lucem, & nobis ex honore tuo lætitiam invideas? Nec mea cauſſa te hortor (etſi quid eſſe poteſt in tuam rem, quod non itidem ad meas rationes referri æquum & verum ſit?) ſed quia mea fide præſtare poſſum, eam rem tibi laudi & ornamento futuram. Nec periculoſam temeritatis opinionem deprecor, quaſi de re parum comperta ſententiam feram. Nihil enim tuarum lucubrationum mihi clauſum unquam, aut obſignatum fuit; nec decuit. Nam quoad longiſſime in memoriam redeo præteriti temporis, nemo mihi te uno conjunctior unquam extitit, aſſiduitate contubernii, ſocietate ſtudiorum, mutuis vitæ officiis, & (quod familiam ducit) jure artiſſimæ neceſſitudinis. Quarum rerum cogitatio, partim etiam tuus pudor orationi meæ moderatur, quo minus laudes tuas
verbis

verbis impleam, ne gratiæ largiri videar, quod ex animi ſententia conceptis verbis affirmare non dubitarim. Teneri tamen non poſſum, quin judicium meum proferam, quod tu licet non agnoſces ut auctoritatem religioſi teſtimonii, tamen æqui bonique conſules, ut indicium ſingularis in te benevolentiæ: errare poſſum vitio humanæ infirmitatis ſciens, non falſo, ſi loquor uti ſentio. Parentalium tuorum liber commendatione officii laudem apud bonos, lepore & elegantia ſcriptionis plauſum apud doctos, felici rerum ubertate gloriam non vulgarem apud ingenioſos omnes conſequetur. Odæ tuæ (ſine figura loquor) ſane quam bonæ, & ad genium puræ putæ antiquitatis, neſcio quam ad publicum ſaporem, certe vehementer ad meum ſtomachum. Elegiæ reſtant, à quibus publicandis (ut ſæpe injeciſti) terret te ſeveritas quorundam hominum, qui aures ſuas violari non ferunt ſermone aliquo urbanioris notæ, & vernulæ feſtivitatis: ad quorum ſententiam judicium meum licet adſcribas, nec alia, opinor, tua mens; ſi quantum illi à verborum licentia abhorrere ſe palam adſimulant, tantum à rerum turpitudine refugiant: ſed pravas illas & detortas mentes odi male, quæ cum ſecreti occaſionem nactæ nihil non ſuæ libidini condonent, aliis ne dicti quidem ullius paullo liberioris gratiam faciunt, & ſeu criminum inopia, ſeu obtrectandi ſtudio ficta pro factis detorquent in culpam. Quibus tu, ſi quid ingenui ſanguinis habes, Germana nobilitate ignoſces: ſin ultionem paras, non alia ſplendidior eſt ratio, quam ſi eorum calumnias vitæ innocentia, dicacitatem conſtanti ſilentio, imperitiam generoſo contemptu vindicâris. Canem oblatrantem ſi pavide caveas, acrius irritatur; ſi neſcio ſimilis prætereas, confeſtim iram ponit: ita ingenium eſt obtrectationis; ſi deſpicientiam ſimules, ſenſim exoleſcit: ſi moveri te fatearis, fortiſſime debacchatur. Sed de his tantum eſt: reſtat ut eos abſolvamus, qui hominem Muſarum ſacris initiatum, tanquam (ut ait Cæcilius) unius operis remigem ac bajulum, non tantum à rebus gerendis ſubmovent, ſed & ulli præterea rei negant eſſe idoneum. Sed quid tandem fidei cauſſa adferunt? Dignitatis quidem plus quam ut con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

temni debeant, rationis vero minus, quam ut magnopere pertimeſcendi videantur. Ajunt eum, qui ſemel animum ad Poëſin appellit, ita lente ejus illecebris irretiri, ut expedire ſe & ad frugem bonam recipere non poſſit. Si experti loquuntur, peto ab iis quinam aliquando emerſerint? quod modo negabant evenire: ſin aliena fide id adſeverant, ſcio extra territorium ſuum jus dicentibus impune non pareri: & cedo, quis ille cujus ſine ratione valere debeat auctoritas? Quid autem homine juriſconſulto indignius, quam id objicere, quod verbo ſi neget adverſarius, non habeat quod regerat, qui objecit? Sed non utar hoc effugio: ultro illis aſſentior, plurimum ineſſe ingenuæ voluptatis in hoc genere, plurimum inſidiarum item & periculi, niſi præſcriptio moderatioque teneatur: addam & illud, intemperanter eum abuti & munere ingenii, & theſauro temporis, qui in hoc deſidioſæ oblectationis ſtadio, curſum omnem ætatis conſumit ſuæ. Nati ad majores & meliores curas ſumus, quam ut eo totum hominem tanquam in piſtrinum detrudamus. Sed non idcirco illis procedit quod volunt. Permultum enim intereſt utrum aliquid ita tractes, ut nihil in vita ſis aliud acturus, an vero ὡς ἐν παρέργῳ diſciplinam aliquam delibes, vel ad animi relaxationem, vel ad ornamentum ejus facultatis, cui te ex profeſſo devoviſti. Neque enim interdictum eſt aut à natura, aut à lege, ut ſingulus homo, ne amplius quam ſingulam artem cognitione ac ſcientia complectatur. Iſtuc imus, inquiunt iſti; & habet hoc Poëſis peculiare, cuicunque homini ſemel manum injecit, eum, quantus quantus eſt, totum ſuo ſibi jure vindicat, nec unquam à ſe amittit. Mitto nunc opinionem ſapientum virorum conſenſu firmatam, neminem Poëtam poſſe exiſtere, qui non idem multarum magnarumque rerum ſit animo ac ſcientia compos: quod ſi fatentur, jam ſecum ipſi pugnant, & gratias ago eorum benignitati, quoquo animo id faciant, ſi nos in talem numerum adſcribi non gravantur. Sed mitto jam iſta, quæ tamen & ad veritatis ſimilitudinem propenſa ſunt, & locupletiſſimis auctoribus nituntur. Illud quod jeci non muto, delicias illas Muſarum habere aliquid ἑλκυστικὸν, & quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quod apud generoſa ingenia mirificum ſui amorem excitet. Sed ut condimenta, ſi mere ſumas, nec corpus nutriunt, & inamœna guſtu ſunt, eſu noxia: ſimiliter hæ lautitiæ ſtudiorum, proſunt parum, obſunt immo, niſi ſolidioris doctrinæ dapem adjunxeris. Tum autem difficile quidem dictu eſt, quænam cauſſa ſit, cæterum ita natura comparatum eſt, ut quæ res prima fronte ſenſus aut animum impellunt acerrima voluptate, eas celeriter vel ſatietate faſtidiamus, vel experiendo aſpernemur. Quod ſi ad hanc naturæ vim judicii maturitas acceſſerit, fit ut ratione & conſilio momenta rerum expendamus, nec, ut ante aliorum errore, aut impetu quodam animi, ſed utilitatis ſpe, aut amore honeſtatis impellamur ad hoc aut illud capeſſendum. Qui è Clitorio fonte biberunt, iis (ut memoriæ proditum eſt) vini tædium oboritur: ita, quos ſeverioris diſciplinæ ſuccus imbuit, non oderunt illi quidem amœniores illas Divas, ſed amant moderatius. Id an tibi mihique uſu venerit, malo in aliorum opinione relinquere, quam ut ſublatius quidquam dicam de communibus noſtris ſtudiis. Illud certe conſecuti videmus, ut ne merito dici poſſit, nos illotis, quod ajunt, manibus Iuris ſacra contrectaſſe: quod plerique hodie faciunt è noſtra porticu, qui ſpes ſuas ambitione præcipitant, & cruda ſtudia ad forum tanquam ad impudentiæ ludum propellunt, palmam adepti priuſquam è carceribus exierint. Ad ſummam: Iureconſulti, cauſſarum Patroni, omnia audiunt, ſi tanquam in vænalibus Latine loqui audent, ſi libellos ſolennibus formulis tolerabiliter inſtruunt, ſi actiones decantare, ſyllabas aucupari quoquo modo didicerunt. Nec veros ac legitimos hic tango, qui magna cum laude ſua in ſubſelliis habitant, & lucem ingenii porrigunt conſulentibus: vulgus leguleiorum inſector, qui quam perſonam ſibi ſumpſerint, ne ſuſpicione quidem ſatis comprehendunt: quos quia mos excuſat & barbaria forenſis, ideo miſſos faciamus. tantum illud ne nobis fraudi ſit, ſi diverſam ab iis viam inſtitimus, & id operam dedimus ut ſevera lege proficeremus. Nam quod eum qui Poëta ſit ad omnia alia ineptum eſſe criminantur, abunde ex his quæ attuli judicatum eſt, quam ipſimet

ineptiant. Cedamus tamen de jure noſtro, & exemplis agedum congrediamur. demus hoc imperitiæ ſi errore peccant, impudentiæ ſi obſtinatione pugnant. Ac ne veteres ad teſtimonium citem, qui ſunt pene innumerabiles, quid clarius ætas parentum noſtrorum vidit Michaële Hoſpitali? quid generoſius Cæſare Scaligero? quid in omni genere eruditionis exercitatius Adriano Turnebo? qui tamen heroës non tantum primoribus labris deguſtarunt, aut extremis digitis attigerunt politiorem hanc humanitatem, ſed ita in ea verſati ſunt, ut huic cuncti ſtudio penitus dediti fuiſſe videantur. Taceo Ronſardum, Bellaum, Baifium; qui ſi verum amant, omnem ſuam famam Poëſi acceptam debent. Ex his qui ſuperant, quid divinius Bartaſio? qui cum argumenti magnificentia gravitatem carminis quam feliciſſime adæquavit. Michaël Montanus (quem Thaletem Gallicum appellat Thales noſter Belgicus) vir, ut cæteras ejus dotes ſilentio venerer, judicii acerrimi, cum Stephanum Boëthianum extra omnem commendationis aleam poneret, in ejus vel præcipuis laudibus Poëſin connumerare non dubitavit. Quod ſi minus talium virorum præſtantiam facultate conſequi poſſumus, cur vel malignorum judiciis deterreamur, vel deſperatione debilitemur, quo minus ſaltem experiri velimus quid efficere, quantumque progredi in tam præclaro curriculo valeamus? cum honeſtum ſit, teſte Tullio, prima ſequentem in ſecundis tertiiſque conſiſtere. Hæc ſcripſi pluribus, ſi legem epiſtolæ cogitas; perſtrinxi quam pauciſſimis, ſi rem ſpectas & argumenti fœcunditatem: ſed ego hoc unum egi, ut te ad editionem tuorum carminum inducerem. Si abs te impetro, non me pœnitet quantum aut quantulum dixerim; ſin detrectare pertendis, adeo propediem mea ſacra commovebo, ut præciſam tibi eſſe fatearis omnem libertatem recuſandi. Vale, mi ocelle, & me cras exſpecta. Datum Lugduni Batavorum VI Idus Aprilis, cIↃ IↃ LXXXVIII, qui dies mihi natalis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA V.

Philippo Huralto Chevernio, Galliæ Cancellario, Principi Senatus, Dominicus Baudius S. P. D.

Lutetiam.

ILluſtriſſime vir, In cauſa æquiſſima periniquam cauſæ dictionem nobis obtrudit adverſariorum importunitas. Convenimur enim ſuper re jam ſolemniter judicata per eos, à quibus provocandi jus non eſt. Hæc una exceptio ſufficere deberet ad inhibendum omnem litis ingreſſum, ſi bonis legibus & diſciplinæ majorum ſua conſtaret auctoritas. Sed quoniam hoc aſylum, quod priſcis temporibus veluti quadam religione munitum erat, nunc paſſim aut aperta petitione oppugnatur, aut calumnioſis litibus per cuniculos ſubvertitur, intempeſtivæ ſapientiæ videri poſſit, adverſus adultam iſtam & prævalidam iniquitatem rationibus fruſtra niti. Nec vero id nobis exteris licere debet, ut in alienæ Reip. ſtatum temeraria curioſitate inquiramus: ſed & excellens tuæ gravitati adſperſa humanitas hortatur ut audeamus, & officii noſtri ratio flagitat, ut debeamus quædam hujuſce regni vulnera palam facere, ut ſuſceptæ cauſæ prævaricari videamur. Si ab intimo capite originem exquirimus earum cladium atque calamitatum, quibus ex ima ſede convellitur hujus imperii compages, omnino fatendum eſt, vim aliquam majorem tantis motibus intervenire, cui mens aut manus humana par eſſe non poſſit. Quod ſi ad inferiores cauſas animo convertimur, ut illas tacitus omittam, quæ ex tranſverſo incurrunt, nulla directius tendit in peſtem atque perniciem univerſi ſtatus, quam detrectatio dedignatioque parendi. Cujus pravitatis culpa ut potiſſimum hæreat in ipſo vulgo, qui ſua ſponte avidus rerum novarum, & contumax adverſus imperantes, levi momento ad rebellionem impellitur; tamen vobis etiam atque etiam conſiderandum eſt, necubi pluſculum huic belluæ multorum capitum iudulſiſſe videamini, dum vel immodica lenitate gladium ultorem parcius exeritis, quam pro modo flagitiorum, vel promiſcua facilitate quoſlibet libellos reſcripto aliquo dignamini. Quæ du

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Iuſtitiæ deliquia, eo inſidioſius nocent, quod plauſibili virtutis prætextu fucum faciant imperitis, veluti venena vino mixta pernicius pernicioſiuſque graſſantur. In altero enim falſa clementiæ ſpecies ineſt, alterum & populari ratione, & ſumma æquitate defendi videtur. Cæterum miſericordia illa plerumque in miſeriam vertit, cum ex impunitatis ſpe, flagitioſis hominibus ad peccandum libido accenditur. Habet hoc populus, legitimos etiam rectores aſperrime patitur, & cæco impetu ruit in præcipitem licentiam, ſi moribus ſuis relinquatur. Contra nihil illo fieri poteſt tractabilius, nihil ad omnem patientiam demiſſius, ſi in gyrum officii atque obedientiæ ſalutari ſeveritate compellatur. Nec vero conſceleratorum civium factio, tantum unquam in ſe ſcelus concepiſſet, ut in Regem & regiam lymphato furore conjuraret,atque in Remp. velut in vacuam poſſeſſionem faceret impetum, niſi prius legum judiciorumque contemptio, quaſi peſtilens aliquod ſidus animos ejus afflaviſſet. Id porro evenit, quia, cum occaſio ad eam rem tulit, non eſt ſeveris legibus animadverſum in duces partium, qui ſenſim publico malo crevêre per concionales tubas, alioſque ſuæ factionis emiſſarios. Nam ubi Iuſtitiæ numen oculis obverſatur, nemo tam venalis animæ eſt, tam ſui prodigus, tam ſaluti ſuæ iratus, ut obſtinata mente ſpiritum indemnatum, ſicuti rem vacuam alterius lubidini atque ambitioni gratificetur. Sed non longius evagabor in hoc lugenti miſeriarum campo. magis ad cauſam præſentem attinet, ut de reſcriptorum indulgentia nonnihil loquamur. Cui vitio, ut diximus, popularitatis color, & honeſta in ſpeciem ratio patrocinatur, ideo verum & æquum eſſe omnium deſideria audiri, omnium preces admitti, ne cuiquam juris experiundi poteſtas intercludi videatur. Nihil æquius dici poteſt, ſi ſano judicio res æſtimetur; ſed nec quicquam capitalius publicæ ſecuritati, ſi hoc perfugio licet abuti ad eludendam vim rerum rite judicatarum, & reſcindenda decreta ordinis ampliſſimi. Neque enim prudentiam tuam fugit, Vir illuſtriſſime, quanta labes vitilitigatoribus per hanc feneſtram aperiatur ad producendos clientes longo litium ſufflamine,

ne, ut tandem vel ſumptibus attriti jus ſuum perſequi non poſſint, vel moras pertæſi, damnoſis conditionibus paciſci cogantur. Cui incommodo recte & ordine conſtitutiones hujuſce Regni proſpexerunt, quibus cum alia multa præclare ſancita ſunt, tum illud præſentiſſimum finiendis controverſiarum ambagibus, ne à ſuprema Curia provocatio eſſet, neu SCta retractare liceret, niſi duplici juris remedio, idque ſub multiplici conditionum temperamento. Nunc autem (cur enim ad ipſiſſimam veritatis vocem aures obturamus, atque obduramus? cur ad meridianam lucem oculos claudimus?) nihil tam parabilis copiæ eſt, ac pene dixerim tam publicæ mercis, quam reſcriptum impetrare ſuper libello ἀναψηλαφήσεως ſeu revocationis Arreſtorum. Vt jam ſuprema Galliæ Curia, cujus olim ſacroſancta auctoritas erat, nihil propemodum ex priſtina majeſtate retineat præter umbram magni nominis & inania dignitatis. Conſtitutiones autem Regiæ, quibus tamdiu ſtetit hoc imperium, pompæ tantum & oſtentui ſunt, ac vel uſu, vel contemptu paulatim exoleſcunt. Hanc temporum labem ſinguli in ſermonibus palam averſamini, ſed ubi in rem præſentem venitur, univerſi vel diſſimulatione ac ſilentio, vel levi & perfunctorio diſſenſu publicum dedecus tranſmittitis. Non poteſt quidem recuſari in hoc fatali rerum motu, tantoque armorum atque animorum ardore, quo minus multa incidant præter leges præterque morem majorum: ſed quo pluribus præſidiis nititur improbitas ad excutiendum imperii jugum, hoc arctius contentiuſque legum habenæ moderandæ ſunt. Nunc autem dum velut facto agmine ad veſtrum auguſtum tribunal confugiunt; qui vi, clam, & precario SCta tanquam rem ludicram figi refigi poſtulant, miſere diſcerpitur quidquid reſiduum erat dignationis in illo venerabili Iuſtitiæ domicilio: quod olim adeo illuſtri fama floruit, ut ejus religioni tanquam numinis oraculo principes exteri ſæpenumero ſummam rerum graviſſimarum concredere non dubitarint. Iuncti vix pares eſtis ad aſſerendam Regi majeſtatem, vim imperio, legibus reverentiam, populo ſalutem. quid igitur futurum eſt, ſi in diverſa, imo adverſa, mutuis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

æmulationibus diſceſſionem facietis? Atqui hoc agitur. Nam (ut jugulum cauſæ petam) non ſimpliciter poſtulant adverſarii, ut reſcindatur decretum Curiæ (quod ipſum ſatis grave eſſet ad eos ab omni judicio ſubmovendos, niſi viveremus moribus corruptiſſimis) ſed ejuſmodi rationes libello complexi ſunt, ut ſi eas admiſeritis, cauſæ non ſit, quin honeſtiſſimus ordo turpiſſimi dedecoris invidia oneretur. Ajunt Arreſtum refragari Conſtitutionibus, ac proinde nullius eſſe momenti: quæ oratio palam eſt adverſus omnes Conſtitutiones, utpote quæ ſupremo Senatui exprobret vel ſupinam Iuris ignorantiam, vel, quod fœdius longe, flagitioſam ejus depravationem, idque in cauſa, levato, ut dicitur, velo judicata, partibus utrinque diligenter auditis, & potiſſimum quidem ipſo adverſariorum advocato, qui litem peſſimam optime peroravit in tanta hominum frequentia & celebritate, quantam vix antea quiſquam meminerat. At hoc ipſum queruntur, & inexpugnabili ſcilicet munimento inſiſtunt, quod cauſam ejus generis fuiſſe contendant, ut ab Inquiſitionum concilio cognoſci debuerit, non autem in auditorio expediri. Sed præterquam quod inſignis arrogantiæ eſt, præfinire talibus viris quem modum ſequi debeant in decidendis reorum controverſiis, ſi jure & cauſa non veteratoriis artibus confiderent, ultro optandum hoc illis erat, ut in luce & oculis omnium veritas clarius exſplendeſceret. Quamvis autem auctoritas ſtatuentium pro omni ratione ſufficiat, nec decretorum cauſam aut reddi ſemper expediat, aut exquiri oporteat; tamen dubium non eſt quin Curia publicæ dignitatis intereſſe cenſuerit, ut extraneis nomini nationique Francorum amiciſſimis jus hoc pacto diceretur. Denique eo inſolentiæ prorupêre noſtri antagoniſtæ, ut Senatorum fidem & judicandi religionem in dubium vocarent. Qua in re nimis injurioſe illuditur viris & à vita & à fama integerrimis, ut de perſona nihil dicam quam in Republ. ſuſtinent, cum eorum nonnulli jam tum in ſanctioris Conſiſtorii ordinem eſſent allecti, cum SCtum de conſilii ſententia promulgatum eſt. Itaque per eorum latus veſtra amplitudo petitur, veſtra auctoritas ſau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſauciatur. Nec vero patrocinium noſtrum deſiderant homines iſti ornatiſſimi, ut & ſententiam ſuam ab omni calumnia, & exiſtimationem à turpi nota vindicent. Porro autem an id juris erit verſutis hominibus poſt rem judicatam, quod ne rebus quidem integris leges & inſtituta Regni concedunt, ut univerſus ille ordo rejici ac recuſari poſſit: cum haud dubia ratione juris plura permitti ſoleant ad hoc, ne quid conſtituatur, quam ut rite conſtitutum ſubvertatur? Ad ſummam nihil afferunt quare Arreſtum revocari debeat. Nam quia poſſit, quanquam exemplo perniciosum eſt, & antiquitus inſolens ac pene inauditum fuit, tamen quoniam ita ſe mores habent, ut hæc flagitia pro nihilo habeantur, extremæ dementiæ fuerit, adverſus ſtimulum calcitrare. Ac tametſi haud quaquam par videtur, ut communem ſæculi invidiam ſubterfugiamus, & præcipuam aliquam ſortem poſtulemus: tamen ſi nec jus nec ratio à nobis ſtarent, veſtra magni refert hanc in primis cauſam nullo modo retractari, ne vileſcat magnifica illa opinio, quæ penitus in animis exterarum gentium inſeſſit de veſtra & in cognoſcendo diligentia, & in judicando religione, & in exequendo auctoritate. Vobis enim qui cum imperio eſtis, & in excelſo ætatem agitis, non officio ſolum ut cæteris mortalibus, ſed famæ in primis ſerviendum eſt, cujus puncto maximarum ſæpe rerum momenta ſtant aut cadunt. Nec vero idcirco intercedimus, quin lis de integro inſtauretur, quod cauſæ noſtræ aut æquitati veſtræ diffidamus, (aut enim in tuo tribunali veritas ſeſe ab omnibus calumniarum tendiculis extricabit, aut ex eo loco depulſa, ſedem ubi conſiſtat nuſquam habebit) ſed hac mente declinatoriam fori exceptionem objicimus, quia nec jus permittit, nec amplitudo veſtra patitur, nec publicæ exiſtimationis eſt, nec in rem noſtram communem, ut iterum audiatur qui contra diſciplinam priſci ævi, contra legem & conſtitutionum formulas, per libellos injuriarum plenos, rationum inanes, facilitati veſtræ obrepſerunt. qui ut majore cum apparatu negotium nobis exhiberent, fallacibus blandiciis & contumelioſi honoris obtentu, perſuaſerunt fortiſſimo heroi Bironio Gallia-

rum

rum thalaſſiarchæ, ut huic cauſæ nomen atque auctoritatem commodaret. Poſtremo, ne quid ad explendum fraudis cumulum deeſſet, hominem ſubornarunt, qui cum abhinc multis annis literas repræſaliarum ſeſe à Rege obtinuiſſe venditet adverſus Hollandos & Zelandos, tum demum arripuit tempus inſtituendæ actionis, cum jam decretum Senatus executioni mandaretur. In quo colludio præſumptio mero meridie clarior deprehenditur, ut taceam quam nullo jure, pravo more, peſſimo exemplo, contra Regis edictum, contraque rationem æquitatis, inimiciſſima lite experiatur adverſus gentem, vobiſcum & fœdere arctiſſimo & amore fideliſſimo devinctam, &, quod hîc rei caput eſt, cauſa conjunctam. Quæ cum ita ſint, fidem tuam imploramus, Vir ampliſſime, conſerva, quod in te eſt, vim legum, jus imperii, dignitatem clarorum hominum, judicia ſupremi Senatus; occurre fraudibus & malitiis veteratorum, medere injuriis ſociorum. Id ut fiat ſuppliciter rogamus, ut quæcunque actiones petitioneſve in interiore Conſilio contra nos inſtitutæ ſunt; ſive ad evertendum Curiæ decretum, ſive ad interpellandam ejus executionem, ab iis & univerſis & ſingulis abſoluti dimittamur, ſalvo jure, ſi ita videatur, adverſariis relicto: ut ſi quas actiones petitioneſve ad eam rem jure comparatas habent, iis utantur coram prædicta Curia Parlamenti, ad quam remitti poſtulamus, & eoſdem adverſarios, nobis condemnari in litis expenſas, damna & intereſſe.

EPISTOLA VI.

Viro Illuſtri I. A. Thuano S. D.

VT primum in hanc urbem veni, nihil mihi potius, quam ut Te per litteras compellarem. Perlatæ fuerint necne prorſus incertum habeo. Quod quidem fero permoleſtè, non quod tu jacturæ quidquam facias. Cares enim litteris inſulſiſſimis, ſed quod multa mihi liberius dicta inerant, quæ nolim in alienas manus pervenire. Fui equidem impudentior, quam vel tua dignitas, vel meum de tua eximia indole judicium poſtulabat. Sed opinor id mihi juris ab humanitate tua condonari, ut citra offenſionem interdum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

dum licentius ineptiam. Lex eſt iſta epiſtolæ ut aliquando debeat alucinari. Quæ res efficit quo minus hanc culpam anxiè deprecer. Nec vero deterreor, quin eadem iſta ſæpius tecum agam. Non equidem diffidentia promiſſi tui, vel quod benevolentiam tuam in dubium vocem, ſed tædio hujus umbratilis & inutilis vitæ, quæ quaſi lignum caries, aut ferrum rubigo paulatim conſumit, ſi quid ingenui & generoſioris ſpiritus in me olim cognovi. Cauſſam habeo plus quam ſimplicem cur magis ſedem in Galliis figere in animo habeam quam in Belgio. Coram aliquid in ſermone injeci. Dicam abſens audacius. Primum quod omnia noſtra hoſtis tenet, ſi ea noſtra dici debent, ut vere Biantis altam vocem uſurpare poſſim. Deinde nos (patere me quæſo μεγαφρονεῖν) qui via non pervulgata ad bonam mentem adſpiramus, non magis iſtic ad res tractandas idonei cenſemur quam ὄνοι λύρας; vultures togati omnia virtutis præmia poſſident, bonis de præſidio dejectis, vel (quod deterius eſt) viri Mercuriales, quibus quam bene conveniat cum genere litteratorum, diſcimus magno noſtro malo. Denique (quæ ratio maxima) non poſſum à vobis divelli quamdiu ſpeculæ locum videro. Principem Dumbæum ad omnia laudis exempla genitum puto, ſi rectam indolem non diſtorqueant prava conſilia, vel ætas lubrica ad lapſum, in tali præſertim faſtigio. Omnia me conſecutum putabo ſi me illi fata conjunxerint, quod ut fiat maximè tibi in manu eſt. Ego interim aliquid παραινετικὸν in ejus gratiam muginabor, Vale Vir eximie, & nos ama. Datum Cadomi poſtridie Cal. Iunias 1591. Tui obſervantiſſimus D. Baudius.

EPISTOLA VII.

Viro illuſtri I. A. Thuano S. Dico.

ETſi graviter mihi accidit V. C. ut tibi oneri ſim cui nunquam uſui fuerim, tamen injuriam facturus mihi videor indoli tuæ magnificæ & ad omnem laudem natæ, ſi eo nomine me apud Te purgem, qui ita exiſtimas temet beneficium accipere, cum beneficus es in hominem non indignum. Ex hoc animi tui ſenſu volo equidem gratiam iſtam demereri,

& cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

& cum Tibi multum debeam, pergam porro pluri-
mum debere. Nec tamen certum aliquod beneficii
nomen poſtulo, tu, quid huic homini tuo judicio tri-
buendum eſſe videtur, optime omnium conſtitues. Cæ-
tera tempus, res, locus explicabunt. Illud cave, ne
amor tibi imponat, quemadmodum in iis litteris quas
ad Præſidem miſiſti. Senſi illico data illi verba, ita me
amice vir ille complexus & omnia benigne pollicitus.
Quid multa? non jam amplius patriam cogito, & vel
tenui conditione per hæc tædia temporum depaciſci
cupio, ne ab hac virorum humanitate divellar. Itaque
ego ille (patere quæſo me jocantem) qui olim heroi-
cum illud ſpe & cogitatione præceperam αἰὲν ἀριστεύειν
καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. nunc pulcre mecum agi
cenſeo ſi ſit qui me à contemptu vindicent. Hæc apud
alios eloqui non ſuſtineret θυμὸς ἀγήνωρ. ſed fretus
humanitate tua, libere & familiariter penes te depo-
no. Pereat inter nos illud ſecretum. Nunc quoniam
ſemel verecundiæ limites tranſii, nihil ultra diſſimu-
labo, nihil obtegam, ſed me totum tibi indicabo. In-
primis ſtrepitus iſte forenſis & canina facundia genio
meo valde diſconvenit, etſi non inficior me totum
biennium in eo vitæ inſtituto conſumpſiſſe, ſed (ne
mentiar) invita Minerva. Quanquam honorificè qui-
dem ſentio de iis qui cum laude habitant in foro,
lumenque conſilii porrigunt conſulentibus: & ſi verum
amamus, hic directus limes ad dignitates, nec fere
quiſquam Honori hodie litat, qui non huic Lavernæ
fuerit antea operatus. Libertatem meam vix poſſum
adduci ut cuiquam Magnati gratificer, ex quo ſpes
meas deſtituit meus ille Sedneius, cujus ex immaturo
obitu didici, quam ſit infidum fidere humanis opibus
& in brachio mortali ſpem reponere rerum ſuarum.
Si quem tamen honeſtiorem locum poſſem conſequi
apud aliquem virum magnum & magnificum, non
temere repudiem, οὐ γὰρ ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶ-
ρα. Quod ſi quiſpiam mihi detur ex primaria nobili-
tate adoleſcens, cujus ætatem litteris erudiam, mo-
ribus informem: næ ego illum ſi liberale ſit ingenium
ſortitus, omni laude cumulare contendam. Nec me
movent leves ac ſævæ mentes vulgi, qui totum hoc
genus

genus hominum ſcenica oſtentatione traducunt. Poſſum iſtam injuriam Stoico ſtomacho concoquere. Tua fide enim, ſi recta æſtimatione rerum dignitatem metimur, quid utilius hoc docentium munere in omni ſtatu bene conſtituto? ſed videlicet plerique magiſtelli committunt, ut digni videantur tali contumelia, dum vel morum ſordibus ſplendidam profeſſionem dedecorant, vel ita conſeneſcunt in umbraculis vitæ ſcholaſticæ, ut nihil ſit iis inſulſius in communi hominum conſuetudine, nihil ad res agendas ineptius. A quorum rationibus, quod in me eſt, maximè enitar diſſidere; ſed & hic & alibi tuo potiſſimum conſilio utar, ſi eſt ut eo nos impartiri non graveris. Vtinam donec hæ ſileſcant turbæ, donec iræ leniant, otium cum fructu ſuppeditaret litteris me penitus involvendi. Perficerem profecto ut ſtudiorum meorum ratio probè conſtaret. ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Iam pridem animo concepi opus, & tractatu arduum & uſu maxime neceſſarium, quod ipſum olim aggreſſus is, de quo nuper multus nobis ſermo fuit, Georgius Caſſander: Hic, tametſi nihil dicas, tamen auguror animo quid cogitationi tuæ occurrat, eſſe nimirum rem tantæ molis, ut eam vix mente complecti poſſim, nedum facultate conſequi. Fateor equidem ad hanc Provinciam deligi par eſſe hominem inſtructum omnibus ingenii ac doctrinæ copiis. Opus inſuper multiplici inquiſitione, varia librorum ſuppellectile, plurima rerum memoria, & (quod familiam ducit) pietate. Sed utilitatis magnitudo & penuria talium virorum, debet etiam ad hunc honeſtiſſimum laborem mediocres viros incitare, ut ſi à ſpe perficiendi abſint, ſaltem præclaræ voluntatis conſcientia perfruantur. Ego mihi conſcius ſum quam parum poſſim, ſed aggrediendi ſtudium probis omnibus me probaturum non deſpero. Deum certe confido piis conatibus adfuturum, in quem præcipuè intuens, id oneris tollere decrevi. Quod ſi ſaltem effecero, ut aliorum ſcribendi ſtudia excitentur, qui digne hanc Spartam exornare poſſint, nihil eſt quod me non aſſecutum eſſe exiſtimem. Sed de his tantum eſt. Aveo ſcire, niſi moleſtum eſt, quid de noſtris Poëmatiis D. Cardinalis judicârit, non quia ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

acquieſcam veſtræ ſententiæ, quos in hac cauſa & in omni controverſia litteraria ſcio eſſe judices maxime omnium competentes, & à quibus provocatio non datur. Sed illud ex te quæro, ecquid hic ſapiat. Equidem auditione acceperam, eum non mediocres progreſſus in litteris feciſſe, qua fama etiam impulſus, opuſculum ei inſcripſi. Sed noſti ingenium hominum proclive ad aſſentationem, & quam ſolemne ſit, largiora vero principibus viris affingere. Quam in partem inſciens plerumque, interdum etiam prudens peccavi blandiente materia & currente calamo. Parcius in poſterum id fecero & admonitu tuo & impulſu naturæ meæ, quam ab hoc ſervili vitio alieniſſimam eſſe poſſum profiteri. Non ſum ego Pelei filius, nec me genuit ἀργυρόπεζα Θέτις θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος. Vere tamen uſurpabo vocem Achilleam ἔχθιςός μοι κεῖνος ὅμως ἀΐδαο πυλῇσιν ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ, ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ βάζῃ. Certum eſt igitur poſthac, ut in vita, ſic in ſcriptis fidem venerari. Exceſſi modum epiſtolæ; vereor ut & modeſtiæ, qui tanto conatu tot nugas effutiam apud te virum gravem, & ut perſpexiſſe videor πολιτικώτατον. Lipſium ſi quid voles aut alium è noſtratibus cura ad me, videor hic futurus aliquantiſper. Vellem perpetuo ſi per bonam copiam liceret. Ægrè enim ægrè Galliam deſero, nec deſeram, niſi deſertus ab omni εὐελπίᾳ. Vale Vir Magne & nos amore tuo honeſtare perſevera. Datum Cadomi XVII. Kal. Iun. cIɔ Iɔ XCI.

Tuæ dignitatis Obſervantiſſimus D. Baudius.

EPISTOLA VIII.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. D.

Prulliacum.

ET otium eſt abunde, Vir clariſſime, & nihil eſt quod uſurpem libentius etiam in negotio, quam officium hoc literarium. Ita de me mereris, ut nullam grati animi partem præmittere poſſe videar, ſine nota hominis immerentis atque immemoris beneficii. Literas tuas ad Lipſium curavi perferendas. creber huc mercatorum noſtratum appulſus, idoneas opportunitates offert mittendi in Belgium quæ voles. Si quid habes, qui rempublicam literarium pergas juvare,

vare, cujus tu dignitatem in Galliis ſolus, certe cum pauciſſimis ſuſtines, arripe hanc occaſionem. Injurius ſis, ſi dubites quin à me omnia fient cum fide & cura, quæ te velle cognovero. Quanquam recens hæc inter nos notitia eſt, tamen nihil metuo ne quid tibi metuas à noſtra manu, quam puram à ſtellionatu eſſe vel Lipſius ipſe præſtabit; quem fidei cauſſa per literas advocabo, ſi mihi parum fidem habere inſiſtis. Nec moveor quod leges non admittunt facti alterius fidejuſſorem. tam acuto enim homini mores mei imponere non potuerunt, à cujus quaſi manu factus ſum ἐκ τῶν προσόντων ὀνύχων. Sed reprimo me, ne prorſus depudere videar, ſi porro tam familiariter tecum fabuler. Ego hic aut alibi in hoc regno ſedem exilii circumſpicio. ignoſcat mihi genius patriæ, plane non teneor revertendi deſiderio. Ea de re ſæpe coram egi cum D. Thuano, & abſens per literas. Theſaurum boni mihi reperiſſe videor, cum eum virum opera tua nactus ſum amicum. Conditionem mihi proſpexit non aſpernandam, ut hæc tempora fluunt; ſed eo loco res meæ ſunt, ut exſpectandum habeam tantiſper dum reſponſum è Belgica recepero. Si apud Principem locus aliquis honeſtior mihi detur, omnia me conſecutum putem. Faveo intime adoleſcenti ejus virtuti, &, ſi primos aditus veſtra mihi commendatio aperuërit, cætera (ut ſpero) ex animi ſententia procedent. Datum Cadomi, XIII Kal. Iul. CIↃ IↃ XCI.

EPISTOLA IX.

Carolo Borbonio Regia ſtirpe indole Principi & Cardinali Dom. Baudius.

[*Præfixa Iamborum libro Cæſaroduni Turonum edito Anno* 1591.]

PRæſagit mihi animus, ô Princeps, fore ut in reprænhenſionem incurram, & imprudentiæ, quod has ineptias in lucem exire patiar, & impudentiæ, quod eas illuſtriſſimo nomini tuo inſcribere non dubitarim. Quare, quam legem aliis aut voluntas indicit, aut conſuetudo præſcribit, eam mihi neceſſitas imperat, ut breviter conſilii mei rationem proponam, quæ ſi æquitati tuæ probabitur, utriuſque culpæ ſuſpicionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cionem à me propulſabit. Equidem fateor, quod ſine inſigni arrogantia negare non poſſum, tutius hæc iſta latuiſſet intra privatos parietes: veruntamen quando hæc ſcripturiendi licentia, nec lege nec more coërcetur, qui minus & nobis jus ſit jure publico uti? Sed quoniam hæc ratio magis pravitate conſuetudinis, quam regula æquitatis nititur, utar alio perfugio, quod probis probatum iri maxime confido. Non enim mei fiducia ſubnixus hunc informem partum tollendum putavi, ſed hortatu incitatus magnorum hominum, ex quibus etiam non nemo apud tuam dignitatem plurimum valet. Ac, ut alios tacitus prætercam, dabo unum non aliquem è multis, ſed in paucis plane ſingularem, Ioſephum illum Scaligerum, cujus vel auctoritate judicii, vel (ut potius interpretor) teſtimonio benevolentiæ ſic afficior, ut cæterorum hominum nec laudes ambitioſe aucuper, nec criminationes vehementer extimeſcam. Si qui vero hæc honore editionis indigna judicabunt, quod Poëſim in univerſum aſpernentur, ii ne reſponſione quidem egent, ſed contemptu ſunt & ſilentio dimittendi. Quis enim liberaliori ingenio natus, unquam ab hac ingenua animorum remiſſione abhorruit? Imo quis potius, tametſi durior eſſet ad humaniores Muſas, non tamen eas in aliis dilexit? Cautio hîc tantum, moderatioque tenenda eſt, ne ſint (quod veteri verbo dicitur) prora & puppis ſtudiorum. Nati ad majores & meliores curas ſumus, quam ut ibi tanquam in Sireniis ſcopulis prorſus obhæreſcamus. Condimenta ſi mere ſumantur, nec eſu grata ſunt, nec uſu ſalubria: ſimiliter hic paſtus (ut ita dicam) ingeniorum, obeſt magis quam prodeſt, niſi ſolidioris doctrinæ dapem quis adjunxerit. Sed de Poëſeos patrocinio minime mihi laborandum eſt: habet illa quibus & auctoribus & rationibus cauſſam ſuam pulchre tueatur, ut potius malignitatis nomine ſuſpecti eſſe debeant, qui ejus contemptum præ ſe ferunt; quam aſſentationis, qui de ea honorifice & loquuntur & ſentiunt. Hîc mihi jure objecerit quiſpiam, Poëſim quidem eſſe quantivis pretii, ſed hæc noſtra non videri ex tali nota, ut in publicum prodire mereantur. Quæ res ancipitem & lubricam defenſionis conditionem mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

mihi objicit. Quid enim? Munus iſtud exornem verbis? Nihil fieri poterit me inanius. Contemptim deteram? Nugas egero. Optimum igitur factu puto, totam hanc partem omittere, ne vel in ſuperbiæ crimen manifeſto impingam, vel ſpecie deprimentis, occulte ac ſcurriliter me ipſe extollam. Tu, magne Princeps, ſi huic opuſculo manus admovere non gravaberis, pro tua ſingulari prudentia in omni genere literarum, optime omnium totam hanc litem dijudicabis: Si eſt ut placeam, cauſſa jam omnis perorata eſt: probeque mihi conſtat utriuſque facti ratio, cur & publicaverim iſta, & publicaverim ſub tutela & præſidio tanti nominis. quod caput erat alterum repræhenſionis. Si tua tantum quid amplitudo poſtularet, reputare voluiſſem, nunquam equidem adeo frontem poſuiſſem, ut talem perſonam rebus tam frivolis impartirer. Sed videlicet ita eſt. quanta ampliora meretur excellens ille tuus & vere princeps animus, tanto modica benignius interpretatur. nec minus magnificæ indolis eſſe cenſes, pauca & parva munera libenter accipere, quam multa & magna liberaliter elargiri. Quod autem videri poſſim hac nuncupariuncula, benevolentiam tuam demereri ſtuduiſſe, tantum abeſt ut hujus ambitionis invidiam deprecer, ut etiam ultro profitear, nihil mihi hac re poſſe optatius evenire. Quis enim vitio vertat homini non penitus bonarum artium rudi, ſi per bonas artes ad tuam gratiam aſpirare audeat, quam nemini bono interclusam eſſe patitur inſignis & omnium ore celebrata humanitas quæ in te eſt? Rara ſane virtus in tali fortuna, tamque illuſtri faſtigio dignitatis: ſed quo rarior, eo præcipua admiratione dignior. Quæ ſi hunc hominem reſpicere dignabitur, noſcet olim forte poſteritas ex aliquo gravioris curæ, & ſeverioris doctrinæ monumento, cultum & obſervantiam erga te meam. Nunc (quod in me eſt) heroicas tuas virtutes voce mea & ſtilo auguſtiores, religione ac ſilentio venerabor. Cæſaroduni Turonum CIↃ IↃ XCI.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA X.

Amicis ſuis Dom. Baudius æger S. D.

QValem paludis ſtagna propter Aſiæ
Ferunt olorem, cum ſibi ultimum diem
Inſtare ſentit, præficam mortis ſuæ
Mœſtum ciere flebili carmen tono:
Sic tortus acri febre ter quinos dies,
Quam mortualem natio Galenica
Conſentit, & mens ipſa præſagit mihi:
Fato propinquus ordior ſummum melos,
Erecta dum mens corpore afflicto veget.
Dulces amici, Baudius vobis abit
Lubens & ultro, patriamque cogitat,
Perfunctus hoc errore, jam portum ſubit,
Sacroque morſu figere anchoram parat.
Vos, ſi quid in me dignum amari quod foret
Amaſtis unquam, præter hoc iners onus,
Quod palpitat nunc, ſpiritu pauxillulo
Donante vires, & vetante adhuc mori,
Mox funus atque fumus ut deceſſerit
Animæ ſalillum ventuli flabrum levis;
Ne quæſo, ne vos error in fraudem trahat
Fallace fuco humanitatis blandiens,
Vt his ſolutum corporis compagibus
Me funerali lugeatis nœnia,
Turpique planctu: quippe tum demum fruar
Vita, vocari vita quæ vero meret,
Non hæc mali taberna, curarum mare,
Palæſtra luctus, officina cladium,
Fomes dolorum, mors (ut abſolvam) mera,
Quam morte nunc relinquo non ingratiis,
Parere promptus imperatori Deo,
Cui militat gens omnis hæc mortalium.
Is nos in orbe, ſicut in ſpeculâ, ſitos
Vitam tueri & ordinem ſtatum jubet,
Vetatque ne mortalis injuſſu ſuo
Migrare ſumat; cum vocat, ſequi decet,
Citiuſque dicto complicare ſarcinas.
Hac lege jam nunc Baudius vobis abit,
Suoque reddit pondus hoc ſoli ſolo.

Perit,

Perit, perire quod jubet fatalitas,
Mortale corpus, mentis hoc ergaſtulum;
Quod ventilante nunc fovetur aurula,
Mox triſte viſu erit cadaver, naribus
Abominandum, putris eſca vermium.
Manet, manebit uſque perpeti fruens
Ævo, ſupernæ quam vetant leges mori,
Mens orta cœlo, flamen auræ numinis,
Pars illa noſtri perſpicax, intelligens,
Quæ nil caducis imputat parentibus.
Dulces amici, forte Vos tanget dolor
Florem ſub ipſum quod juventutis meæ
Terras relinquo: ponite hanc curam boni,
Vanaſque corde imagines ſecludite.
Vixi & peregi limitem fati ratum
Quem promovet vis nulla, nec fraus ſummovet.
Quid porro longum de die dies habet
Æternitati comparatum, ſeu puer
Vitale lumen ortu in ipſo deſerat,
Seu quis triſæclum Neſtorem vivat ſenex?
Mors certa tandem ſerius vel ocyus,
Id omne tempus quantulum quantum eſt, trahit.
Tacente curſu labitur nobis dies,
Labuntur anni, nec refunditur rapax
Quod hora carpſit, nec quid Heſperus vehat
Homini liquere providum Numen ſinit,
Ne quis creatus ſtirpe mortali ſupra
Mortalitatis jura ſuſtollat caput.
Incerta vitæ portio certas vetat
Spes ordinare mente, longinquas brevis.
Quod ſi decente res inibimus via,
Non temporum tenore, ſed laudum modo
Determinanda eſt vita. ſat vixit diu
Quem non pudet vixiſſe, nec piget mori.
Sed magna pars mortalium vivunt parum,
Quamvis vetuſtate horridi, & ſæclo putres
Mortem merentur Aggerontis pabula,
Graves veterno, quos ad ætatem exitam
Perducit actum oblivione ingloria
Volumen ævi fluminum ritu fugax.
Nos nec malignus ipſe livor arguet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Vitam obruiſſe deſidi ſilentio,
Reconditaque torpuiſſe inertia:
Nec forte, ſi fiducia eſt ſui bonis,
Deerunt nepotes nomen hoc ſuperſtiti
Signare fama. Teſtor antiquam Fidem,
Nihil fuiſſe antiquius fide mihi.
Prudens doloque neminis læſi decus
Seu littera, ſeu voce. parſi ſedulo;
Vnum id ſtudens probatus ut forem probis:
Qualis Donellus, Anteceſſorum jubar,
Vir examuſsim factus ad Gallam nivem,
Expers doloſæ fraudis, & plenus fide.
Qualis ſmaragdus Galliarum Scaliger,
Doctrinæ abyſſus, ingenî miraculum.
Quales virûm flos ille Douſa, Lipſius:
Apollo vatum Douſa, Lipſius pater
Scientiarum, flumen eloquentiæ:
Qualis meorum grande amicorum decus
Et hoſpes & cor Gratiarum Rulſius.
Qualis venuſto Nanſius placens ſale,
Vulcaniuſque Cypridi dilectior
Ferritribace. Qualis alter ille ego
Blipyrgus, acer nominis vindex mei,
Qua carminum lepore, qua ſermonibus.
Cui laude junctus & pari concordia
Manmaker uſque adhæret, Italum ſales
Attemperare Belgico ruri ſagax.
Tum magnus ille lectionis helluo
Scheperus, ungue mens polita non rudi;
Cum queis morantem ſæpe combuſsi diem
Oratione vinula, venuſtula,
Sed innocenti, qualibus ſcatet jocis
Lingua irrigata flore Liberi patris,
Intra modi modeſtiæque terminum.
Tres præter omnes nobili fama viros
Cultu Philippos proſecutus ſum meo:
Te cœlitis, Mornæe, felicem ſtili;
Te, clare Sidnei, quem diurnare haud tulit
Virtus in orbe, ſas ubi verſum ac nefas
Terriſque ademit debitum cœlo decus;
Te, magne Marnix, providens vir & graves

Per-

Perpeſſe curas patriæ rebus ſuper:
Cui plura debent adminiſtri Belgicæ,
Quam vel Camillo Roma, vel Themiſtocli
Gens Atticorum, ſed pari modo lucra
Damnis rependunt, & malo mulctant bonos.
Villerium-ne oblivione tranſeam
Primo mihi ſummoque dicendum loco,
Cœleſte pectus, cujus ex reconditæ
Mentis ſcatebra, flos medullaque eloqui
Sermone dia vena limpido fluit?
Nec te ſileri, Erarde, fas verſu meo,
Sublimis heros, nate raras adſequi
Seu mente laudes, ſeu duellica manu:
Campus pateſcat indoli tantæ modo;
Tu Belgicam rem fulcies Atlas novus,
Dabiſque noſtro Xenophontem ſæculo
Clarum gemellæ Palladis virtutibus.
Quid Tranſaquani candidum pectus loquar,
Maſſiſiumque exemplar antiquæ fidei?
Quos in parentis ambo dilexi locum
Memor peractæ his regibus puertiæ,
Gratuſque amorum: vos ego abſentes ergo
Per ſolis almi lumen hoc ſpirabile,
Quod forſan iſta luce poſtremum tuor,
Per fas, per omne humanitatis vinculum,
Vos, inquam, alumnus veſter obteſtans rogo,
Veſtras ut aures accidet rumor gravis
Me jam fuiſſe, fortibus ſolatiis
Levate matris ægritudinem meæ:
Quæ miſera luctu incendet & ſeſe & ſuos
Amore victa, vim tametſi maſculam
Mentemque verſat imbecillo in corpore.
Si munus iſtud impetraſſo, perfice
Mors quod minaris: nil moras vitæ moror,
Ne ſupplicatum me tibi ire cenſeas.
Ergo, ut revertar denique unde abiveram,
Hos atque tales mente complecti viros,
Summum eſſe duxi ornamen ætati meæ.
Pravos ſodales, ſuſcitabulum probri,
Morumque peſtes, angue pejus horrui,
Damnoſa ne quid affricaret hæc lues.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Suſpectionum occulta tela nec nimis
Sprevi, nec æquo plus refugi, ſat ratus
Præſtare culpam, futiles & impetus
Calumniarum eludere innocentia.
Quid quiſque dicat ſive muſſet, in manu
Non eſt; ſed illud, vera dicat an ſecus.
Eſt invidorum, ſemper ut culpent bonos.
Virtus decore ſat nitet ſuo, neque
Vulgus moratur pluriumque gratiam,
Contenta ſemet atque paucioribus.
Laudem profectam ab ore laudati viri
Benigna ſumit, non acerba flagitat.
Dum me vel uni conſcientiæ probem,
Externa quid laus addet, aut demet probrum?
Integritate fretus unica, nigrum
Dentem retundam. murus hic aheneus
Vacare noxa, ſummus hic apex boni.
His moribus me inſuevit optimus pater,
Probique cultus, indoleſque ſimplici
Propenſa recto. non marina me Thetis
Tulit ſub auras Pelei partu ſatum;
Vere illud uſurpabo Achilleum tamen,
Odi inferorum januis atrocius
Qui corde condit verſipellis, ac duplex
Diverſa ab iſtis ore quæ promit ſuo.
Fraudum involucra & tortuoſos tramites
Cavens pavenſque, regiam inſtiti viam.
Sed me malum ſolenne magnis mentibus
Tenello ab ungue ſemper uſque in hunc diem
Vexavit ingens appetitus gloriæ,
Et ardor inter eminere compares.
Quin peſtilens hic morbus & nunc me tenet,
Inſanientem laude poſtera frui:
Nec mentis æger mitius quam corporis
Mortem ſub ipſam paſcor eſca inanium.
Quid porro amores dicere inſequar vagos,
Secuſque molle quod perivi perditus,
Vires virumque deſtruens libidine?
Hæc comitatis voce adultera vocat
Mos incitamen pravitatis inſitæ:
Sed regna cœli non patêre his comibus

Divina

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Divina vox proclamat. ô clemens pater,
Si pœnitentes æquus audis, te precor,
Ignoſce, crimen & remitte ſupplici:
Non iſtud unum crimen, ô clemens pater,
Culpas ſed omnes gratioſus expia
Cruore nati, queis & errans & ſciens
Conceptu ab ipſo numen excivi tuum
Triſtes ad iras, dignus æternum mori
Si noxias appendis ad juſti modum,
Vindexque pœnam ſumis offenſæ parem.
At, tu, profuſi amoris immenſum mare
Gnato, pater, non ipſe parſiſti tuo,
Quem mittere es dignatus ut mortalium
Labes atroci morte luſtraret ſua,
Piacularis innocenſque victima,
Pœniſque ſuccidaneum noſtris caput.
Huic acquieſcens porrice à vultu tuo
Meos reatus, quantum, ab Eoo mari
Cubile ſolis occidenſque diſsidet:
Vt labe purus, integerque criminum,
Summi tribunal ſiſtar ante judicis,
Mixtus beato cœlitum cœles choro.

Valete. Scipſi in morbo, Cæſaroduni Turonum.

Epistola XI.

Ianus Douſa Fil. Dom. Baudio meo S. P.

Cadomum.

Deum Immortalem! itane rumoribus diſtulerunt homines ventoſiſſimi, ſubroſtrani inquam iſti & aſſidui cives, qui, ut Plautus noſter inquit, omnia ſe ſimulant ſcire, neque quicquam ſciunt? ita nunc vivus, nunc mortuus, nobis pene præ deſiderio animam agentibus quotidie nunciabaris, ut mihi Virbius alter videreris aut Androgeon, quos Æſculapius vitæ reſtituit: neque id ſane de nihilo, ut video ex Iambis tuis. certe, niſi literæ tuæ aquam modo aſperſiſſent nobis, in perpetuum mihi animo & cogitatione non ſolum conſpectus tui, quo jamdiu careo, ſed & ingenii ſuaviſſimi diſtractio, diſcidium ac vaſtities venerat. Quod te quæſo, mi Baudi, ne diutius fiat; & literarium hunc ſermonem paulo magis frequentemus, quoties occaſio tulerit. Lipſius ad Leodienſes fontes ſeceſſit ad tempus, valetudinis cauſa. itaque li-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

teras cum libellis veſtris curavimus per ipſius uxorem; prius tamen operculo deducto, ut ille nobis permiſerat qui ferebat; ſuſpicatus aliquid ineſſe quod ad nos pertineret. nec fefellit nos opinio, ſiquidem Scaligeri literas reſignatas invenimus, in quibus quum Patri ſalutem adſcripſiſſet, non potui non ad illum etiam aliquid dare, quod ſaltem grati animi ſignificationem præ ſe ferret. Librum meum etiam recens editum adjunxi, quem, obſecro te obteſtorque per communia Muſarum ſacra, ut ad illum literarum unicum Dictatorem, cui te propius innotuiſſe gaudeo, una cum epiſtola perferendum cures. Omnia à te mihi data putabo, ſi id feceris. Pater ſalutat te plurimum. Vale, Lug. Batav. IV. *Id Sextiles* CIↃ IↃ XCI.

EPISTOLA XII.

Iano Douſæ patri Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QUantum animo dolorem perſenſerim ex abitu Lipſii noſtri, Vir illuſtris, poſtquam intellexi non eſſe reverſurum, ſatis opinor tibi liquet, etiam me tacente. Angor enim intimis ſenſibus, & Academiæ cauſa, cui ex animo velle debeo; & mea, qui graviſſimo adjutore orbatus ſum ad ſpem cogitationum mearum, vel auctoritate confirmandam, vel commendatione promovendam. Sed privato meo dolori hæc conſolatio moderatur medeturque, quod intelligam multis primariis hominibus minime obſcurum eſſe amorem, quo me magnus ille vir dignum habuit, quem complecteretur, & extat fidei cauſa non ſimplex ejus rei teſtificatio publicis etiam tabellis conſignata, quod ego in potiſſima ratione felicitatis pono. Lugduni me veſtri cura magis ſollicitat, cui quod tale lumen lucere deſiit, vereor ut major aliquis caſus impendat, ne occaſum ominer. Nec de culpis dicere attinet, quæ ubicunque reſideant, penes nos certe dolor hæret, ſive mœror potius; cui non aliunde medicinam proſpicio, quam ſi diſpiciatur ut non indignus Hercules ſuccedat huic Atlanti. quod tibi pro ſingulari doctrina & amore in doctos magnæ curæ eſſe certe ſcio. Mihi in mentem venit D. Ioſephi Scaligeri, qui vir eſt ille unus & unicus qui tantam molem excipere poſſit. Nec deſpero quin ſe exorari patiatur, ſi pronis

animis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

animis huic cauſæ incumbamus. Nihil mihi arrogabo inſolentius, ſed fruor hac amabili opinione, ut exiſtimem per eſſe paucos è gente literatorum (nam & ego me una ibidem traho) quibus ea neceſſitudinis jura cum illo homine intercedant, quæ mihi. Totum illud quidem, certe optimam partem, moribus ejus imputo, non meritis meis, quæ ſcio quam ſint exigua. Sed quanti id refert, ſi tamen conſit quod volo? Niſi forte ſimulat; quæ labes non cadit in tam candidam mentem. Studium hic meum non deerit, modo tibi tuiſque collegis ea res volentibus ſit, Curatoribus, inquam, Academiæ. De ea re quid fieri placeat, verbo, niſi moleſtum eſt, fac me certiorem. Si operæ erit, excurram ad vos. Propediem in Galliam cogito, & quidem haud procul ab eo loco, ubi habet Scaliger: eadem opera quod in me eſt accuravero, ſi quid huic homini mandatum vultis. Vale, nobiliſſime Douſa. Datum Middelburgi XV. Kal. Octobreis. cIↃ IↃ XCI.

EPISTOLA XIII.

Iano Douſæ Filio Dom. Baudius S. P. D.

Lugdunum Batavorum.

SCriptio tua mihi vehementer grata accidit, index amoris in me tui, cui tanto impenſius reſpondebo, quo plures mihi cauſæ ſunt, quamobrem eximias animi tui dotes æſtimem atque amplectar. Legi ſerio primum librum ſerii operis, & de re maxime ſeria: ſi cætera ſint ad iſtud exemplum, noli diutius invidere & nomini tuo immortalem famam, & nobis ex lectione voluptatem conjunctam cum magno fructu. Cæterum, quanquam hoc ſtudii genus & ad ingenuam animi oblectationem aptiſſimum ſit, & maxime dignum in quo ſe exerceant præclariſſima ingenia, tamen quoniam ita natus es, ut tibi aliquando in luce & oculis Reip. vivendum ſit, vide etiam atque etiam, mi Douſa, ne ita Cœlo defixus hæreas, ut te capiat oblivio, quid terreſtri patriæ debeas, quid majoribus tuis, quid iis omnibus majori parenti tuo. Si in Platonis rep. verſaremur, adeo non reprimerem oratione mea generoſam hanc indolis tuæ contentionem, ut etiam hortatione accenderem magis: ſed ut tempora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſunt & mores hominum, hæc ſecta ratioque ſapientiæ relinquenda videtur iis, qui in tractatu talium rerum ita ſe dedunt, ut nihil aliud acturi ſint in omni vita. Tibi autem lex quodammodo impoſita eſt, ut eas potiſſimum artes perſequaris, quibus ad res gerendas & ad civilem prudentiam informamur. Hæc me ſcribere amor impulit, qui in te magnus eſt, eritque dum ero. Vale flos adoleſcentum, & me ama. Datum Middelburgi XV. Kalend. Octobr. cIↃ IↃ XCI.

EPISTOLA XIV.

Eximio Viro D. Iacobo Auguſto Thuano Baudius S. P. D.

INopinata hæc & ſubita profectio Ampliſſimi Præſidis, nec otium mihi permittit ut longo ſermone te morer, nec ſilere prorſus patitur. Ita enim de me immerente meritus es, ut nullum officii ſtudiique genus prætermittere poſſe videar, ſine nota hominis ingratiſſimi. Quodſi ſecus eſſet, meum tamen de ſingulari tua virtute judicium efficit, ut Te omni obſervantia ultra complectendum habeam. οὐδὲν πρὸς ἡδονὴν λέγω· etſi ἥδιστον ἄκουσμα ὁ ἔπαινος. Sed certe tu non is es, qui quid ſis neſcias. Ego ex animi ſententia conceptis verbis jusjurandum dabo, nihil eſſe quamobrem magis triumphem, quam quod hunc hominem non indignum cenſueris honore amicitiæ tuæ, quodque eum de meliore nota commendaveris viro omni laude cumulatiſſimo D. Præſidi, cui haſce litteras perferendas dedi. Rogo vos obteſtorque, Viri Ampliſſimi, ut quoniam mea cauſſa cæpiſtis velle, cum occaſio ad eam rem feret, memineritis interdum amiculi, cætera forte nihili, veſtrum autem & proborum omnium obſervantis, ut qui maxime. Valete & vincite. Datum Cadomi XIV. Kal. Ianuarias auſpices anni cIↃ IↃ XCII.

Pro ingenio liber, pro imperio tuus D. Baudius.

EPISTOLA XV.

Erico Dimmero Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

VIde, quantam mihi licentiam tua humanitas indulgeat: obſignatis literis, quas ad Blyenburgium noſtrum mitto, commodum mihi in mente

mente fuit omiſſam eſſe clauſulam ſalutationis ad te, quam tametſi ex æquo & bono ſupplere poteras, quæ tua eſt ἐπιείκεια, tamen veritus ne tam ſupina incogitantia dolo proxima videri poſſet, habebant in animo eas reſignare, ut latæ negligentiæ pœnas darem; ſed (ne quid fingam) piguit reſcribere; ſimul aptius viſum eſt & ad compendium laboris & ad juſtam ſatisfactionem, ſi apud temet judicem & in tuo tribunali litem hanc perorarem. Et hæc ſumma eſt purgationis meæ. Tu de ea re quid fieri placeat judica, & nos ama. Vale. Cadomi, XII. Mart. Anno CIƆ IƆ XCII.

Ioanni Duyſtio plurimam à me ſalutem nuncia, itemque Henrico Stormio, & cæteris amicis.

Quoniam impenſe faves nugis noſtris poëticis, exiſtimavi facturum me tibi, atque adeo Blyenburgio noſtro rem non ingratam, ſi hic ſubjicerem carmen quod rogatu primarii cujuſdam viri conſcripſi in tres Profeſſores Iuris, homines non alia re dignos quam irriſu; nec aliud hic ſecutus ſum. Vos item communiter utimini hoc munuſculo, & ridete. Argumentum non ediſſeram pluribus, ne in re ludicra ſerio deſipiam.

In tres Iuris perverſores.

TRes legulei præſidem juris Themin
Illiberali virginem cuſtodia
Servant, ſtudentque habere propriam ſibi.
Pluma ſuperbit unus, & ſi quid magis
Pluma eſt inane Pavo, non Saturniæ
Dilectus ales, ſed vetuſtate ac ſitu
Putris, ſcreator, & veternoſus ſenex.
Qui dum puellis vixit aptus, & virens
Vigebat ætas, perlitavit Cypridi
Quantum pote, & væſaniente faſcino
Perambulavit omnium cubilia,
Salaciæ ſequeſter, & gurges ſtupri.
Nunc funerata parte, qua ſola virum
Seſe approbabat, lectulo affixus miſer
Sub æſtuoſæ vapulat Pſoræ jugo,
Vivamque mortem & mortuam vitam trahit
Vivum cadaver, ac ſuperſtes jam ſibi.
Alter Columbus nomine atque inſcitia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Famam obtinebat alitis Dionei,
Ni prodidiſſet cuculum turpis ſonus.
Hic anteceſſor imperitiæ merus
Vix indipiſci gratia ac precio poteſt
Quenquam, vacivas qui ſibi aures commodet,
Doctore ut iſto (qui magiſter unicus
Hac arte præſtat) ſapere condiſcat nihil.
Poſtremus ille nuperus Novitius
Hoc ſe Venerium fors putat nepotulum
Vulcania de gente quod natus cluat.
Et ille curva nempe nobis corrigit
Qui mente curvus, curvus omni corpore
Serpentis inſtar beſtiæ pedem ſtruit.
Horum omnium ſi detur optio mihi,
Diti voverem de tribus nequiſſimum,
Auferre vellet ut duos ſuperſtites.

Valete, & plaudite. Calliopius recenſui.

EPISTOLA XVI.

Iano Douſæ Patri Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

NOviſſimis litteris abunde cauſſam dixiſſe videor, cur una cum Tuningio ad Scaligerum non ſim profectus, quam & æquitati tuæ probatum iri plane confido. Sed quoniam animus mihi præſagit fore ut obtrectatores ſequius actiones meas interpretentur, quod & antea factum, uti intelligo ex literis quas ab amiciſſimo homine Turonibus accepi, viſum eſt à te poſtulandum, ut ſi quid incommodæ ſuſpicionis animo tuo non ſponte hæſit, ſed alterius artificiis inculcatum eſt, id omne tanquam magiſter unicus bonarum artium deleas, ſed non alia lege quam ſi me probe noſti, nec falſum nec fallacem; utique apud te, cui interiorem animum ſemper aperui ſine fuco & fallaciis; inde adeo, quod hunc hominem dignum cenſuiſti quem haberes in numero tuorum. Quod autem homo vaniſſimus vulgo diſſeminavit non poſſe me hinc à muliercula divelli, quam impotenti amore depeream, id ſi forte ad aures tuas permanavit, tanti non eſt ut refutationem deſideret. Ego me & juvenem eſſe fateor, & affinem earum rerum quas fert adole-

adoleſcentia, ſed (quod pace Faſcini dixerim) non ſum jam aut tam omnium ignarus, ut amorem neſciam, & ejus vias devias, aut tam ab animo infirmus, ut huic immodeſto affectui moderari non poſſim. Cur hic itaque tam diu hæſi? conſilio omnium benevolentium adductus ſcilicet, & auctoritate primarii Normanniæ præſidis, qui ad pericula itinerum illud incommodi adjungebat, perexiguam ſpem eſſe obtinendi quæ vellemus. rationes autem, quibus opinionem ſuam confirmabat, erant ejuſmodi, quæ homini etiam impenſe cupienti adferre poſſent curam amplius deliberandi. Ac tametſi peculiaris mihi cauſa erat Auguſtam Turonum proficiſcendi (quod & præſens Belgica ingenuitate profeſſus ſum, cum facillime poſſem ex Hetruriæ diſciplina gratiam officii ſponte ſuſcepti apud vos inire) tamen non exiſtimavi faciundum, ut quidquam cupide nimis attentarem. Cujus ſane conſilii nihil me pœnitet, tametſi iter hoc Tuningio bene feliciterque evenit. Quem exitum habuerit ejus legatio, ne verbo quidem nobis ſignificavit; quam injuriam hominis cauſa contemptu ulciſcor. ſed qua ex parte res hic communis agitur, vehementer indignor expertem me habitum fuiſſe iſtiuſce nuntii: niſi quod ad me ſcribit vir clarus Florentius Chriſtianus, eum cum bona ſpe domum rediiſſe. quod lætor. Sciam propediem quidquid hujus ſit, & pro virili occaſionem urgebo. Haſce enim literas hic reliqui, cum jam in procinctu eſſem, ut Auguſtam Turonum me conferrem. Inde porro ad Scaligerum cogito, ut conſuadeam homini. adnitar equidem omni gratia, opera atque induſtria. Veſtrûm erit admonere quid facto uſus ſit. Efficiam ut intelligas & quam mea ſponte faveam huic cauſæ, & quam nihil à vobis fruſtra ad me delatum eſſe videatur. Vale Vir obſervande. Datum Cadomi XVII Martii, Anno CIↃ IↃ XCII.

Salutabis officioſe à nobis filium tuum, Hautenum, & nobilem virum Almondam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XVII.

Ludovicus Servinus Dom. Baudio ſuo S. P. D.

Cadomum.

TRes ad te literas dedi cum epiſtola Scipionis Sardinii Viri Illuſtris, ut de ejus voluntate certior fieres. Caſæus Regis notarius aurifici Cadomenſi, qui hic degit, eas ad te perferendas tradidit: Sed vereor ne interceptæ fuerint. Ex hac quarta intelliges virum optimum, & bene de Republica noſtra ſentientem, id valde cupere, ut illi comes adſis, & in ſermonibus ſocius. Gratæ illi fuerunt literæ tuæ, quibus à me petebas ut ab illo ſcirem, an quæ D. D. Thuanus & Harlæus ei de te renunciaverant, ita illi placerent, ut te hoſpitio ſuo vellet excipere. Ejus lætitiam maxime augebit tua præſentia, & inambulando Pleſſæo prætorio, & in familiaribus colloquiis aviditatem deſiderii frequens aſſiduitatis uſus implebit. Spopondit ſe præter convictum daturum tibi annuos ducentos aureos; vel, ut cum Gallis noſtris loquar, octingentas libras argenti. Veni igitur, & quantum in me ſitum erit efficiam, ut optatis tuis perfruare. Vale, etiam atque etiam vale, & me ama. Datum Auguſtæ Turonum VI *Kalend. April.* CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XVIII.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Prulliacum.

PRiuſquam hinc diſcederem, Vir clariſſime, poſtea item cum eſſem Cadomi, complures ad te litteras dedi, quarum pleraſque in itinere periiſſe certo reſcivi: cæteras item non fuiſſe perlatas conjecturam facio ex tuo ſilentio. Nam ſi humanitatem tuam novi, non eſſes dedignatus reſponſo juvenem, cætera quidem nullius prætii, tui tamen (quod hic plurimum valet) obſervantiſſimum. niſi forte (ut hæc ſunt tempora) idem tuis quod meis literis factum ſit. Quod ſi eſt, tu quidem jacturæ nihil facis, cares enim ſcriptione inſulſiſſima, ego tamen ſerio ringor, & hoc incommodum vel maxime inter ærumnas deputandum cenſeo. Cum ad te iret Gerardus Tuningius allegatu Leidenſis Academiæ, dederam ei pergrandem epiſtolam ad te perferendam, quæ & hoſtium potita eſt. Eo autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

autem ſtudioſius in hanc cauſam incumbebam, quod meo potiſſimum impulſu factum erat, ut ea legatio inſtitueretur, non quod certam aliquam ſpem propoſuerim noſtris hominibus fore ut te exorari patereris, ſed ne quid prætermiſiſſe viderer eorum, quæ vel ad promiſſi fidem implendam, vel ad periculum meæ apud te gratiæ faciendum attinebant. Ita autem ſum cum illis locutus, ut quamcunque in partem ſeſe animi tui ſententia flexiſſet, mihi facti mei ratio probe conſtaret. Etenim ſi te impetrabilem præbuiſſes, omnia jam conſecutus eram; ſin, operæpretium tamen erat, Virum tali fama ac meritis, vel incertiſſima ſpe ultro ab omni gente ambiri. quod nec tibi, ut ſpero, ingratum accidit, certe ad famam patriæ meæ glorioſum fuit, & communiter in rem literariæ dignitatis, cujus tu unicus hoc ſæculo famam ſuſtines. Plura quæ nolis, audiſſe te arbitror ex * quæ & hominis cauſa libens omitto. Deum ex animo precor ut illi bonam mentem det, ſin inſanire pertendit, opto ut peſſime conſulta, ſalvo publico ſtatu, auctori quam minimum noceant. In præmaturo obitu alumni tui valde indolui. Epicedium legi non ſine admiratione. non opus fuit notore qui auctorem laudaret,

Tam bona quippe alio non potuere loco.

Mitto ad te libellum, & literas à Richardo Thomſonio, quas Cadomi jampridem acceperam, ſed mittere diſtuli partim ob pericula itinerum, ſimul quod non exiſtimarem multum eſſe in mora periculi. Vale, Vir obſervande, & nos ama. Datum Cæſaroduni Turonum XXIX. April. CIↃ IↃ XCII.

D. Thuanus paulatim convaleſcit, & jam eſt in vado ſalutis. quam pene autem nobis fuit magnus ille vir!

EPISTOLA XIX.

Ioſephus Scaliger Dom. Baudio S.

Turonos.

VIx potui legere Epiſtolam tuam, cum, ecce, is, cui has dedi, inſtabat & vellebat aurem, ut ſi quid vellem Turonos, ſcriberem. Scripſi igitur hæc paucula, potius ut te certiorem facerem me tuas accepiſſe literas, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quam ut longiores ad te ſcriberem. Nam per hominis prope-rantiam non licet, neque ſane per rei, de qua ſcribis, diffi-cultatem. Eſt enim ejuſcemodi, ut diſcutienda ſit prius in-ter nos, quam ut de ea ego novus & ignotus homo Ordinibus illis referre aliquid certi poßim. Exſpecta ergo adventum noſtrum: qui ſine dubio prævertet nuncium obitus illius viri, cujus vicem ego & tua & mea cauſa doleo. Cum ego accepi Epiſtolam tuam, hæc exaravi. Audio à Thraſone rumuſcu-los ſpargi de tergiverſatione, ut ipſe mentitur, mea. Tu au-dacter nega. Cui rei ut fidem faciam, ego quamprimum illi manu mea exaratam provocationem meam in mille aut mille ducentos aureos mittam. Vale. x. *Kal. Iun.* cIↃ IↃ xcii. *Raptim.*

EPISTOLA XX.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Prulliacum.

VErtunianus tuus, imo jam meus, ſive quod me tuum eſſe intelligit, ſive quod aliquid in hoc homine exſtare opinatur, quod amore non ſit indignum: is igitur noſter Vertunianus literas mecum tuas communicavit, quas ad Academiam & Senatum Leidenſem Tuningio perferendas dediſti. quibus per-lectis non mediocrem animo lætitiam perſenſi. Sub-verebar enim, ne præ ſtudio aliquid offendiſſem. Et vero ſi memet arbitro hæc lis dijudicetur, non poſ-ſum abſolvi ab omni culpa improvidæ credulitatis, quod in animum induxerim fore ut cum omnia ſum-ma meritus ſis, tam exili conditione acquieſceres. Cæ-terum ne nimis prævaricer, nunquam equidem pro-nuntiavi mihi liquere, cujus tamen temeritatis haud obſcure inſimulat me Epiſtola Leidenſium. Nam ut omittam non fuiſſe mihi in manu præſtare factum al-terius, eam in te noviſſe videor ingenii indolem, ut difficulter crederem ulla te repentina voluntate à pri-ſtino vitæ inſtituto poſſe demoveri. Quid igitur fuit quamobrem auctor noſtris hominibus eſſe non dubi-tarem, ut hominem ad te publicitus allegarent? Pri-mum, dum eos ſponte elatos viderem cupiditate neu-tiquam reprehendenda, ſtudium meum prolixe in eam rem ſum pollicitus, ὥστε μᾶλλον τοὺς σπεύδοντας ὀτρύνειν, ut

ut ſi quid obtineri poſſet, gratiam haud exiguam ab illis inirem: ſin aliter animatus eſſes, publicum tamen teſtimonium extaret, & judicii erga te, & amoris in rem literariam. Huc accedebant argumenta non ſane nulla, quibus adducebar, ut negotium confici poſſe non omnino deſperarem. quæ quoniam ipſe tibi magnam partem objeciſti, & de iis jam tranſactum eſt, non retractabo. Sed næ ego magno conatu multum ineptio, qui tam ſollicite apud te cauſam orem, cujus judicio non tantum culpa liberor, ſed laudem etiam commeruiſſe videor, ut potius mihi gaudere debeam quam quidquam habeam excuſandum. Illud video te mirari poſſe, qui factum ſit ut huc redierim. longa eſt injuria, longæ ambages. paucis te abſolvam. Cum profecturus eſſem in Belgium, quod ad omnem vitæ porro inſtituendæ ſpem magnum mihi præſidium repoſitum eſſe viderem in amicitia D. Thuani, junioris Harlæi, aliorumque quos tua mihi commendatio conciliavit, jeceram aliquod dictum ex tranſverſo, unde conjici poſſet invito me animo à talibus viris avelli, quæ res illis curam cogitandi attulit, ut conditionem aliquam nobis proſpicerent. quod & perfecerunt. Vtor hic convictu & intima conſuetudine D. Scipionis Sardinii, quem virum non aliter intueor, quam λείψανον χρυσείου γένους, ita quotidie magis magiſque benefactis ſuis conſequitur, ut patriam, meoſque neceſſarios minime deſiderem, à quibus ſum affectus inſigni quadam injuria, quam aures nactus tuas (quod propediem futurum ſpero) coram libere & audacter expromam. Vale, Vir illuſtris, & nos ama. Datum Cæſaroduni Turonum VI. Maij. cIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XXI.

Joſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Prulliacum.

NOn exiſtimo mihi ſollicita oratione opus eſſe apud te, Vir clariſſime, ut culpam ſuperioris ſilentii deprecer. Cum enim nihil haberem quod tua ſcire magnopere intereſſet, cauſa non erat cur ultro ineptirem, teque virum ſerium & gravem literis inanibus compellarem. Verum tamen cum perſpexiſſe

ſpexiſſe mihi videar ex amiciſſimo tuo ſermone, te noſtrum in ſcribendo officium non aſpernaturum, abeſſe non poteſt quin peccârim: ſed in poſterum placebo tibi, ſi me culpam emendare patieris; ut quod hactenus ceſſatum eſt, id diligentia reſarciatur. Otio certe ita abundavi, ut mallem ſalubre aliquod & cum fructu negotium. quod quidem optare impune licuit, ſperandi copiam non habui per hanc temporum calamitatem, niſi quod propenſiſſimam mei retinendi voluntatem in D. Thuano penitus cognovi. Quem heroëm quod mihi conciliaſti, gratiam proinde ut mereris nunquam referam, habebo quidem certe dum vivam. Literas ad Lipſium tuas aut ipſe perferam, aut invenero qui curet eas perferendas. Mitto ad te Iambos meos. vereor ut gratiam novitatis exuerint. Nemo tamen te uno eſt cui hæc noſtra probari impenſius ſtudeam. Vale, Vir eximie, meque tui obſervantiſſimum amare porro perſevera. Datum Cæſaroduni Turonum XV. Maij, CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XXII.

Ioſephus Scaliger Dom. Baudio ſuo S.

Literas tuas, mi Baudi, una cum Poëmatis tuis jam tunc ad me miſit Nic. Puppinchius Germanus, cum te in Batavos profectum fuiſſe certo ab amicis accepiſſem. Ab eo tempore nihil literarum à te, & de te, ſermones vel nulli vel obſcuri. Donec per Tuningium te in Batavis fuiſſe, agnovi potius, quam didici. Itaque nunc incertus ſum, apud te conſtituerisne diuturni ſilentii mei ſupplicium expoſcere, an mecum hanc expoſtulare injuriam, quod officio defuiſſe videar. Vtrumvis malis, & æquum poſtulas, & manum do. Neque enim negare poſſum, merito id à me exigi, quod cum deberem non præſtiti. Memini tamen culpam à me abeſſe. Si hoc me purgare non poſſum, bona tamen conſcientia me ſuſtentabo. Sed, quantum te novi, non utar te iniquo judice: & confido cauſam me tibi probare. De Lipſio non poſſum ſatis mirari, niſi cum ad tuæ Epiſtolæ verba venio. Tunc enim non eum defeciſſe, ſed ſerius defeciſſe miror. Doleo tamen hominis vicem: & quanquam factum improbo, tamen in eo jus amicitiæ noſtræ, tanquam aliquod numen in veteri luco, veneror. Chronologiam Anglicam, quam mihi à Ri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Richardo Thomſonio Anglo miſiſti, vellem equidem plane intelligerem. Nunc oblitæ mihi tot dialecti;

— Vox quoque Mœrim
Ipſa fugit. —

Odorabor tamen quod potero, & videor jam deprehendiſſe in illo Chronologo φιλαυτίαν *quandam, &, niſi me fallit conjectura, eſt ex illis, qui novos reges Perſarum in Daniele, in Apocalypſi portenta deprehendunt. Vale. Ex arce Prulliacenſi.* VI. *Non Iunii.* CIϽ IϽ XCII.

EPISTOLA XXIII.

Iano Douſæ Patri Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVantum meum ſtudium extiterit Scaligeri vobis conciliandi, ſi parum mihi tacito fides conſtat, dicendo perſuadere non poſtulo, præſertim apud te qui me non nævo aliquo, ſed totum penitus noſti. Illud item vere profiteri poſſum, non alia me cupiditate impulſum fuiſſe ad id officii munus ſuſcipiendum, quam ut Academiæ, ex qua ad hanc qualemcunque famam profluxi, tibique in primis, cui multis nominibus ſum devinctus, hoc ingenti beneficio gratiam referrem. Quod ſi emolumentum ſpectaſſem, quid fuiſſet me inſcitius, qui hanc provinciam ultro à vobis mihi delatam repudiarim? Ac Tuningii noſtri contentio non habuit illa quidem eum ſucceſſum, quem ſpe votiſque communiter præceperamus, non tamen omnino fruſtra fuit. extat enim ejuſmodi teſtimonium à viro magno, ut tanti pene fuerit conditionem non accepiſſe. Ex quo hic ſum, haud defui hominem urgere per literas, ſed quia ſpem illi facio iſthuc proficiſcendi, nihil mihi reſpondet πρὸς τὰ σπουδαῖα, ſed ea in adventum meum protollit. Cum illinc rediero, nihil mihi prius erit, quam ut maxima, minima, medioxuma, quidquid denique hujus eſt, ad vos perſcribam. neque enim plane occiſa res eſt, & omen quidem Deus prohibeat, ſed ea jam tempora in Galliis fluunt, ut vel invitus ad vos adigi poſſe videatur. Quæ meæ hic partes erunt, eas conſtantiæ cauſa tuebor, & nunc ita res nata eſt, ut mihi non ſit integra, quin ſedulo huic cauſæ incumbam. Quod enim ſpectaveram,

nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nec id ex tranſverſo caſus objecit: ut veſtra perſpici poſſet amicitiæ fides. Rem paucis expediam. Eſt apud D.Buzanvallium Regis legatum filius Audeberti Aurelianenſis Poëtæ non è multis, qui ordo non eget alia nota ut ſe tibi conciliet, qui familiam ducis. Huic Mæcenas meus Scipio Sardinius, vir magnificus benigne facere vult,qua fine curavit hic mihi numerandos quinquaginta aureos,quæ ſumma efficit noſtras libras Flandricas viginti quinque, ut iſthic reddantur iſti quem dixi Audeberto. Non potui recuſare, ne aut ille meam, aut ego veſtram fidem parvipendere viderer. quanquam equidem non iſtud poſtulo tanquam debitum,ſed ut hoc pignore magis potius vobis obſtringar.Si tamen tergiverſantur alii, penes quos Academiæ curatio eſt (nam de tua voluntate injurius ſim, ſi dubitem) potius quam literæ tranſcriptionis remittantur cum proteſto, ut Mercuriales loquuntur, conſtituo me reſoluturum, ejuſque rei teſtimonium haſce literas eſſe cupio. Nec vero indigni ſumus, quorum rationem habeat Academia Lugdunenſis. Nam ut alia tacitus prætercam, nuper cum eſſem Cadomi, & diutiuſcule illic morarer ob pericula itinerum (ride frigidum ſchema) timuerunt ſibi juridici profeſſores, ne ego (ſcilicet is eram qui rem tantam præſtare poſſem) ſed tamen miſere timuerunt, ne eos de imperitiæ poſſeſſionę dejicerem, & quoniam interdicto contendere nequibant (nihil enim tentaram nec vi, nec clam, nec precario, ſed princeps Senatus vir inter Galliæ primos, non obſcuris ſermonibus ſignificaverat, cupere ſe ut jus iſthic publice docerem) mortales igitur iſti primum calumniantur religionem, poſt ubi id parum procedit, cauſificantur Lugdunum Batavorum numero Academiarum non cenſeri. Præſes, de quo retuli, verbis acribus homines iſtos caſtigavit, eoſque aſſimulavit Draconi Heſperidum hortorum. tenes quorſum. quid multa? frementibus miſeris iſtis leguleis, partim odio religionis, partim conſcientia inſcitiæ ſuæ, perfectum eſt, ut qui Leidæ gradum accepiſſent, legitime promoti viderentur. Itaque ſi non alibi fides mea devincta fuiſſet, conditio mihi in mundo erat neutiquam pœnitenda. Nunc hic in Advocatorum numerum allectus-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ctus ſum, nemine quidem controverſiam movente, ſed regius Advocatus vir inſignis mihique amiciſſimus hanc occaſionem arripuit; diſertaque oratione urbem veſtram celebravit, commemoratis quæ conſtanter pro patria libertate exantlaſſet, non ſine honorifica tui Lipſiique mentione. Sum hic in familia viri Illuſtris Scipionis Sardinii, qui præter convictum mihi conſtituit in annos ſingulos ſummam ducentorum aureorum ſalarium. Vtor præterea familiariter D. Thuano, qui te plurimum jubet ſalvere. Quæſo te obteſtorque, nobiliſſime Douſa, perfice ut Lugdunenſis Academia pecuniam iſtam refundat. Agitur enim & ejus fides, & mea exiſtimatio, & nonnullum quoque decus literarum. Plura non addam. Vale, & nos ama. Datum Cæſaroduni Turonum, XXIII. Iulii, cIↄ Iↄ XCII.

Quod ad te ſcribo, id publice ſcriptum puto. tu enim in re Academiæ unus es inſtar omnium. ſcribam tamen propediem urbi veſtræ, cui ex animo volo. Hauteno noſtro, & Almondæ plurimam meis verbis ſalutem nuntia; Douſæ item tuo.

EPISTOLA XXIV.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S.D.

Trulliatum.

HAud ita pridem, Vir illuſtris, huc è Batavis advenerunt duo bene nati & educati adoleſcentes, qui pro certo adferunt Academiam Leidenſem optima ſpe ſuſtentari adventus tui, quam vel ex contextu literarum tuarum ſibi fingunt, vel (ut potius conjicio) ex relatu & commentario Gerardi Tuningii; niſi forſitan vitio humani ingenii facile credunt, quod miſere cupiunt. Paterer haud invitus eos quam diutiſſime jucunda hac opinione oblectari, niſi & promiſſi religio, & ſuſcepti officii munus eas mihi partes impoſuiſſet, ut quidquid hujus eſt, Belgica fide perſcribendum habeam ſine fuco & fallaciis. Quapropter te de hac tota re commonendum putavi, ut, niſi moleſtum eſt, certior fiam ex tuis literis quid noſtris hominibus reſpondendum videatur. Nam illos

uſque

uſque falſo gaudio lactari, ne te quidem velle opinor. Forte etiam non prorſus occiſa eſt hæc res. Quod ſi mihi ullo pacto perſuaſum foret, omni ope, ſtudio, induſtria experirer quid apud te poſſem. Quanquam enim nihil eorum quæ ad rem attinebant prætermiſſum eſſe arbitror à Gerardo noſtro Tuningio, tamen ſum in ea hæreſi, ut confidam multum quoque ponderis habituras fuiſſe meas preces. Quapropter magnopere te obſtor, ut animi tui ſententiam ediſſeras,

μηδέ τιν' αἰδόμενος μειλίσσεο, μηδ' ἐλεαίρων.

Illud liquet mihi confirmare, quanquam omnis ordo literarum omnia ſumma tibi deberi conſentit, vix uſpiam repertum iri gentem, quæ proniori animo talem in te affectum pro virili comprobare ſeſe ſtudeat. Ac tametſi velut ex formula tecum agunt, & certis legibus paciſci videntur, ut ad ſe venias, tamen (quæ tua eſt æquitas) non debes illud exigere ad ſeveriorem normam. Si quid mihi credis, qui intimus fui eorum conſiliis. Vnum illud expetunt, ut de præſentia tua illis gratiam facias. id ſi conſequantur, omnia ſibi à te data putabunt. quinimo, ſi voles, ultro in tuas leges jurabunt. Vale, & nos ama. Datum Cæſaroduni Turonum, XIII. Novembr. CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XXV.

Ioſephus Scaliger Dom. Baudio S.

Turonos.

QVi ducere volentem non potuerunt, quomodo nolentem trahere poſſint non video. Equidem literis ſatis longis caviſſe videor, ne ab homine liberrimo ac minime duplici extorquere ſperarent, quod exorare non potuerunt. Atque utinam is eſſem, quem ipſi me eſſe aut perſuaſerunt ſibi, aut optarunt, hoc eſt dignum ea provincia: non alia ſuadela opus fuiſſet Tuningio noſtro ad me perducendum, quam illis ampliſſimorum Ordinum & Academiæ Leidenſis de me teſtimoniis. Quibus victus alius fortaſſe & ab ingenio & à cultura imparatior, quam nos, manus dediſſet. Ego vero, qui & in patria, & cum patria, ſi opus ſit, mori decrevi, nunquam animum meum inducere potui, quin miſerabiles reliquias meæ patriæ, quorumvis integris rebus præferam. Deinde quæ poterant ſatis expurgare cicutæ, ſi inge-

nio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

niolum, quod ſemper littus amavit, in altum ambitionis proveherem, & me palam in illa luce traducerem? Hoc ego, mi Baudi, nunquam faciam. Novi enim me & vires meas; quas tametſi in umbra σκιομαχίαις *quibuſdam periclitatus ſum, nunquam tamen ita inſaniam, ut in arenam producam. Quare ſi aliquid ſpeculæ, reliquum in pœnitentia mea, aut, ut Latine loquar, in lenitate poſuerunt, amabo te, dele id ex animis eorum, neque me eo loci redigant, ut bis negem iis, quibus ſemel promittere nolui. Ego vero interea & eorum de me judicium, & egregium in me ſtudium poſteritati teſtatum relinquam, ut ſciant ventura ſæcula, ab exteris eum provocatum, qui à ſuis ignoratus fuit. Tu vero & me ama, mi Baudi; quod hactenus te facere ſentio: & candidiſsima Batavorum gente ſcias nihil mihi carius eſſe. Quid agat Lipſius, quibus in regionibus poſitus ſit, ſcire cupio. valde fallor, ſi ejus amor in me tepuit, quamvis inſtitutum vitæ mutavit. Vale. Ex Arce Prulliacenſi,* XVIII. *Novemb.* CIↃ IↃ XCII.

Epistola XXVI.

Q. Sept. Florens Chriſtianus Dominico Baudio S. D.

Turonos. an? Cadomum.

N*Iſi ego te virum* ἀπειλῇ *& os tuum* ἀψευδὲς *exiſtimaſſem, negaſſem, heſterna die non accepiſſe te ſecundas & nuperas literas meas. Quarum exemplum, ne eadem de me ſuſpicari poſsis, ecce mitto quaſi cramben recoctam; neque enim talia revocare aut repetere mei moris eſt aut amoris. Scripſeram vero fere ad hunc modum: Quum hac iter faciens Scaliger, ſtatim ad me viſeret, & ego integrum fere diem aſpectu illius & colloquio fruerer, explere cupiens diuturnam ſitim amici magni & fratris videndi, beatus ſecundum vulgariam ſententiam,* οὐ τις ἐρᾷ τοῦ τυχεῖν, *equidem mirabar, cum per ora ſuavis interdum curreret de Baudio ſermo, neminem extitiſſe in illo comitatu, qui tuas mihi redderet; quive de te aut abs te quicquam mihi renunciaret, præter triſte nuncium. Te ſcilicet in morbo cubare, & languenti ægre vapideque eſſe. Tandem ecce hac ipſa die, qua hæc ſcribo, accepi illas tuas datas Turoni* VII *Eid. Quinctilis, quas ex Carnutum urbe mittendas mihi curavit ipſe Scaliger, cum excuſatione incogitantiæ, vel, ut cum Tranquillo dicam,* μετεωρίας καὶ ἀβλεψίας. *feceratat* φρε-

νεῶν σύγχυσιν σπουδαῖος ἀμφοτέρων ἔρως δ' ἐξ ὄψεως χρονιωτέρας. Eas vero ut perlegi, miratus ſum ut debui phraſεως verborum elegantiſſimæ, & amavi amici, etſi indebiti, erga nos cultus gratia. Sed quia mirus in arte dicendi artifex, advocationem videris poſtulare, quo magis ocioſus prioribus noſtris reſpondeas, libet uſurpare Heroinæ illius Sophoclea dictum, οὗτος, βλέφ' ὧδε πρὸς τίν' ἐννέπειν δοκεῖς; An me tam fungum vel peponem putes, ut præſentiſſimum & efficaciſſimum reſponſionis genus non exiſtimem, ſic non reſpondere? Spopondi quidem tibi ego mutuum amorem & parem obſervantiam. Hic aut omnino aut nihil te reſpondere verum eſt. Agnoſco facundiam vel ex ore blæſo, ex negantibus propoſitionibus affirmanter concludo, & contra te ex arte & ingenio tuo ſymperaſma tollo. I nunc, & proba te mutum eſſe in diſerta oratione. Hoc argumento neque ego reſpondeo literis tuis, & has accipies uſurarum & acceſſionis vice, principalem ſortem non minutura. Ave & vale, mi Baudi.

Addam hoc etiam, recreatum me valde affirmatione illa, quam mihi feciſti de Iuſti Lipſii ſalute, quem jamdudum incerto nuntio intellexeram è vivis ſublatum. Et quia verſus aliquot pro tumulo vel potius cenotaphio inanes ſcripſeram, volui te ſcire oblita mihi ea carmina per hos elegos:

Ergo etiam, Baudi, vires amittit eundo
  Fama, nec inſtabili credulitate valet.
Quum LipsI fatum vulgaſſet triſte, dolebam,
  Et juſto cineri jam pia juſta dabam.
Sed bene quod falſus rumor, falſique dolores:
  Quodque recantatum carmine carmen obit.
Muſa omnis potius valeat, nam funera LipsI
  Tantum Muſa canet, quam ſua fata canet.

Vale iterum, mi Baudi: & memineris, quæſo, de quæſtione illarum literarum quas Lugduni Batavorum datas, & Cadomi relictas, tute mihi nunciaſti. Vindocini XIV. *Kal. Ianuar.* CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XXVII.

Iano Douſæ Filio Dom. Baudius S. P. D.

Lugdunum Batavorum.

QVanquam jure meo poſſum dicam injuriæ & quidem atrocioris tibi impingere, quod cum ad homines à ſola fama notos ſcriberes de re in

qua permultum poteram, magna promiſeram, omnia cuperem quæ velles, me veterem familiæ Douſicæ cultorem, tuique perſtudioſum, ne verbo quidem ſalutaveris, ac ne per optionem quidem: dabo tamen hoc amori noſtro, ne hanc offenſionem ad animum revocem, ſi in poſterum bona fide culpam emendas. Sed an non ἅλλεται ὀφθαλμός σου ὁ δεξιός, ita cum eſſem apud D. Scaligerum, multus nobis ultro citroque ſermo fuit de te, ac patre tuo; nec parcus veſtrarum laudum. Tuam de Cœlo Poëſin in cœlum effert homo, & optimus talium æſtimator, & minime à natura aut diſciplina factus ad aſſentandum. Valde item capitur iis verſibus quos in effigiem ſuam & patris compoſuiſti. Mihi quidem, qui nec omnium hebetiſſimus ad ea ſtudia ſum, nec multum acutus, ita placent, ut negem quidquam elegantius fieri poſſe, quodque propius accedat ad genium puræ putæ antiquitatis; ex quo myrothecio promendum eſt, quidquid probabitur probis. Plura in os tibi non dicam, propediem αὐτοῦ τοῦ θηρίου ἀκούσεις ὅτι οὐδὲν πρὸς ἡδονὴν λέγω. Cogitat enim quantum poteſt ad vos; nec aliud remoram objicit, niſi quod nuncium exſpectat de reditu magni viri D. Thuani, qui ex quo Carnutium abiit, tres jam menſes ſunt ipſi. Vale, & me ama. Datum Turonibus VIII. April. CIƆIƆXCIII, qui dies mihi natalis.

Epistola XXVIII.

Iano Douſæ Patri Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVanquam me plurimum ſolatur & amicitiæ tuæ fides, & officiorum meorum conſcientia, tamen diſſimulare non poſſum, quin graviter & iniquo animo tulerim, nullas à vobis literas, ac ne datariam quidem ſalutem ad me miſſam. Quærenti mihi diu ac ſæpius, quid cauſæ eſſet: non aliud in mentem venit, quam quod exiſtimo literas meas non fuiſſe perlatas: cujus incommodi culpa ubicunque hæreat, penes me certe pœna eſt, qui per hanc ſive tabellariorum incuriam, ſive temporum injuriam, non ſolum careo fructu literarum tuarum, quæ minime minima

eſt fundi noſtri calamitas, ſed venio etiam in ſuſpicionem neglectæ fidei, cujus criminis invidiam tantum abeſt, ut ex conſcientia deprecer, ut contra ex fiducia innocentiæ libeat gloriari, nullum me officii ſtudiique genus prætermiſiſſe, quod Scaligerum vobis conciliarem. Idque feci primum quidem voluntate & communi officio adductus, ut illuſtri beneficio demererer homines optimos meique ſtudioſos, quorum tu familiam ducis: poſtea autem caſus intercidit ejuſmodi, ut mihi non eſſet integrum ab ea cauſa deſciſcere. Sed quia jam quater ad minimum ea de re ad vos perſcripſi, ne te virum magnis in rebus occupatum eadem ſæpius iterando enecem, rem totam paucis dabo. Eſt apud D. Buzanvallium Regis Legatum, Germanus Audebertus G. Filius, Poëta non è multis, qui ordo non eget alia nota ut ſe tibi commendet. Huic frater Nicolaus Audebertus Aremoricæ Curiæ Senator, per me tranſcripſit quinquaginta aureos, quæ ſumma efficit noſtrates libras viginti & quinque. Eam pecuniam Academiæ Leidenſi perſolvendam delegavi, fretus & fide veſtra, & amore tuo, & nonnulla etiam noſtri opinione. Pluribus te obteſtari, ne quid moræ ſit quin hi nummi renumerentur iſti Audeberto, nec poſſum nec debeo. Pluris enim mihi es, pluris item tibi ſum, quam ut rem tantillam precibus emi oporteat. Itaque ſi tergiverſantur noſtri Leidenſes, aut daturi videntur tanquam imputantes (nam de animi tui indole longe aliud ſentio) majorem gratiam inibunt à me ſi ſimpliciter negent, aut omnino ne dent, quam ſi me adſpicere poſtulent velut obnoxium. Valde me ignorant, ſi qui hoc ſibi perſuadent. Ego cum in eorum cauſa tantum contenderim, quantum ab aliis ponderari malo, quam à me prædicari, nemini probo improbum videri debuit, ſi cum occaſio ad eam rem ferret, à civitate ſplendida, cui (ne quid elatum effutiam) ſemper volui, nunquam defui, plurimum elaboravi, pignus aliquod grati animi ſperare auſus ſum. Id ſi aliorſum trahunt, non magnopere refragabor eorum opinioni, dum credant ipſi Scaligero coram affirmaturo, me præcipuum impulſorem fuiſſe, ut ad vos proficiſci animum induceret. Sed quoniam id omne jampridem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

pridem actum tranſactum puto, fruſtra fortean has egomet mecum rationes deputo. Cæterum vereri me cogit temporis diuturnitas, jam enim fere nonus menſis effluxit, poſtquam vos ea de re primum commonefeci. Sed de his tantum. Scaliger te & filium patre dignum fert in oculis. Lipſium valde obſervat, & ſe omni ope elaboraturum pollicetur, cum iſtic erit, ut hominem bonæ menti reſtituat. D. Hautenum & Vulcanium ex animo à me ſaluta. Datum Cæſaroduni Turonum, IX. April. CIↃIↃXCIII.

EPISTOLA XXIX.

Ianus Douſa filius Dom. Baudio ſuo S. D.

Turonos.

BEne, quod à me literas frequentiores efflagitas, amiciſſime Baudi; amoris enim tui ea in re magnitudinem agnoſco: nec tamen bene, ſi de ſilentio gravius quidquam ſuſpicaris. Oblitum me tui quod in hanc diem literas meas nullas acceperis cenſen'? Adeone aut infirma fides noſtra eſt, ut ſolis literarum tibicinibus fulcienda ſit, aut tuorum meritorum fragilis memoria, ut huic de me opinioni eſſe debuerit? Non ignoras ſcitum illud, Nihil citius ſeneſcit, quam gratia; ea ſcilicet, quæ à rebus fluxis & ſeneſcentibus oritur. Noſtra autem amicitia, ex animorum ſtudiorumque ſimilitudine & à virtute ſemper viridi orta, areſcet nunquam. Et quidem affectus noſtri non obſcura indicia præbuiſſe me tibi etiam abſenti gloriari poſſum. Nam quod ad literas attinet, ejus rei culpa reſidet in hac communi temporum calamitate, cum ſerius forte poſt diſceſſum Ioſſenii miſiſſem cum literis tibi librum meum quem noviſſime emiſi in lucem; intellexi poſtea, periiſſe in via antequam ad ipſius manus perveniret. Quod eo ſcribo, ne ipſum Ioſſenium pro aliena culpa piacularem ſubdas indignationi tuæ.

—nihil ille nec auſus,
Nec potuit.—

Exemplar epiſtolæ illius cum forte ſervatum fuiſſet à fratre, qui excerpſerat eas omnes quæ Scaligeri cauſſa ſcriptæ, denuo tibi deſcripſi & miſi. Graviter autem mihi peccare viderer, mi Baudi, ſi expertem te haberem ſcriptorum noſtrorum, qui eorum ſemper tam candidus judex, imo ſupra meritum laudator. Præſertim, cum horum potiſſima pars ſpectet ad in-

comparabilem illum heroëm & Muſarum Herculem Ioſephum Scaligerum. De quo viro pertrahendo in has oras & jampridem multum laboravimus, & hoc tempore pulcherrima occaſio mittendarum literarum bonæ nobis ſpei faculam accendit, ut quaſi præſagio quodam futuræ felicitatis elati, ad finem videamur veniſſe votorum noſtrorum, & exſpectatio pene ſucceſſerit in deſiderii locum. Vale. Salutat plurimum Pater.

EPISTOLA XXX.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Prulliacum.

QVod me à ſcribendo ſuſtinuerim poſtquam à te diſceſſi, non ruſtica verecundia id factum, quam tua comitas commoditaſque funditus mihi exemit, multo minus oblivione officii, quod ut captus noſter eſt, omni obſervantia ſemper colam: ſed (ne me ab omni culpa vindicare poſtulem) deſidia quædam fuit. cui ſi ſuccenſes, ad facilitatem tuam provoco, in qua cum certam veniæ ſpem mihi repoſitam eſſe intelligam (vide os meum) interdum huic blando & illecebroſo vitio pluſculum ſoleo indulgere. Cæterum non inultus id nunc abſtuli:

νοῦσον γὰρ μοὶ ἐφῆκεν ἔχων θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

nunc reſpicit nos ὑγίεια ſtudio & opera maxime Vertuniani, cui certaſſet officiis Faleſæus vir aptus ex ipſa humanitate, niſi domeſticus mœror ex tranſverſo incurrens, voluntati ejus moram objeciſſet. Hæc nugari auſus ſum apud te, familiarius quidem quam dignitas tua poſtulet, aut ſingulare meum de tua virtute judicium, ſed te judice, nihil aliud forſitan pecco, niſi quod culpam deprecor. Puppinchii literas ad te mitto, quarum argumentum mihi per epiſtolam ediſſeruit. Monui hominem amicè, ut ſorti ſuæ quoad ejus fieri poſſit, acquieſceret, nec incerta ſpe certam conditionem amitteret; non illam quidem parem ejus meritis, ſed, ut tempora ſunt, minime pœnitendam homini moderato. Sed hæc iſta in adventum tuum differentur, quem opere maximo expectamus. περὶ τοῦ ἠχέτου κώνωπος dixine tibi nuper coram, an aliunde reſciviſti? Venditat vero in ſermonibus, paratum ſeſe

quin-

quingentos aureos ſequeſtro deponere, quos amittat, ſi eſt ut repereris arcana illa Geometriæ. Calent operæ, maturatur editio. Hanc ſcilicet adventitiam tibi parat, ne deſit unde litemus deo Riſui. Vale, Vir magne, & nos ama. Datum Cæſaroduni Turonum XXVIII. April. cIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA XXXI.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Prulliacum.

NIhil eſt aut amore facilius, aut Vertuniani noſtri ſuada impetrabilius, ita verbo uno perficit, ut iterum deprecari mallem, quam carere. Perſuaſit autem fore, ut huic noſtræ ineptiæ non tantum non ſuccenſeres, verum ultro faventiam accommodares. quod ut compendio aſſequeretur, literas mihi legendas dedit, quibus teſtaris quam tibi volenti ſit provocare Geometropoëtam ſponſione mille, aut (ſi id parum eſt) mille ducentorum aureorum. Mihi quidem quanquam minus idoneo talium cauſarum judici, jampridem judicatum eſt,

— ὅτι οἱ φρένας ἐξέλετο Ζεύς.

Novi enim & moderationem animi tui, & illius (ne quid addam gravius) inconſultam rationem. Cæterum ita rem natam eſſe intelligo, ut omnino difficiles explicatus habitura eſſe videatur. Etenim cujus erit ea de re notio? Tenes enim optime quam hæc ſtudia ſint perpaucorum hominum, &, ut in judices conſentiatis, quid ſi amplius deliberandum cenſeant? quid ſi inique aut imperite judicent? quid ſi à bene lata ſententia provocet? niſi fortean ea lege arbitrium recipitis, ne ab eo, cuicuimodi illud, provocare liceat. Rurſus ſi ea res demonſtrationibus tranſigitur (quod ille quaſi ſuo jure poſtulat, nec aliud te ſentire arbitror) omnia factu facilia erunt. Si quid ejus verbis credendum eſt, magnifice præ ſe fert & uſurpat in ſermonibus, per ſe non fore quominus ad ſequeſtrum eatur: ſed ubi in rem præſentem veniendum erit, quanquam nihil eſt vana perſuaſione confidentius, nihil imperito homine paratius ad audendum: tamen ſcrupulum injiciet, opinor, & ſummæ magnitudo, & nominis tui auctoritas apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

omnes ordines litteratorum. Quod ſi pertendit, optimum eſt ad gentiles & agnatos hominem mitti, ut qui rebus ſuis ſupereſſe non poſſit, idque ita fieri conſentio conſciſcoque. Poſtridie Kal. Maji pranſus ſum apud eum, non quidem invocatus ex inſtituto gentis paraſiticæ (non enim ita unquam me paravi ut cuique mortalium Gnatho eſſem, nedum huic Thraſoni) ſed (ut hanc qualemcunque perſonam noſtram decuit) veni cum eſſem ejus nomine humaniter rogatus, ſi quid humani eſt in homine tam averſo ab humanioribus diſciplinis. Sed tamen conſtitui me venturum, ne vel in ſuperbiæ notam incurrerem, à qua ſum alieniſſimus; vel ſaltem inhumanitatis, quam cum in eo reprehendam in me ipſo deprehendi turpiſſimum fuiſſet. Ibi multus nobis ultro citroque de te ſermo fuit. Non poſſum ſtatuere utrum id auribus meis daret, an ex animo diceret, an vero vis veritatis has ab eo voces eliceret: cæterum omnia ſumma tibi ſuffragio ſuo deferebat in omni genere literarum, extra unicam Mathematicarum artium ſcientiam: in qua negabat te peracutum unquam ſibi viſum fuiſſe. Nihil habebam quod commode regererem homo ἀγεωμετρητότατος, tamen ne ſilentium in aſſenſionem verteret, nec opinioni tuæ accedere poſſum (inquam) nec intercedere poſtulo, ſed ne Scaligerum ignores, virum (ut alias ejus dotes tacitus admirer) fidei plenum, vidi plures epiſtolas ejus manu conſignatas, quibus affirmat, paratum ſe mille aureorum ſummam penes ſequeſtrum deponere, ni demonſtret à ſe reperta, quæ pernegas ullo modo fieri poſſe. Viſus eſt cupide conditionem accipere, ſed (ut ante jeci) in ipſo periculo auguror futurum

Vt refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.

Hæc volebam neſcius ne eſſes, imo voluit Vertunianus, cujus voluntas mihi inſtar juſſi eſt. Quod adjungo non partiendæ gratiæ, ſed invidiæ communicandæ. Vale, Vir magne, & me ama. Datum Cæſaroduni Turonum VII. Maji, CIƆ IƆ XCIII.

EPISTOLA XXXII.

Ioſephus Scaliger Dom. Baudio S.

Turonos.

IAm tempus erat me Cæſaroduni eſſe. Vbi ſunt magnificæ illæ pollicitationes, cum hic eſſetis, magna & præclara minantes de matura ad nos profectione? Ecce jam bonam partem Maji deſideror mendax. Sit jam, inquies, aliquis & modus ceſſandi, & pudor promittendi. Bene ſane, mi Baudi, ſi mei tantum rationem habes, non etiam eorum, qui me hic ingratiis meis detinent. Totum enim hoc, quidquid rei eſt, meo quidem periculo geritur, ſed aliena culpa. Eſt enim mihi apud hominem vanum reliquum pauxillum nummorum: quod ut ipſe conficeret, ab eo nondum impetrare potui. Tum materfamilias, quæ non poteſt amittere filium ſuum ſine aliquo præſidio aut honeſto viatico, tota eſt in conquiſitione nummorum. Illius ergo peregri eſt. Cujus adventi exſpectatione ſeneſco. Adeo hæ ἀμβολιεργίαι totum me exercitum habent. Puppinchii cauſa omnia volo, atque operam meam ultro promitto. Hominem enim valde amo: quod ejus animum ut ſtilum candidum eſſe mihi perſuaſi. ἦθος χαρακτήρ ἐστιν ἀνθρώπου λόγος. Scribam illi Cæſaroduno, & faciam ut neque hic neque in Batavis officium meum deſideret. Quod amicis mandavi de ſponſione mille aut mille ducentorum nummorum, non defugio auctoritatem. Ipſum potius Acheronta movebo, ut in arenam deſcendat Franciſcus Vieta adverſarius: non ut de eo triumphem, (de Archimede triumphamus) neque ut à ferreo ore pudorem exprimam (hoc eſſet τῶν ἀδυνάτων ἐρᾶν) ſed ut cognorit, quam temere fecerit, qui ingenium meum ex ingenio ſuo æſtimarit. Non celabo te: valde mihi ſuſpecta eſt illa comitas in homine ab humanitate omni & morum & literarum alieno, quod te mihi, ut ipſe ſcit, amoris neceſſitudine conjunctiſſimum menſæ ſuæ adhibuerit. Tute cogita. cætera non dicam. auferat cavillum. volo videre quid poſſit illa canina facundia; nam quantum latratus poſſint, ſat ſcio. Non amittam prius, quam mihi ſupplicium det. Nolo judices. ipſum judicem fero. Res nova eſt Geometriam alieno judicio ſubjicere, cum ipſa de omnibus judicet cujus Demonſtrationes cogunt, non perſuadent. τετραγωνισμὸς κύκλου eſt XI Propoſitio Cyclometrici noſtri. Eam dupliciter demonſtravimus. Si hoc eſſet

ἀδυνατον, ut ipſe nugatur, quomodo τὸ ἄλλως locum habebit? Propoſui in Epigrammate meo multa alia, quæ ille inurbane & inficete, ut audio, ventilat. quaſi non ſatis ſit, ſe prioris Epigrammatis ineptiis traduxiſſe. Sed te moror. Vale, VIII. *Maji,* cIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA XXXIII.

Iacobo Auguſto Thuano Dom. Baud. S. P. D.

Lutetiam.

NE ad culpam ſilentii adjungam orationis impudentiam, cauſæ nihil dico, Vir eximie, quin graviter mihi ſuccenſeas; ſi tamen is ſum cui ſuccenſere digneris: ſed, ut ingenue fatear, largiter pecco, quod hactenus nihil ad te literarum dederim. Quanquam enim id officii munus non rigide forſitan efflagitas, tamen verum erat imitari bona nomina, quæ quo minus appellantur, eo impenſius bonæ fidei ſtudent, æſque alienum profitentur. Id mihi præcipue faciendum fuit, quod nullam partem tuorum meritorum alia re conſequi poſſum, quam agnitione debiti, cui ſum impar, & memoris animi teſtificatione. Sed de his tantum eſt. Leidenſis Academia Scaligerum denuo vocavit propoſitis condicionibus minime aſpernandis, ut hæc ſunt tempora. Mille enim aureos ſolares annuatim ei decreverunt, nec aliud quidquam ab eo exigunt, niſi ut congreſſu conſpectuque ſuo celebritatem Academiæ conciliet. Impetravimus, quanquam ægre, ut ſe exorari pateretur. qua in re non mediocris noſtra contentio exſtitit. & (κόμπῳ παρέστι) non prius adduci potuit, ut hanc gratiam gratificaretur noſtris hominibus, quam homini religioſo & omnis officii diligentiſſimo perſuaſimus, non aliter eum à ſe propulſaturum opinionem vel nimii rigoris, vel cujuſdam αὐθαδείας (à quibus vitiis longiſſime diſſidet) niſi ipſe præſens hanc cauſam peroraret. Recepit itaque ſe illo iturum, ſed animo revertendi, nec alio fine ait ſe iter illud inſtituere, quam ut gratiarum actione defungatur. Nihil jam obſtat quo minus huc advolet præter exſpectationem reditus tui. Sed vereor ne ea ſpes eum & nos communiter fruſtra habeat, aut ſaltem longius protollatur. Vale, Vir magne, & nos tui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tui obſervantiſſimos ama. Datum Cæſaroduni Turonum, XI. Maji, cIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA XXXIV.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Prulliacum.

QVanquam & opto & ſpero fore, ut celeritate adventus tui hanc Epiſtolam prævertaris, eaque re committendum non putabam ut tibi moleſtus eſſem: tamen ita res nata eſt, ut mihi non ſit integrum, niſi opimæ occaſioni deeſſe volo, quin verecundiæ limites perfringam. Dabis hanc veniam vel facilitati tuæ, vel impatienti noſtro deſiderio. Dominum de la Prée ſi non interiore amicitia, aut uſu aliquo neceſſitudinis, ſaltem nomine & fama tibi notum eſſe arbitror. Eum dico, qui res rationeſque Belgicas ex mandatu Ordinum noſtrorum apud Regem adminiſtrabat. Is (ut jam recens pro certo reſcivi) diem ſuum obiit, cujus morte & ego amicum non vulgarem amiſi, & patria mea permultum detrimenti cepit. Abeſſe non poteſt, quin poſtquam is nuncius ad aures noſtratium pervenerit, delegetur quiſpiam defuncto ſuccidaneus. Nunc illud te obnixe oratum cupio, ut ſi hunc hominem non omnium ineptiſſimum animo tuo judicas, qui talem Spartam exornare poſſit, efficias ut quamprimum epiſtolam huc mittas ſponſorem tanti teſtimonii, vel (quod idem inſtar erit) indicem magni amoris, ſive ad Douſam noſtrum, ſive (quod magis præopto) ad ampliſſimos Ordines. Nam hiſce quidem ea res in manu eſt. Illum vero minime præterit quantæ curæ tibi ſim, & amor ſatis incitat ut mea cauſa laboret. Cæterum (ut libere dicam tibi quod eum neutiquam celavi) non intelligit ſe Douſam eſſe. Tanquam enim obnoxius homines nullius pretii obſervat, quibus, ſi ſe ipſe reſpiceret, pro imperio quodlibet imponere poſſet. Vt vel hinc perſpiciam, non injuria cœlo imputari γνῶθι σεαυτόν. Sed (ut dixi) jam pridem amor hunc mihi liberali cauſa adduxit. Reliquum eſt ut ampliſſimos Ordines meos faciam, quod conſequi poſſum tuo maxime patrocinio, ſi cauſam noſtram recipis, nec ſuſceptu indecoram (quomodo mihi perſuadeo) nec im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

impetratu difficilem, apud judices aut amore noſtri corruptos, aut auctoritati tuæ ſuffragaturos. Iamdudum enim complures ex eo ordine, & quidem ii potiſſimum qui præcipua dignatione cenſentur, hanc provinciam mihi ſpe votiſque deſtinabant. Nam Dominus de la Prée vel ætatis beneficio cauſariam, vel emeritis ſtipendiis honeſtam miſſionem ſuo jure mereri poterat, niſi privatis rationibus ſalutem publicam, commodo ſuo auctoritatem ordinum prætuliſſet. Quæ cum ita ſint, magna me ſpes tenet, fore ut eventu proſpero utamur: ſi minus jure cauſæ, ſaltem gratia. cui ſi pluſculum largieris quam fortaſſe ſentis, hoc majorem curam injicies mihi, ne vel ego te, vel tu alios decepiſſe videaris. De Franciſco Vieta fit quod prævidi prædixique, quamvis montes aureos loquatur, & magno faſtu magnam ſimulet opulentiam, priuſquam tamen ad conſtitutum veniat, neceſſe eſt ut ſibi propitiet πειθὼ καὶ βίαν, illam ut avaritiæ perſuadeat, hanc ut imperet egeſtati. Vale, & me ama. Datum Cæſaroduni Turonum, XXIII. Maji. cIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA XXXV.

Iano Douſæ Patri Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

TU quidem, Vir ampliſſime, & ea dignitate excellis, & meritis erga me tuis id aſſecutus es, ut ſine piaculo tecum injuriarum experiri non poſſim. Sed tamen non intercedes opinor, quominus arbitratu meo angar intimis ſenſibus, doloremque naturali convitio exonerem. Tantam ne eſſe negligentiam, vilipendiumque noſtri, ut ad tot flagitationes, tot vadimonia per Epiſtolares libellos, ne verbulo quidem digni judicemur? Nimia mira ſunt, ni aut literæ intercideru nt, aut ob publicas occupationes inhibitum eſt officium in ſcribendo tuum. Vellem equidem perlibenter delitias mihi facere, & fraudare animum diffidentem ſpecioſo aliquo colore, ſed diſſimulare nec poſſum nec debeo. Nummos, de quibus jam toties ad te ſcripſi, ſolutos eſſe retulit mihi Nicolaus Audebertus Aremoricæ curiæ Senator, & gratias egit ſuo fratriſque nomine. Non tam id me beat (etſi factum gaudeo) quam illud

lud dividiæ eſt, nihil me literarum ſuper ea re à vobis accepiſſe. Magis afficior ſignificatione benevolentis animi, quam opimitate beneficii. Petitionem noſtram, ſi nondum ea res tranſacta eſt, ſummæ curæ tibi eſſe perſuaſum habeo, & ut porro ſit, per fidem tuam te obteſtor. Res Gallicæ multum habent caliginis. Induciæ pactæ & promulgatæ ſunt. uſque adhuc, quantum audio, bona fide ſervantur. Sunt qui pacem poſt modo ſecuturam credant, & in eo jam eſſe primores viros, quibus in manu eſt. Mihi nihil liquet. Illud pro certo obtinent viri experientes, pacem unicam eſſe quæ mederi poſſit rebus perditis, ſed pacem eam quæ regi majeſtatem ſuam aſſerat, nobilitati priſtinum decus, populo ſecuritatem, legibus reverentiam: non autem eam quæ paucos factioſos dominatu impotentiſſimo conſervatura ſit. Si quid mei judicii eſt, alcedonia fore ſuſpicor, & inſidioſam tranquillitatem, quæ nec diuturna erit nec fida, & forte concieat magis majores tempeſtates. Vix ſane eſt, niſi vis major interveniat, ut tam ingentes motus tam repente componi poſſint. Concionales tubæ claſſicum canunt quanta nunquam antehac contentione. Duces partium qui ex conſcientia ſcelerum nihil ſpei reliquum ſibi fecerunt, niſi in ſumma rerum omnium deſperatione, pro ſolatio habent, movere ac miſcere omnia, ut publica potius ruina opprimant, quam mediocri fortuna contenti vivant. Præfecti urbium & provinciarum, qui ex publicis miſeriis auream meſſem metunt, ab omni pactione pacis abhorrent. Nec vero genius belli eſt hujuſmodi, ut conditionibus ſanari poſſe videatur. Iam vero plebi quidem ſatis virium & animi fuit ad convellendum ex imis ſedibus bene fundatum ſtatum, niſi ubi maxime audendum eſſet, ibi eam vis vigorque omnis deſerat, καὶ ἐπὶ ποσὶ κάππεσε θυμός. Hæc ignavia eò rem deduxit, ut ſtatus Gallici arbitrium penes paucos eſſet, quorum intereſt publicam tranquillitatem minime conſtabiliri. Hæc eſt, ut arbitror, hujuſce regni informandi quædam ratio. Tabellarius hic meo ſumptu & impenſis in Zelandiam mittitur, inde porro in Bataviam iturus eſt, ut literas ad D. Scaligerum perferat à domina Principe, matre pueri illius, qui proximus ſummæ ſpei.

Ea vobis heroëm illum ex ſummis viribus extorquere contendit, ut filio ſuo cuſtodem apponat. Et certe permagni refert pueritiam iſtius Principis tali magiſtro adoleſcere. Solum jam Solem hunc intuentur noſtri homines, ex quo è Batavis clariſſimus Lipſius diſceſſit. Plura ne ſcribam deterreor, ne quid per inconſultam libertatem juvenilius effutiam. Datum Cæſaroduni Turonum XXIV. Auguſti, die ferali olim Eccleſiæ Gallicanæ, CIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA XXXVI.

Joſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Lugdunum Batavorum.

QUanquam haud dubia ſpe præceperam, & voto mecum tacitus ominabar, omnia tibi bene feliciterque proventura, tamen non poſſum non confiteri, Vir illuſtris, cumulari me maximo gaudio lectis literis Gourgei noſtri ad Vertunianum, quibus ita graphice minima, maxima, medioxuma perſequutus eſt juvenis ille magnæ & ſupra ætatem indolis, ut (quod unum reſtabat ad ſummam voluptatis) quodammodo mihi in rem præſentem deduci viderer, etſi

—μάλα πολλὰ μεταξὺ
οὔρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα.

Gratulationem forſitan exſpectas. Ego gratiam comitati tuæ habendam eſſe cenſeo, quod te exorari paſſus ſis. Cum enim eximiæ virtuti honos habetur, plus eſt quod gratiæ apponat, qui delatum accipere dignatur, quam qui deferre meruerunt. Nam, ſi recte ratio puditatur, multo magis à dignis exambiendum eſt, ut dignitates ne faſtidiant, quam hoc illis in beneficio deputandum. Nunc autem ut tempora ſunt & mores horum hominum, bene beateque diſcedunt, qui ingenio atque doctrina cenſentur, ſi ſeſe à contemptu vindicent in hac publica ſæculi barbarie, & negligentia moris antiqui. Quare, quod antea negarâm me facturum, gratulor tibi & tuo, & magis literarum nomine, quarum affectum afflictamque dignitatem prope jam ſolus ſuſtines. In primis autem mihi gaudeo, qui, ſi exquiratur uſque ab ſtirpe auctoritas, & impulſor fui noſtris hominibus, ut exemplum ſæculo proderent effuſiſſimæ voluntatis

luntatis in principem primarum artium, & operam dedi ſedulo, quod in me fuit, ut voti compotirent. Itaque ſatis mirari nequeo, quid acciderit quamobrem ita me contemptim contererent noſtri, ut ad quinas aut ſenas literas, quarum pleraſque redditas eſſe certo reſcivi, ne verbo quidem reſponderint. niſi forſitan odioſa quædam opinio per calumniam inculcata eſt eorum animis, quaſi contra promiſſi fidem, contraque animi ſententiam publico patriæ meæ bono, tanquam violens aliquis Tribunus interceſſiſſem, ne de præſentia tua gratiam illis facere in animum induceres. Quod an ita ſit nec ne, te unum cauſæ iſtius judicem fero, ut unum innocentiæ meæ vindicem imploro atque obteſtor. Sed de his tantum eſt. Iam menſis agitur & amplius, poſtquam certior factus ſum Domino de la Prée ſucceſſiſſe Lævinum Caluardum, virum antiqua neceſſitudine, multiſque officiis cum parente ac fratre meo conjunctiſſimum, noſtrique peramantem, quomodo quidem mihi perſuadeo. Cæterum non ſatis acceptum habeo, utrum extra ordinem legationi ad tempus obeundæ miſſus ſit, an ut Agentis titulo res rationeſque Ordinum adminiſtret. Si quid hac de re clarius tibi liquet, explica quæſo æſtum meum, ut ſi quid ſpeculæ reliquum eſt, animum recipiam; ſin occiſa eſt hæc res, ineptire deſinam. Vale, Vir magne, & nos ama. Datum Cæſaroduni Turonum, XIII. Novembr. cIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA XXXVII.

Iuſto Lipſio Dom. Baudius S. P. D.

Lovanium.

MUltis magniſque pignoribus me tibi devinctum tenes, Vir magne, quibus luendis nec par eſſe poſſim ſi poſtulem, nec poſtulem ſi poſſim. Unum illud ex animi ſententia polliceor atque profiteor, me nemini ex alumnis tuæ diſciplinæ concedere, ut nomen meliori fide agnoſcant atque ego. Poſſum Iambos noſtros teſtes producere, qui ſi quid huic homini celebritatis conciliarunt (non eſt autem quod me gratiæ pœniteat) id omne libens ac merito rationibus tuis acceptum fero. Sed luculentiori nota gratum ac memorem me tibi probare cupio, quam hiſce inani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

bus ingenii monumentis, quod nec deſtiti facere quoties occaſio ad eam rem tulit, nec porro deſiſtam; & propediem faxo, ut illuſtri documento experiaris haudquaquam mendacia mea verba. Nunc ſolum voveo atque obteſtor, ut tu ſolido ingenii doctrinæque fructu, nos ſuaviſſima conſuetudine tua perfruamur. Summis viris eam curam curæ eſſe ſcito, ne tali virtute vir diutius exprobret publicam ſæculi ἀχαρισίαν. Vale, Vir magne, & nos ama. Datum Lutetiæ raptim, ut vides, IV. Kal. Septembris. cIↃ IↃ XCIV.

Salutant te viri illuſtres Thuanus, Puteanus, Pythœi.

EPISTOLA XXXVIII.

Iacobo Auguſto Thuano Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam.

AMica noſtri mentio, Vir ampliſſime, quam intexere dignatus es tuis ad eximium nepotem literis, id officii munus mihi imponit, ut quando re non poſſum tanti honoris onus ſuſtinere, ſaltem per literas & velut obſignatis tabellis profitear, quantum hoc nomine benignitati tuæ debeam. Illud mihi ſumme in votis eſt, ut tale tuum vel animi judicium, vel, ut potius interpretor, amoris indicium ad extremum vitæ curriculum perferre poſſim: Quod quidem ingens bonum ſi minus ulla ingenii doctrinæque ſpecie conſequor, admiratione tamen tuarum virtutum, & omni obſervantia non facile cuiquam conceſſero. Quod exiſtimas uſu & conſuetudine noſtra nonnihil confirmari poſſe ſeriam Philoſophandi rationem, quam nepos tuus inſiſtit, tantum abeſt ut tam urbanam laudem agnoſcam, ut contra præclare mecum agi putem, ſi eum pleno gradu ad omnia ſummæ laudis exempla contendentem ſequi poſſim non paſſibus æquis. Interim non diffitemur quin cottidie omni ope conſilioque enitamur, ut projectè mollibus ſimus paulo firmiores. Vale, Vir magne, & nos amore tuo honeſtare perſevera. Datum Bellimontio, V. Kal. Mart. cIↃ IↃ XCV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XXXIX.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Lugd. Batavorum.

TErnas jam, ſi recte calculum poſui, literas ad te miſi poſt profectionem in Belgium tuam: nec reſponſi quidquam accepi. Quid in cauſa ſit, tu videris. equidem ſerio ringor, & quanquam nulla ingenii doctrinæve ſpecie mutuum benevolentiæ redhoſtimentum promereri poſſum, obſervantia tamen & omni cultu adverſus te & eximias virtutes tuas minime indignus videor, cujus ratio habeatur. Niſi forte literas mihi tuas invidit vel tabellariorum fides, vel itinerum pericula, per quam rationem licuit etiam tuto bonam copiam ejerare. quod ne in poſterum fiat, ſi quam reſiduam priſtini amoris partem obtinemus in animo tuo, vehementer te obteſtor. De inſtituenda Lipſii vocatione, plurimus hic ſermo percrebreſcit, ſed ubi in rem præſentem veniendum eſt, non ſuppetunt dictis data. Vt hæc tempora fluunt in Galliis, ita rem natam eſſe video, ut propediem viri docti ob ſummam eorum penuriam vel præcipuis honoribus dignentur, vel poſtremo contemptu afficiantur. Nos hic ſedulo ſuſtentamus ut fieri poteſt in publica ſæculi barbarie. Sed nec omnium dierum ſoles occiderunt, & hac miſera conſolatione oblector, quod hæc ſors mihi communis eſt cum pleriſque ingeniorum luminibus, qui neglecti incultique exprobrant turpiſſimam ſæculo ἀχαριστίαν. Tibi quidem obtigiſſe fortunam haud parem illam quidem meritis tuis, ſed tamen minime pœnitendam, ſerio gratulor, & quæſo Deum ut propria hæc tibi munera faxit. Datum Lutetiæ, pridie Kal. Iunias cIↃ IↃ xcv. Raptiſſime.

EPISTOLA XL.

Ioſephus Scaliger Dom. Baudio ſuo S.

Lutetiam Pariſ.

QVas ad me dediſti prid. Kal. Iunias, accepi. Melius ominare de meo in te amore. Neque tui oblitus ſum, neque ullius, quem virtus ſua mihi aut amicum aut celebrem fecit. Binis tui memini me jamdudum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

reſpondiſſe. Quo fato, aut cujus culpa ad te pervenire non potuerint, neſcio. Hoc unum ſcio, negligere officium literarum, perinde eſſe ac amicitiæ rationem non habere. Scito te mihi cariſsimum eſſe propter egregias animi tui dotes, quas in te non amarem, niſi & te amarem. Quod ſcribis de Lipſio iſtuc evocando, fruſtra fore puto. Iam enim multis argumentis fidem fecit ſe ἐμφιλοχωρεῖν, *quia ædificat & comparat ſe tanquam in eo nido foturus & ſenectutem ſuam & ſtudia ſua. Quod ſi neceſsitas illi ſemel impoſita eſſet Theſaurariorum Gallicorum fidem experiri, quam bene cum illis agi putaret, qui cum hujuſcemodi hirudinibus rem non habent. Evocatur etiam à Venetis, Bononienſibus, & Florentinis: quorum vota & interpellationes eludet, ut puto, amore patriæ, quam omnibus opimis honorariis videtur præferre. Exſpectatur in dies ejus egregium & luculentum de Militia Romana opus. In quo nihil non Lipſianum ſperandum eſt. Miſeret me litteratorum & aliorum bonorum virorum, quorum pretium nullum iſthic eſſe ſcribis. Sane olim aliter fuit. Sed omnino neceſſe eſt, ut gloriæ imperii Gallicani, ita literarum eandem ſenectutem impendere. Sed bene eſt, quod hic reviviſcunt ſummo cum honore, ita ut de hac Academia melius meliuſque ſperare mihi liceat. Vale, mi Baudi, XVII. Kal. Iulias. Lugd. Bat.* CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA XLI.

V. C. Iacobo Auguſto Thuano S. P. D.

PEndeo animi, Vir Illuſtris, quorſum tandem evaſura ſit lenta iſta materies de Lipſio evocando. Qua quidem in re, niſi ſingulare ſtudium tuum penitus perſpexiſſem, jure mihi deprecandum eſſet importunitatis odium, quod eandem cramben toties recoquere non erubeſcam. Sed videlicet ita eſt, nemini ea ſuffragatio majori curæ fuit quam tibi, ut proinde minime mihi neceſſe ſit cauſam apud te dicere, cur in hanc rationem tanta contentione incumbendum putârim. Quod ſi hæc lis peroranda foret coram aliquo judice non averſo illo quidem à Muſis humanioribus, ſed prorſus ignoto, poſſem fucum facere homini, & immodicam cupiditatem ſpecioſo rei literariæ prætextu velare. Cæterum probitatis tuæ reverentia prohibeor, quo minus gratiæ apponi poſtulem id

in quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

in quo nihil promerear. Itaque miſſum faciam τὸ φαινόμενον τῆς περιφράσεως, ut levato velo indicem τὴν ἀυ-ϖολάτην αἰτίαν. Lipſio equidem omnia ſumma cupio, & ob honorem hominis, & ob amorem literarum. Sed tamen mei potiſſimum commodi ratio à me ducebatur, cum tam ambitioſis flagitationibus hoc agebam, ut huc evocaretur. Suadebat enim voluntas, & rerum mearum ſtatus urgebat, ut in patriam excurrerem: quod ut ſine ſumptu meo & cum nonnulla dignitate fieret, bella occaſio eveniſſe videbatur, ſi quod ſpe ac votis præceperam, publico nomine ad eum accerſendum Legatus forem. αἰσχρόν γὰρ δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι. Nunc ſi quæ reſtat δυσελπιστία, nihil ſane remiſi de priſtina cupiditate. Cæterum ut rem natam video, factu optimum fuerit, ſi tandem deſinam ineptire & nuntium remittam fruſtratoriæ exſpectationi. Vale, Vir Magne, & nos ama. Datum ex prædio Olinvillæo XV. Kalend. Septembr. CIↃIↃ XCV.

Tuus tuo merito Baudius.

Epistola XLII.

Iacobo Auguſto Thuano Dom. Baud. S. P. D.

Lutetiam.

Qvanquam grave flagitium eſt appellare bona nomina, priuſquam dies ceſſerit, tamen impatientia deſiderii, & occaſionis celeritate moveor ut faciam quod imperatores inſtructa acie ſolent, ut eos maxime hortentur, quos ab animo paratiores ad præliandum eſſe vident. ita precibus & omni obteſtatione ſupplex te oro atque obſecro, ut hoc agas quod agis, & in maximis tuis curis aliquid temporis impertiri digneris huic meditationi, de qua nuper cum tecum egiſſem, niſi mihi φιλαυτία imponit, viſus es hac noſtri demerendi oportunitate non indelectari. Equidem fateor, quod ſine inſigni arrogantia negare non poſſum, permultos repertum iri, qui majoribus ingenii doctrinæque præſidiis inſtructi ad hanc Spartam aſpirare audebunt: ſed ſi cauſam noſtram illuſtri gratia tua complexus fueris, vix quemquam fore arbitror, qui gratiore animo vel religione potius, tanti muneris dignitatem implere conabitur.

Atque

Atque utinam in eo res eſſet, ut tanquam gladiator in arena conſulendum haberem, quibus artibus hæ partes adminiſtrandæ forent. Sed, ut hactenus fui ingenio egregie ad miſeriam nato, vereor ut fatum meum capere poſſit tantam felicitatem: Non deſinam tamen bene ominari dum ſpei locus erit, ſi non aliud, ſaltem ut jucunda opinione tantiſper oblecter. Si quid iſthic me opus fuerit, confeſtim advolabo. nam ut intimam cauſam noris (ſi id ad cogitationes tuas quidquam attinet) cur hic ruri vitam exigam.

οὐ πειθώ μοι θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν,
ἀλλὰ κακὴ πενία.

dum enim ex ancipiti mutatione temporum pendeo, nec aliunde fortunis afflictis præſidium quæſivi, factum eſt ut in præſenti vix copia ſuppetat, unde poſſim ἀσχημόνως in hominum honeſtiorum proſcenio comparere, nedum in aulæ theatrum prodire, ubi viros cenſu cenſere, & externis inanibus metiri mos eſt, adeo ut plerumque veſtem pluris æſtiment quam veſtis fartum: Cæterum ſi tam lauta conditio nobis obtigerit, omnia item in proclivi erunt, quibus huic incommodo mederi poſſimus. Exceſſi modum non ſolum Epiſtolæ, ſed & modeſtiæ quod te tali dignitate virum tam familiariter compellem, ſed hanc mihi libertatem amor animuſque tuus indulget, cui me meaſque ſpes ſecundum Deum commendo atque trado. Vale, Datum ex prædio Dolinvillæo, v. Kal. Decembris, CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA XLIII.

V. C. Iacobo Auguſto Thuano Dominicus Baudius S. D.

INter opimam ſpem & afflictiſſimam fortunam deſtitutus, fidem tuam rurſus imploro, Vir Ampliſſime, non diffidentia promiſſi tui, quia cupienti animo nihil ſatis feſtinatur, ſimul etiam tædio rerum mearum, quibus, ſi ſe tam ſplendida occaſio ſubterduxerit, non aliud præſidii reliquum eſſe video, quam ut libertatem meam, quæ ſola nunc ex omni cenſu noſtro reſidet, alicui minuto Satrapæ proſtituam; qua re nihil animo meo gravius unquam accidere poterit; ſed cogit duris urgens in rebus egeſtas ἧς δεήσεις οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. Fui iſthic per dies compluſculos

pluſculos non alia mente quam tui conveniendi, in quo uno ſecundum Deum ſpem conſtitui, fore non tantum ut tollar humo, quod voto meo ſatis eſt, ſed, quod amplitudine tua dignius eſt, ut poſſim victor virûm volitare per ora. Vale, Vir Magne & nos Tui obſervantiſſimos amore tuo honeſtare perſevera. Datum ex prædio Olinvillæo x. Decembris cIↃIↃxcv.

EPISTOLA XLIV.

Illuſtri Domino Iacobo Auguſto Thuano Dominicus Baudius S. P. D.

ἘΝ δεσμοῖς ἐσχεδίασά σοι ταύτην ἐπιστολήν. quod tibi dividiæ futurum ſpondet mihi vivus ille animi candor, quo communiter omnes miſeraris, qui non ſuo, ſed fortunæ vitio plectuntur, tum peculiaris amor, quo hunc hominem complecti dignatus es, ex quo præcipua quædam mea felicitas ad amplitudinem Tuam aditum mihi patefecit. Prætor hujuſce Vrbis cui me Dominus Servinus de interiore nota commendavit, decrevit ut ſub liberali cuſtodia liberari poſſem: ſed ea res mihi in irritum cedit. Nemo enim id periculi ſubire vult, niſi dem idoneum fidejuſſorem. is vero mihi non eſt in mundo. Pleriſque obſtat dignitas, quominus eorum prompta & parata voluntas effectum habere poſſit. Ita in ipſa copia deſtituor inops, ὥσπερ τις ἐνδεοπλούσιος τάνταλος, adeo ſuſpicioſum eſt illud improbiſſimum genus oſtiariorum & commiſſariorum, ut pervulgatis nominibus utar feſtinans. Is qui haſce litteras Tibi reddet, homo eſt haud quidem in magna re, ſed fidei plenus, ex quo, ſi tantum tibi ab rebus ſeriis otii eſt ut poſſis, aut is animus in hunc miſerum ut velis de ſtatu noſtro cognoſcere, ſigillatim omnia cognoſces, Vale. Tuæ dignitatis obſervantiſſimus D. Baudius.

EPISTOLA XLV.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Lugd. Batavorum.

NEc tu ignoras, Vir clariſſime, quanti te ſemper fecerim, & ego multis argumentis perſpexi me tibi eſſe cariſſimum. Ea re cepi impetum

petum indicandi tibi per literas magnificam ineundæ gratiæ materiem, tametſi præmaturam, & cujus eventus adhuc Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. D. Caluardus ampliſſimorum Ordinum Legatus, vir & ob dignitatem & ob animum erga nos officioſiſſimum, mihi maxime colendus, graviter in morbo cubat, & ut auguria medicorum obnunciant, pene jam depoſitus & conclamatus eſt. Si quid illo ſequius fiat: magno cive orbabitur Res noſtra publica, nos autem inſigni patrono. Sed privatum caſum feremus, ut humana omnia decet, æquo animo: cæterum publico detrimento quem tandem idoneum cenſes qui mederi ac moderari poſſit? quis, inquam, Hercules ſuccedat huic Atlanti? Equidem non adeo frontem poſui, ut hunc hominem arbitrer tantæ perſonæ capacem. verum tamen nihil inſolentius mihi arrogare videor, ſi dixero me tempus omne ætatis conſumpſiſſe in iis artibus, unde hæc præmia virtutis, & ornamenta dignitatis emanare conſueverunt. Quod ſi hactenus non patuit campus in quo excurrere, atque exſpatiari indoles induſtriæ noſtræ poſſet, non inertis animi culpa eſt, qui vita depaciſci cupio, ut patriæ prodeſſe queam, ſed ſæculi flagitium fuit, & fatalis quædam labes adverſa virtuti eorum qui rectis ſtudiis ad bonam mentem adſpirare ſeſe ſtuduerunt. Sed non eſt nunc querendi locus; præſertim apud te, cujus excellens in omni genere laus ſupra omnem invidiæ aleam conſtituit, omnium ordinum homines in admirationem ſui accendit. Hoc agendum potius, ut occaſionem illam urgeamus, qua forte nulla unquam præclarior eveniet. de D. Caluardo loquor, ſi quid homini humanitus accidat. Equidem jamdudum religioſa quadam obſervantia tibi ſum devinctus, quod me inter cultores tuos allegere non ſis dedignatus: ſed ſi preces noſtras illuſtri gratia tua exceperis, non tu quidem efficies, te ut magis venerer, (nihil enim addi poſſe reor ad eam obſervantiam qua te colo,) ſed hoc conſequeris, ut cum omnia ſumma tibi debeam, etiam majoribus copiis munem ac memorem animum teſtificare poſſim. Vale. Datum Lutetiæ Pariſiorum XIV. Kalendas Majas, CIↃ IↃ XCVII.

Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Si quid reſponſi dare voles, D. Servino literas tuas inſcribe, is porro mihi reddendas curabit.

EPISTOLA XLVI.

Ioſephus Scaliger Dom. Baudio ſuo S.

SI ita eſt, quod ſcribis, & omnibus hic perſuaſum eſt, Caluardum obiiſſe, næ & hæ provinciæ ſtrenuo viro, & ego amiciſſimo homine privatus ſum. Pauci ſunt quibus hæc mediocria inſint, quæ in illo ſumma erant, rerum tam Belgicarum quam Gallicarum peritia, aulica facundia, & alia facundia. Quæ prudens omitto. Sine quibus neque idoneus illi muneri neque ad illud munus à ſuis delectus fuiſſet. Adhæc enim (ut ſcis) id plane requiritur, ut diu rebus harum provinciarum tritus ſit, & non mediocrem illarum uſum habeat. Hoc non poterit conſequi niſi is qui diu in hiſce locis fuerit, & aut ex Proceribus Senatus Ordinum fuerit, aut ſaltem ad illorum intimam amicitiam ſeſe applicaverit, ut ex illis tuto diſcere poſsit, quod homo privatus, ſine magno tamen ſumptu, tum temporis intervallo, non potuiſſet. Et ſane quicunque in locum Caluardi ſufficietur, illum non ſolùm Ordinibus, ex amicitiæ, ſed ex rerum etiam uſu, notiſſimum eſſe oportet. Quod ſi hic diu tibi eſſe contigiſſet, quæ tua eſt tum ad primariorum virorum amicitiam demerendam virtus, tum ad Rempublicam capeſſendam induſtria, non dubito quin aut iſthinc mittereris, aut inter illos nominareris, qui digni hoc munere. Nunc quum ad id non natura ſed fortuna tibi defuerit, fruſtra omnem operam inſumi puto, ſi de te verba faciant amici, in quibus ego princeps, non tantum vota, ſed etiam omnem opem promitterem. Quis enim amantior tui? Vale.

EPISTOLA XLVII.

Illuſtribus Viris Iuſtino à Naſſau, Zelandici maris Præfecto, & Iohanni ab Oldenbarnevelt, Hollandiæ Weſtfriſiæque ſtatus Conſiliario & Advocato, Legatis Ordinum apud Regem Galliarum.

ILluſtres Domini, Si in hoc excelſo gradu dignitatis, ad quam vos publica vota, & heroicæ virtutes evexerunt, minime faſtidiendum putabitis juvenem, haud magna in re, ſed & bonarum partium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

& ſpei plenum: concilio vobis, magni Mecænates, clientem, qui, ne longo ſermone peccet in publicum, verbo vos ſupplex orat atque obſecrat, ut in tanta mole curarum, quibus rei Belgicæ ſalus nititur, aliquid etiam vacui temporis impertiri dignemini huic cogitationi, qua fiat ut vobis uſui & emolumento eſſe poſſit. Etſi enim plures jam annos careo patria, non ex ullius culpæ conſcientia, nec deliberata mente exulandi, ſed tædio temporum, & fatali bonis ingeniis calamitate; tamen tantum abeſt ut me unquam ceperit oblivio quid patriæ debeam, ut vitam mihi eſſe acerbam putem, quod nihil in commune confero præter vota, quibus ex animo Deum precor ut conſilia, cæpta, cogitata veſtra bene feliciterque proveniant. Etenim probe mihi ſum conſcius, quantum ſemper faverim cauſæ libertatis, quam vos legitima poteſtate armati fortiter conſtanterque propugnatis, adverſus vim & fraudes tyrannorum, quibuſcum nulla pax iniri poteſt, niſi vel cum præſenti bonorum interitu, vel, quod gravius eſt generoſo pectori, cum pactione ſervitutis. Hujuſce judicii & animi mei ſpecimen erunt hi verſus, quibus tum manus admovere poteritis, cum vos otii pigebit, & bonas horas non bene collocare libido fuerit. Tantum enim abeſt, ut in iis nugis mihi placeam, ut potius ingemiſcam ſerio, quod hoc quantulumcunque ingenii atque induſtriæ tam inutiliter diſperdatur, ſicuti apud veterem Poëtam Philoctetes queritur, non armigero ſed pennigero in corpore tela ſua exerceri. Vobis porro in manu eſt mederi huic incommodo, ſi hunc hominem liberali cauſa publico vindicare non gravamini. Dignitas quam ſuſtinetis, & authoritas qua merito valetis plurimum, non ſolum largam materiem ſuppeditant, ſed & honorificam vobis neceſſitatem imponunt, bene de bonis merendi. quo in numero ſi eſt ut reponi merear, omni ope conſilioque enitar ut neque vos delati honoris, neque me ſuſcepti unquam pœnitere poſſit. Valete. Lutetiæ. CIↃ IↃ XCVIII.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XLVIII.

Patrono & Mecœnati meo Iacobo Auguſto Thuano S. P. Dico.

ERat hoc, ni fallor, de more Perſarum, ne cui jus faſque eſſet Regem adire manu immunis; quo ritu Majeſtatem Principis cum numine Deorum genere quodam religionis exæquabant. Geſtiebat animus id inſtitutum uſurpare apud te, quem litteratorum conſentiens fama celebrat & agnoſcit Regem Muſicæ gentis: ſed cum carceris injuria libertatem teſtandæ coram obſervantiæ mihi præcideret, neceſſe habui per interpretem & pararium tecum agere, quem vel hoc nomine benignitati tuæ gratum & impetrabilem fore confido, quod ex diſpari contentione perſpicies nos pro affectu quædam velle, quæ tu feliciſſimo eventu cumulate perficis, nos magno conatu moliri, quæ tibi velut per ludum ac jocum illaborata procedunt. ἀλλ' οὐ δὴ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσι. Quæ cogitatio non ſolum mihi veniæ ſpem proponit apud te, qui ſententiam ferre ſoles κατὰ τὴν ἐπιείκειαν οὐκ ἐξ ἀκριβοδικαίου, ſed & fiduciam adfert obtinendi, quod ſummis precibus te rogatum cupio, ut ſcilicet liberalem cauſam noſtram ſuſcipias apud Dominum D. Attichy, τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ οἴκῳ. Omnia ſuadæ & gratiæ tuæ prona erunt in re prorſus favorabili, apud judicem & ſponte benevolum & authoritati tuæ libenter ceſſurum pro reo qui σὺν Ἀδραστείᾳ λέγω non omnino indignus eſt, cujus aliqua ratio habeatur. Ipſa Sereniſſima Princeps ſæpius iteravit cupere ſe nobis liberaliter ſatisfieri, ſed ejus optimam mentem pervertunt γυναικῶν ἀρκύσται, quod te minime præterit. Verum nunc ἀγαθῇ τύχῃ abeſt altera, & quidem turbulentior. alteram dies mitigavit & magis leniet commiſeratio meæ ſortis, ut ſaltem famæ pudor. Nec vero pugnabit obſtinatius ſi Dominus Attichy ſerio in cauſam incumbat, pro ſuo, ſi non aliud certe virilis ſexus facit. Adhæc autem juſtam indignationem movebit & perſonæ conditio & ſingulare genus improbitatis. Patior enim hanc injuriam à muliere omnium bipedum nequiſſima & (quod auget indignitatem) domeſtica ipſius Principis, à qua cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cum ordinario jure & optima lege meum repoſcerem, illa ut apertam petitionem eluderet, non tantum me veteratoriis artibus fruſtrata eſt, ſed crudeliſſime oppugnavit per cuniculos ceſſi à creditore meo nominis. Quamobrem in carcerem conjectus ſum nullum ob flagitium, ſed ob inconſultam ſpondendi facilitatem, cui noxam præſto eſſe vir experiens teſtatur, & ego reipſa compertus ſum. Sed non morabor tempora tua longiore ſermone, ne quid peccem in rem publicam, cujus in ſalute, curæ omnes tuæ & cogitationes defiguntur. Vale XV. Iulii 1598.

EPISTOLA XLIX.

Illuſtri Domino Iacobo Auguſto Thuano Dominicus Baudius S. P. D.

HOdierna die negotium noſtrum diſceptabitur in conſilio Sereniſſimæ Principis: ſumma totius litis concredita eſt fidei, * quæ mihi juſtis de cauſis ſuſpecta eſt, quibus commemorandis nolo te morari, nec tu, opinor, hominem ignoras. Sed quia fati mei infelicitas ita tulit, ut in ejus manu potiſſimum eſſet arbitrium hujuſce judicii, neceſſe eſt metum diſſimulem, ne intelligere videar. Itaque pluribus litteris gratiam hominis demereri ſtudui, & quia perſuaſiſſimum habeo, magnum pretium operæ fore ſi authoritatis tuæ pondus cauſæ noſtræ commendandæ acceſſerit, adde quæſo tot ingentibus beneficiis quibus me devinctum tenes, hanc recentem gratiam, ut per quemdam è domeſticis tuis intelligat, meas apud te preces nonnihil poſſe. Vale, Vir Obſervande, & nos ama. E Tulliano XVIII. Iulii 1598. Tibi deditiſſimus D. Baudius.

EPISTOLA L.

Illuſtri Domino Iacobo Auguſto Thuano Dominicus Baudius S. P. D.

ITa tulit caſus infeſtus, ut is eſſet litis noſtræ moderator & arbiter, qui non tantum odioſis ἀμβολιεργίαις rem protelat; ſed perfidioſa ſimulatione amoris jampridem me fruſtratus eſt. Cui, cum atroci injuria violatus ſim, gratias agere cogor ex diſciplina ſapientiæ

pientiæ inſanientis aulicorum, quanquam invita Minerva, qui genus iſtud hominum odi ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι. Quin vide faſtum & faſtidium οὐκ ἔτ᾽ ἀνεκτὸν iſtius Curiæ mancipii. Non eſt lectu dignatus meas literas & brevi auditu abſolvit patronum capitalis cauſæ meæ. Quanquam facio invitus & cum pudore ut te tali dignitate ac virtute virum cum ejuſmodi mortalibus miſceam: tamen ſummis precibus à te peto, deleges alicui è tuis id officii onus, ut ſtudioſe cauſam meam commendet, quæ unius horulæ momento explicari poteſt, ſi tantum vacui temporis huic cogitationi impartire ſuſtinebit, quod haud aliter facturus eſt, quam pudore exiſtimationis & authoritate ſpectabilium virorum, in quibus tu omni laudis exemplo familiam ducis. Duo ſunt in univerſum quæ poſtulo, plena ſummæ æquitatis, ut aut Sereniſſima Princeps in ſe transferat obligationem, cujus cauſa ſum conjectus in carcerem, & ex promiſſæ remunerationis cumulo tantundem deruat, quantum pro ceſſo nomine, reipſa vero contractu perſolutum eſſe conſtabit, ſive ex ipſo ceſſionis authore, ſive ex jurejurando ipſius ceſſionariæ non ultra ſecundum ea quæ conſtituuntur l. pen. & ult. C. mandati: vel ut compenſationi locus ſit ad eandem uſque ſummam ex eo debito deducendam, cujus nomine redemptricem iſtam alienarum litium in jus vocaveram. Sed quia rationes nondum ad liquidum perductæ ſunt, vereor ut ea res liberationi meæ producat moram, niſi ipſius Principis autoritas intervenerit. quod dicto citius fiet ſi * in cauſam incubuerit, ſed opus eſt homini ſtimulus, ut tandem officium faciat, non dicam amici, quem tamen profitetur, ſed hominis, quem ego in hoc animali non agnoſco, ita ſe barbarum præbet in periculo veteris amici. cujus fortuna multos antea ignotos ad officium humanitatis excivit. Vale. E campis Elyſiis quibus nomen Grande Caſtellum XXII. Iulii. 1598. Tuæ dignitati deditiſſimus cliens D. Baudius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LI.

A Monſeigneur Monſeigneur de Thou, Conſeiller du Roy au conſeil d'Eſtat & privé, Preſident en la Cour de Parlement.

*Monſieur, S. Loutrageux meſpris que je reconnois du Mr * au fait de mon eſlargiſſement qui luy a eſté enchargé par le commandement exprez de S. A. & recommandé par les premiers perſonnages de la Cour de Parlement contraint de vous ſupplier au Nom de D. que ma cauſe ſoit commiſe à quelque autre du conſeil de Madame quiconque ce puiſſe eſtre; Ma partie le conſent. Madame le veut, la Iuſtice l'ordonne, & cependant je trempe icy en vne miſerable priſon, cependant que Mr * ſe fait celer, vſe de remiſes & ſe donne du bon temps, voire ſemble prenare plaiſir en l'affliction d'vn qui ſans parler plus avant n'a pas merité tel traittement. Il ſe formaliſe de quelque lettre eſcrite avec plus de franchiſe q'un eſprit hautain ne peut digerer : Mais ſes deportemens verifient que je n'ay rien dit que la pure & ſimple verité.* ἀγροικός εἰμι τὴν σκάφην σκάφην λέγω. Non ſum Pelei filius nec me genuit ἀργυρόπεζα Θέτις θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος. Vere tamen Heroicum illud uſurpabo ἔχθιστος μοὶ κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐν φρεσὶν ἄλλο δὲ βάζῃ. Hæc juſtus dolor adigit me ut effutiam de homine πονηροτάτου κόμματος apud te γνησιώτατον καὶ ἀκιβδηλότατον ἄνδρα. Scio quam tibi ſit vivus & ingenuus candor, quem dum intueor, interdum minus habeo rationem dignitatis. Verbo impetrari poterit à D. Attichy ut cauſæ noſtræ arbitrium cuipiam cuicuimodi tandem, modo rationis & humanitatis capaci deligetur. Vale & ignoſce captivo & ægroto. Tibi deditiſſimus cliens Dom. Baudius.

EPISTOLA LII.

Iuſto Lipſio Dom. Baudius S. P. D.

Lovanium.

Refero tibi tua verba, & tribus tantum te alloquor, non ut inſolutum quippiam imputes, ſed ut ingenua profeſſione debiti bonum nomen exiſtimer, teque humaniore utar creditore. Nunc ita diſtringor inertiſſimis & illiteratiſſimis officiis, ne dicam

dicam bonæ mentis avocamentis, ut nec otium ſit, nec animus inſtitui poſſit ad ſcribendum, præſertim viro tali fama ac virtute. Non addo plura, ne minuendo culpam augeam. Novi nihil ſuccurrit. imo vero res mira contigit heſterno veſpere. Pro certo enim renunciatum eſt nobis, cum eſſem apud D. Thuanum, eique literas tuas legendas darem, Ducem de Ioyeuſe rurſus redditum ordini Capuchinorum, quæ res benignam materiam præbuit varie ſuper tali facto diſſerendi. Velim inter nos aliquam notarum ſecretiorum rationem iniri, quo ſine arbitris libere colloqui poſſemus. multa enim haud ſatis tuto literis committuntur. Plura cum cuperem, ecce malam crucem quæ me avocat. Vale. Salutat te D. Thuanus officioſiſſime. Datum Lutetiæ. x. Martii, cIↃ IↃ XCIX.

EPISTOLA LIII.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Lugdunum Batavorum.

DIuturni ſilentii cauſam non dico, ne latiſſimæ negligentiæ culpam augeam impudentia defenſionis. Quin (ut ingenue fatear) ne nunc quidem in officio eſſem, niſi ſeria & ſevera flagitatione moram & ἀμβολιεργίαν noſtram expugnaſſet οὗτος ὁ γραμματοφόρος, vir mihi recenter cognitus, ſed in paucis amicus; qui cum intelligeret, quod in præcipua parte fælicitatis deputo, meas apud te preces non nihil poſſe, magna ope mecum egit ut ſe tibi de meliore nota commendarem. Percuſſit ilico animum ſuperioris ignaviæ recordatio, cujus ut veniam impetrare poſſim, per literas interpretes trado tibi hunc hominem, non tanquam eum qui commendatione noſtra indigeat, ſed ut patrocinium cauſæ noſtræ ſuſcipiat, quo impetrabilior eſſe poſſit. nam mihi quidem verba non ſuppetunt, quibus tantum flagitium deprecari poſſim. Adjuro igitur te per humanitatem tuam, quæ ſemper optimo cuique patuit, ut & confitentem reum in gratiam recipias, & virum hunc tui nominis obſervantiſſimum, illuſtri gratia tua complectaris. Quanquam virtus atque eruditio ejus pararium minime deſiderat, tamen hactenus pudori ſuccurrendum fuit, ut primos ſaltem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

aditus ad dignitatem tuam ſuffragatio noſtra ipſi conciliaret. Quod ſi ad eam beneficam voluntatem, quam tua ſponte bene merentibus deferre ſoles, aliquid in cumulum ex commendatione noſtra acceſſerit, ita hoc beneficium interpretabor, quaſi ejus potiſſima pars in memetipſum redundare videatur. Vale, Vir illuſtris, & nos ama. Nobiliſſimo Douſæ, & Vulcanio plurimam ſalutem voveo, dicoque. Datum Lutetiæ VII. Id. Quintileis. cIↃ IↃCI.

EPISTOLA LIV.

Puteanis fratribus Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

NOn opus erit mihi venia, ſi plures vos compello unica epiſtola. Nam & fraternitatis vinculum, & omni naturæ neceſſitudine potentior animorum conjunctio vos in unum ſic devinxit, ut recte æſtimantibus neutiquam plures eſſe videamini. Deinde hoc modo ſcribendi laborem compendifacio: quæ ratio non eſt ſane parvi ponderis apud hominem natura deſidioſum, & fugitantem laboris; cujuſmodi quidem ingenio, ſi quis alius mortalis, εὔχομαι εἶναι. Re tamen & opera promptum vobis ac paratum hunc animum fore profiteor, ſicubi videbitis ſtudium noſtrum commodis veſtris uſui eſſe poſſe. Sic certe meretur ingenuum ingenium moreſque veſtri; facti prorſus ad genium meum, & ad amorem omnium bonorum. Me quidem nunquam niſi cum vita capiet oblivio, quantum humanitati veſtræ ſim obſtrictus. Tantum vero abeſt, ut nunc mediter qua ratione parem meritis veſtris gratiam referam, ut potius vetera beneficia novi nominis auctario cumulare inſtituam. Hanc nempe fiduciam mihi facilitas veſtra tribuit, ut quaſi pro meo jure quodlibet onus vobis injungere non erubeſcam. Præſertim Petro, cujus in ſcribendo non quidem artem magiſtram, ſed laborem induſtrium vehementer expeto, ut ſua manu, quamprimum fieri poterit, huc exaratam mittat Præfationem noſtram Iambis contextam; item Commentationem illam *De fæneratoribus*, cujus initium eſt: *Ita hodie corruptis moribus vivitur, &c.* cum Sententiis illis politicis, quas penes vos depo-

depoſui paulo ante meum ab urbe diſceſſum. Nullum iſtarum rerum exemplum retinui, & potiſſimam partem fugitiva oblivio memoriæ meæ ſubtraxit. Ne gratis hanc operam mihi commodet bonus ille puer notarum præpetum, remittam prima occaſione novas nugas Poëticas, quæ mihi velut nauſea effluxerunt perfuncto graviſſima tempeſtate. Horreſco recordans periculi, quod fato magis & majore vi, quam humana ſpe aut ope, ſubterfugimus. Votivam tabulam littoralibus Diis, & Helenæ fratribus debeo ſalvus è naufragio, voſque ſoteria vivo ſodali. Valete, & Baudium veſtrum, qui vos medullitus amat, amare perſeverate. Datum Londini, XXIX. Ianuarii, CIↃIↃCII.

Caſaubono multam à me ſalutem dicite.

EPISTOLA LV.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

CONſilio amicorum impulſus, & aſſidua flagitatione Viri illuſtriſſimi Chriſtophori Harlæi, profectus ſum in Angliam, ut ei ſim à conſiliis, à ſecretis, ab interioribus ſtudiis. Non dubito quin hominem de nomine & fama noris vel ex ſermone noſtro, vel ex relatu communis amici noſtri D. Brederodii. forſitan & aliqua neceſſitudo tibi cum illo interceſſit; nam & obviæ eſt humanitatis, & tu talium virorum familiaritate digniſſimus. Si notorem deſideras, narro tibi eſſe filium unicum primarii Præſidis Pariſienſis, quem antiquarii Principem Senatus appellant. Vir eſt ab omnibus ingenii doctrinæque præſidiis inſtructiſſimus, copiis & facultatibus abundans, judicio & maturitate conſilii prudentior quam ætatis ſors ferre videatur. Adhæc militiam toleravit, & præclare munus hoc adminiſtravit, ita ut Regi in paucis carus acceptuſq; eſſe meruerit. Rem ipſam auctorem vides. cum enim vix trigeſimum annum expleverit, miſſus eſt in hanc provinciam Legatus, ut tanquam alter Hercules ſuccedat magno illi Atlanti Boſſiſio, qui te unice amat æſtimatque, ut ex ejus crebris ſermonibus liquido perſpexi.

Non noſtri ingenii eſt oras evolvere laudum
Tantarum, meritiſque virum celebrare camænis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Hæc tamen præfari commodum fuit, ut rationem propoſiti mei cognoſceres, ne temere aut inconſtanter à me factum arbitrareris, quod cum ſemper fuerim libertatis retinentiſſimus, etiam inter anguſtias & acerbitates fortunæ, tamen adduci potuerim, ut in familiam & clientelam cujuſquam magnatis arrogari me paterer. Acceſſit hortator ipſe pater, itemque præſes Thuanus ejus avunculus, qui blanda vi pertinaciam noſtram expugnarunt, & omnem recuſandi libertatem præciderunt. Sed nulla res æque labantem animum impulit, atque hæc cogitatio, quod ſperabam eventuram mihi bonæ copiæ facultatem, qua illuſtriſſimis Dominis Ordinibus aliquam utilem ac fidelem operam navare poſſem. Atque id ut ex parte mea procurem, exiſtimavi per literas commonendos eſſe amicos de noſtro inſtituto, ſimul etiam adhortandos, ut huic laudabili ſtudio gratiam & ſuffragationem ſuam impartiri dignentur. Ex omni copia eorum quos benevolentia complector, tu unus es ille, cujus eximiam erga me voluntatem multis rebus ſum expertus. Hac fiducia te præ cæteris patronum advocavi mihi in cauſa honeſta & favorabili apud heroëm illum Barneveldium, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Minime ambigendum arbitror, quin apud eum in flagranti gratia ſis. Cum enim Vir ille præſtanti judicio expendat optime, quantum cuique tribuendum videatur, tu qui ſumma mereris, & natura doctrinaque informatus es ad omnem virtutis gloriam, non potuiſti in hoc luſtro votis concipere cenſorem magis idoneum. Deinde neſcio quid boni præſagit animus de affinitate contrahenda: ſive fama mihi indicium fecit, ſive quia vehementer *cupio omnia quæ vis* tibi proſpere ſuccedere, fruor amabili errore, ſicut ajunt Sabinos quod volunt ſomniare. Trades igitur literas noſtras homini de manu in manum, ſed captato commoditatis articulo, ne quid improvida ſedulitas apportet mali. *In tempore*, inquam, *ad eum venies, quod,* ex ſententia Comici, *rerum omnium eſt primum.* Sed næ ego magno conatu magnas nugas ago, qui tibi audeo præſcribere quo pacto te gerendum habeas, quaſi non ſis *rerum tutela tuarum.* Ignoſces animo impatienti, qui dum

dum omnia neceſſaria putat, vanos ſibi metus fingit, & inepta multa commentatur. Vale. Datum Londini, XVIII Februarii, CIↃ IↃC II.

D. Raphaël Thorius plurimam tibi ſalutem nunciat. Spero (ſi qua fieri poſſit) me propediem ad vos iturum.

EPISTOLA LVI.

Franciſco Douſæ filio Dom. Baudius S. P. D.

Lugd. Batavor.

NOli tibi nimium placere quod occupo ſcribere, & prior interrumpo perpes iſtud ſilentium, cui tanto temporis intervallo indormivimus. Communem potius culpam agnoſce, & emenda in poſterum. Equidem cum reputo præteriti temporis ceſſationem, tacito rubore ſuffundor, & hoc unum habeo quod dicam ab illo elegantiſſimo nequam, *non invenio quod feci.* Nec tamen, ſi hanc defecti officii labem excipias, periit omne in medio tempus quo à nobis domuitionem paraſti. Nam & magna myrmecia carminum prorupit ſe ex noſtro cerebello, præcipue Iamborum, & quidem de meliore nota, ut ſolens familiariter apud te nuger. Quædam effractis domeſticæ cuſtodiæ clathris in lucem prodierunt, non ſine aſpirante favonio publicæ famæ, ſed

Gloria quanta libet quid erit, ſi gloria tantum eſt?

Dederam aliquot exemplaria perferenda ad Scaligerum, ad Patrem tuum, ad te, ad alios: ſed dederam transfugæ cuidam Phryſio. Vereor ne in iis reddendis uſus ſit pari fide, qua in reſolvendis nummis quos mutuo ſumpſit à bono Valente noſtro, quem emunxit duodecim aureis; niſi forte à diſceſſu meo cœpit eſſe bonum nomen. Nuptias Regis, & natales Principis Delphini proſecutus ſum aliquot Elegis, etiam Gallico Sonnetto, quem Rex ipſe legit, approbavit, miris laudibus extulit; ſed, quod monſtri inſtar eſt, ne teruncio quidem factus ſum gravior & propenſior. adeo claudit omnis benignitas, ubi maxime ſtare oporteret. Iuſta indignatio cogit ut hic annotem Cornelianum de Othone elogium, *perdere ſcit, donare neſcit.* Vtilius longe ceſſit mihi labos, quem impendi Ger-

manis heroibus; non quidem Blechero, cujus cauſa miraculo deciſa eſt ab ipſo rerum humanarum arbitrio Deo ἀπὸ μηχανῆς. Antagoniſta ejus in manifeſto crimine deprehenſus eſt eopſe illo tempore,

Cum nunc ab omni derelictus ſpe cliens,
Laqueum lacumve cogitaret, &c.

Non enim indictum carminibus noſtris abire potuit inſigne divinæ providentiæ documentum. Orſus ſum ab abrupto,

O conſulentis rebus humanis Dei
Spectamen ingens! ô ſupremi vindicis
Miranda virtus! exſtat & piis honos,
Et clauda tandem pœna noxios premit.

Cum in initu tam præclara miner, ſcis quas ſoleam turbellas dare: non enim, ut Væjoves ſolent, auſpicamur à tonitru, ut poſtea tamquam diſploſi utres in crepitum deſinamus. Sed ſatis habeo ſi tibi ſalivam moveo. non enim nec iſtud Poëmatium, nec quidquam rerum talium mecum attuli, niſi in ſcrinio pectoris. quod haud libet, nec vacat excutere. Alias id fiet commodius, & vero eſt mihi in animo propediem ad vos proficiſci, ſi tamen id cum dignitate fieri queat, aut ſaltem citra contemptum. Te, cujus indoles nihil vulgare ſperat ſpiratque, par eſt amico ſuffragari, ne ſemper inutilis atque umbraticus doctor querar & expoſtulem de publica ingratitudine. Dedecus eſt literarum, quod tantus artifex pereo abjecta gloria, quam multi nulla re nobiſcum comparandi, niſi quod Savernam propitiorem habent, ad ſummas dignitates provehuntur! Sed cum ea fuerit hactenus fati mei infelicitas, ut Reip. partem nullam attigerim, ulciſcor me carminibus, & ſplendide inſulto iis, quos Fortunæ nutus non ſpectatæ virtutis commendatio ad ejuſmodi munera promovet!

—— hos in edito locat
Fortuna ridens, ut gravi caſu ruant.

Cæterum ut ſunt res humanæ, non magnopere me nunc ſortis meæ pœnitet. Sum in contubernio & ex primæ admiſſionis amicis apud Legatum Regis, Galliarum δηλονότι, unicum primarii Præſidis Pariſienſis filium, cui te olim inſinuavi. Is omni genere officiorum

ciorum efficere conatur, ne magnopere patriam deſiderem.

> ἀλλ᾽ ἐμὸν ὔποτε θυμὸν ἐνὶ ςήθεσσιν ἔπειθεν.
> ὡς ὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, ὐδὲ τοκήων.

Renovavi apud eum memoriam tui. jubet te ex animo ſalvere. Patri tuo plurimam à me ſalutem nunciato. Datum Londini, XIX Februarii CIↃIↃCII.

SONNET.

Sur la naiſſance de Monſeigneur le Daulphin.

Delicieux ſejour, qui fais luire à la France
L'aſtre tant deſiré d'un glorieux Daulphin,
A qui le Ciel promet un Empire ſans fin,
Dont les Princes puiſſants reverent la naiſſance.
Tu as or' en depoſt du regne l'aſſeurance,
L'amour du genre humain. ceſt Auguſte Herculin
Dont le ſeul nom fameux pouſſé par le deſtin
Fouldroye en ſon berceau des monſtres l'arrogance,
Le ſiecle nous preſage un bonheur nompareil,
Puis que l'obſcure nuict allume un clair ſoleil.
Quel ſera le midy de ſa brillante gloire?
Toute humaine grandeur fleſchira ſous ſon bras.
La main de l'Eternel conduira tous ſes pas,
Et l'univers ſera le champ de ſa victoire.

EPISTOLA LVII.

Chriſtophoro Puteano Dom. Baud. S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

CRebræ ſororis literæ, & ejus depoſita valetudo neceſſitatem mihi imponunt itineris in Zelandiam ſuſcipiendi, quod ſtatui facere cis paucos dies, forſitan intra proximum triduum. Eadem opera proficiſcar in Hollandiam, ut illic veteres amicos reviſam, & inter eos πάντων ἀντάξιον ἄλλων Scaligerum; de quo quidquid præterea dixero, minus erit. Erat mihi in animo redigere in unum volumen Poëticos omnes fœtus, quos diverſis temporibus parturivimus, eoſque ſimul in lucem edere ſub auſpicio nominis ampliſſimorum Ordinum. Neſcio quid boni mihi præſagit animus, ὐκέτι μάντις ἐὼν ὔτ᾽ οἰωνῶν σάφα εἰδώς. Amici noſtrates, qui ſunt in hac regione

per-

permulti, oblectant me jucunda opinione, &, ut proclivi ad credendum ingenio ſumus cum quid miſere optamus, facile impetrant ut ſperem, hanc nuncupationis temeritatem mihi non infeliciter ſucceſſuram. Hic certe, niſi aliud Marte meo præſidium diſpicio, miſere homines frigent. totus inerti ocio torpeo. Non hac ſpe deſerui Lutetiam, & (quod inter nos pereat) ſerio me pœnitet hujus profectionis. ſed non ſum fera beſtia factus, ut animum revertendi amiſerim. Vellem obſecutus eſſem prudenti conſilio Domini Chriſtiani vicini veſtri, qui ſine fuco & fallaciis vaticinatus eſt, quæ jam reipſa comperio.

ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν.

Nec aliud poſſum conjicere quam me tunc inſaniiſſe mentis, *καὶ τότ' ἐμοὶ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς.* Vt ſupra cœpi dicere, cuperem Lugduni Batavorum curare edenda noſtra Poëmatia, ſed non habeo jam ad manum, nec memoria retexere poſſum præfationem illam carmine Iambico conſcriptam, quam velut amuletum & *ἀλεξιτήριον* ad averruncandam invidiam & placandam Nemeſin excubare cupio

Veſtibulum ante ipſum primoque in limine libri.

Multa ſunt quæ nullo modo publicare decrevi. nec tutum incedere per ignes *ſuppoſitos cineri doloſo.* Vtar per omnia conſilio & auctoritate dictatoris Scaligeri. Non retinui etiam ullum exemplum quarundam gnomarum, quas memini me vobis tradere paulo ante diſceſſum in ampliore charta. Sunt circiter quadringenti verſus, ſi bene calculum poſui. Eos & ſuperiorem præfationem oro te cures quamprimum huc tranſmittenda. Et ut ſtrenue pergam porro eſſe impudens, rogatum cupio Petrum, ut ne gravetur vel bis cramben iſtam recoquere. hoc eſt, ne vobis ſit Oedipo aut Delio natatore opus, bis exſcribantur raptim verſus iſti, quos dixi, & diverſis itineribus ad me mittantur Londinum. Mittantur item ad Dominum Scaligerum cum tribus verbis, quibus ſignificetis me hoc à vobis ſumma ope contendiſſe. Videtis quam intemperanter abutar comitate veſtra, ſed quidquid in hanc partem pecco, ſcio non egere excuſatione. utor jure quod mihi apud vos eſſe vultis. Peccarem forte judicio veſtro, niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

niſi peccarem. Iterum igitur vos rogo atque obteſtor, ut hanc operam nobis impartiamini. De Chryſoſtomi operibus quod ſcire ſtudes, an hic edantur, ſcito Dominum de Savile (quem procul dubio de nomine & fama noſti) multa ejus auctoris opera conquiſiviſſe, quæ hactenus lucem non viderunt. Scripſit hac de re, ut coram mihi retulit, ad Dominum Caſaubonum, miſitque ei indicem excuſum, cujus exemplum hiſce literis incluſi. Si quid præterea reperiri poteſt, erit in rem pietatis, & literariæ laudis, ſi in commune contribuatur. Vos qui laudabili curioſitate nihil talium rerum ignoratis, quidquid hujus eſt, recte & ordine adminiſtrare poteritis. Mirari libet ſiniſtram & perverſam quorundam ſedulitatem, qui cum paratis & in medio poſitis non utantur, aut ea defunctorie diciſque cauſa tantum tractent, anxia ſollicitudine quærunt quæ deſiderantur. Quotuſquiſque enim eſt qui Chryſoſtomum uſui publico mancipatum vindicat? Sed non inſtitui hic querelam præpoſteritatis humanæ. Video etiam me jampridem exceſſiſſe modum epiſtolæ. Sed, ut ſæpe apud vos in ſermonem injeci, profiteor gloriorque me non teneri legibus magiſtellorum, qui ſine populi ſuffragio tam anguſtis finibus epiſtolam circumſcripſerunt. Cupio vos, cum otium aut animus blandietur, pariter mecum has proletarias leges πολλὰ κλαίειν κελεύειν. χαίρετε. Datum Londini, IV. Kalend. April. cIↃ IↃc II.

EPISTOLA LVIII.

Illuſtriſſimo Viro D. Iacobo Auguſto Thuano Curiæ Præſidi Dom. Baudius S. P. D.

LIbri de quibus per litteras ad me ſcripſiſti, magna ex parte hic non reperiuntur, plerique miſere interpolati proſtant, ut Biblia Hiſpanica, quorum exemplum unum vidi apud Bibliopolam, ſed fœde marginalibus Annotationibus Anglicis deformatum, idcirco mittenda non exiſtimavi. Hercules François, tibi, ut opinor, de nomine non ignotus librarius, ſe intra paucos dies exemplum habiturum pollicetur, compactum quidem, ſed alias intactum à mala manu. Mitto Biblia Tremellii ex priore edi-

tione. Non potui invenire magis integrum, imo nuſquam aliud extare arbitror in officinis bibliopolarum, quas magnam partem perluſtravi. Barlamum de poteſtate Papæ Dominus Exlegatus de Boiſſiſſe nactus eſt pridem, & Lutetiam cum impedimentis ac ſarcinis miſit, eum tibi muneri deſtinat. Liber eſt, ut ex eo audivi, mole exiguus, nec magni momenti. Vitæ Cantuarienſium Archiepiſcoporum omnes decollarunt, ut veteri verbo feſtinans utar. Edita ſunt duntaxat quinquaginta exemplaria. Negotium inquirendi de patria, Vita, & obitu Wittackeri, delegavi Alberico Gentili Profeſſori Iuris in Academia Cantabrigienſi, ſcripſi etiam ea de re ad antiquum amicum nomine Oneral-lum, Wittackeri ſucceſſorem. Demetrius ſtrenue pergit in Inſtituta Hiſtoria. Scribo hæc & raptim, ut vides, & animo minime compoſito ad ſcribendum. Recens me nuntius oppreſſit de Sororis amicæ deplorata valetudine. Iam agitur biennium ex quo phtiſi laborare cœpit, ſed ſub adventum veris morbus incruduit. Ea res mihi neceſſitatem adfert proficiſcendi confeſtim in Zelandiam. Ignoſces domeſtico mœrori, & huic imputabis quod tam indiligenter ad Te ſcribam. Vale Vir Illuſtris, & nos ama. Londini IV. Kal. April. CIƆ IƆCII.

EPISTOLA LIX.

Chriſtophoro Puteano Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

VAlde mihi grata eſt diligentia tua, & in ſcribendo, & in exequendo mandato. Verſus & tractatum *De fæneratoribus* Dominus Tardieu fideliter mihi tradidit in eopſe illo temporis articulo cum Poëticas noſtras nugas ſub ſigna redigerem. Iure exſpectas à me largam ſermonis uſuram, & ego iſtud officii nemini libentius impartior, quam tibi. Videor enim in rem præſentem deduci, cum tecum per literas fabulor. Cur tamen hoc tempore non ſatisfaciam exſpectationi tuæ, & officio meo, cui præter debiti neceſſitudinem etiam voluntaria ſponſione memet obſtrinxi, ſcito hunc eſſe αὐτομάτην αἰτίαν, ne quæſito colore violem candorem familiaritatis noſtræ: dum ſolemne

ſolemne meum obtineo, ut tardum nomen ſim, & in ultimum tempus negotia plerumque rejiciam, factum eſt blandiente inertia ut ſpatiis iniquis excluſus fuerim. Neſcio utrum velim tibi probari hanc putidam & jejunam excuſationem, aut tam frigidum ſchema, ſed dico quod res eſt. Iam aliquot menſes effluxerunt, ex quo vir illuſtris Boſſiſius μέλλει πορεύεσθαι. Sæpe & cottidiano convitio flagitavit, is qui tibi haſce literas tradit, ut ſcriptionem adornarem. Prolationibus & ἀμβολιεργίαις effectum eſt, ut cum jam in procinctu ſit, raptim & obiter facere cogar, quod tamen ſerio & diligenter factum oportuit. Vir eſt à nomine & facie tibi notus. Rogat, &, ſi non rogaret, rogo te fratreſque tuos ex animo ut eum in intimam familiaritatem recipiatis. Non eget commendatione noſtra, utique apud vos qui nihil ambitioſius prenſatis quàm amicitias inſignium virorum. Sed cum in rem ſuam fore exiſtimarit ſi meo teſtimonio niteretur, nefas eſſe putavi non parere tam honeſtæ voluntati. Quod me de quibuſdam Plauti locis conſulis; ſimpliciter & familiariter tibi reſpondeo, non eſt otium, non ætas, non animus de iis curioſe differendi. Genus, ingenium tuum, & exſpectatio tuorum, vocat te ad majores & meliores curas. Ego mihi laudi duco, quod Critica natio maximum probrum putat, hæc talia ignorare. Ferunt Alexandrum, cui à magnitudine rerum geſtarum virtus Magni nomen indidit, olim aſpero ſermone caſtigatum à patre, quem longe filio majorem judico, ſi mei arbitrii res ſit; Alexandrum, inquam, pater increpuit, quod nimis ſcite aut caneret, aut de canendi arte cum magiſtris diſceptaret. Senſit vir regia virtute & indole, parum convenire iis qui ad ſummæ fortunæ ſpem educantur, operoſum laborem ineptiarum. Sed nimis licenter evagor, qui ſupra dixeram me ſpatiis iniquis excludi. Dabis veniam, vel, ſi bene te novi, favebis ineptienti. debent enim, ut legere aliquando memini (neſcio an apud Senecam) literæ noſtræ interdum hallucinari. Conſilium mecum proficiſcendi in Belgium ad Ordines noſtros prorſus jam deliberatum eſt. Acceſſit ad priſtinam deliberationem animus iſthic commorandi. Belliſſima ſeſe occa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſio ex inſperato oſtentavit, de qua ſigillatim & definite propediem ad te ſcribam. Videor vere cum ſummo duce dicturus, *perieram niſi periiſſem.* Tamen ſi è Germania Lutetiam perlata eſſent ea litis inſtrumenta, quæ tamdiu tanto ſtudio exſpectavimus, confeſtim ad vos reverterer ad acquirendum non mediocris ſummæ dominium. Sed ex quo in hanc provinciam appuli, tantum unas literas à procuratore accepi. Quæſo te & obteſtor per amicitiæ fidem, per communia Muſarum ſacra, per ſi quid amas Baudium tuum, ut ſerio hanc curam ad cogitationes tuas revoces. meque de tota re certiorem facias. Vale, animæ dimidium meæ. Londini, XVII. Maji, CIↃ IↃC II.

EPISTOLA LX.

Iacobo Baduerio Dom. Baud. S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

DIu animum meum jucunda ſpe oblectavit exſpectatio adventus in hanc provinciam tui, cum audirem eſſe in conſortio Ducis Nivernenſis Marchionem heroëm, à cujus conſpectu & comitatu vix fieri poſſe putabam ut diſtrahereris, præſertim in tam inſigni frequentia juvenum nobiliſſimorum. Vbi vero comperi te abeſſe, tanto ſum mœrore affectus, ut propemodum in præcipua parte infelicitatis meæ deputem, quod tanta ſpe exciderim. Multa me graviter angunt, quæ miſere cupiebam, ſi colloquii tui facultas mihi obtigiſſet, in ſinum tuum effundere, ſinum fide & amicitia ſpectatiſſimum. Nunc paucis tantum te commonendum putavi, eſſe prorſus mihi decretum proficiſci in Zelandiam, & inde forſitan ad Batavos. Vocant me eo blandæ exprobrationes quorundam amicorum, qui mihi vitio vertunt, quod cum mei juris & honeſto loco eſſe poſſim apud noſtrates, malim vivere apud exteros, & alicui Satrapæ libertatem meam addicere. Soror etiam crebris literis flagitat, ut ad ſe veniam priuſquam è vivis excedat. Conflictatur autem morbo inſanabili, qui lento & certo paſſu ducit ad fatalem metam, hoc eſt febri pulmonica, ut quidem judicat natio medicorum. Poſtremæ tamen literæ lætiora nunciant. Sed ut ſimpliciter verum fatear, intima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ma cauſa hujus profectionis ſuſcipienda eſt, quod ubivis quam hic meliori conditione victurus mihi videor. Et fato natus ſum, ut inanibus promiſſis facile capiar. Diſceſſi à vobis majore cupiditate, quam ſapientia. Pluribus exponam rationes quæ me moverunt ut novum conſilium ſumerem, cum ero apud homines liberos, ubi impune liceat quædam arcaniora evulgare. Certe mire hic omnia frigent, & nimis multi canes ſunt circa noſtrum Actæonem. Salutant te ex animo omnes noſtri, nec non lectiſſimam fæminarum matrem tuam. Vale, meum dulce decus. Londini, XIX. Maji, CIↃ IↃC II.

EPISTOLA LXI.

Chriſtophoro Puteano Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

NVnquam ad vos veniunt meæ literæ ſine aliquo onere, ſi tamen onus vocandum eſt, quod ſcio à vobis libenter & cum voluptate ſuſcipi. Sed licet laudem mereatur illa ſingularis tua comitas & propenſio animi ad bene de bonis merendum, tamen prolixe nimis & intemperanter abutor conceſſo jure, qui ſemper aliquod officii munus tibi injungam. Si moleſtus ſum, pari more ac modo mecum experire, faxo haud dicat nactum quem conditionis pœniteat. ἀλλὰ πρὸς ἔπος, commendo veſtræ perſpectæ fidei juvenem qui haſce literas vobis tradet. Litem longo temporis intervallo pene derelictam perſequi inſtituit. qua in re tametſi (ut ex relatu unius partis audio) jure certo nititur, tamen permultis incommoditatibus conflictabitur, eritque ei forſitan confligendum cum procuratoris malitia, qui litis inſtrumenta detinet. Nihil ei æque eſt opus quam homine probo & fideli, ſi is uſquam comparet in cenſu procuratorum. Vos comiter demonſtrabitis homini minus malum. Eſt mihi arcta neceſſitudo cum utroque ejus parente, atque adeo cum tota familia. Pater in arte medica ἐστὶ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. In re herbaria familiam ducit, quod & inſignibus ingenii monumentis teſtatus eſt. Non arbitror veſtram bibliothecam carere tam bono nomine. nihil enim viro illo fieri poteſt ἀφελέστερον

καὶ ἀκιβδηλότερον. Vale, mi ocelle, cum cariſſimis fratribus. & communiter hunc hominem amate. Datum Londini, XIX. Maji, cIↄ Iↄc II.

EPISTOLA LXII.

Iacobo Baduerio Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

IAm menſis tertius eſt elapſus, Amice incomparabilis, poſtquam ex Anglia in has provincias veni. Toto iſto tempore ceſſavi à ſcribendo. Non quod ignorem quantis nominibus benignitati tuæ ſim obſtrictus, non quod immemor ſim promiſſi quod diſcedens dederam, non quia probe norim quam tibi non ſit ingratum officium in hac parte noſtrum: ſed ut ingenue, apud te hominem averſiſſimum ab omni fuco mendacioque, veram vocem eloquar, fatalis quædam rerum mearum calamitas ita me per ea tempora afflixit, ut animum inſtituere non potuerim ad compellandos amicos, in quibus tu tuo merito principem locum obtines: ſiquidem ea res tibi honori eſt, ac non potius graviſſimo oneri tam ære & ſpe dirutum habere clientem. Peccavi largiter fateor, & merito deſertor omnis officii argui poſſum: ſed ut ignavia mea juſtam offenſæ culpam præbuit, ita veniam & gratiam impetrare debet ſupplicium quod eo nomine pertuli. Nam ea potiſſima ſeges & materies meorum infortuniorum fuit. quod neminem habebam quicum aperte ſimpliciterque moleſtiam & ægritudinem communicare auderem. Tu unus hac in re omnium inſtar eſſe potuiſſes. Cum enim tam effuſe re & opere me juveris, conſilio certe & conſolando minime defuiſſes. Vt partem aliquam præteritorum laborum retexam, primum niſi ſubſidiolum aliquod in mundo fuiſſet, non ſtetit per magnificum Satrapam quo minus ab ejus comitatu tanquam ex incendio, naufragio, aut ruina evaſerim. Miſere iſthic homines frigent, niſi quod interdum calet forum aleatorium in quo noſter Lavernam ſecundam habuit, & ejus cohortis anteſignanum emunxit fere duobus aureorum millibus. ſed

Quam vereor victus ne pœnas exigat Ajax.

Neſcio enim quo fato (ſi fatum eſt in partibus iſtis) ejuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ejuſmodi pecunia raro ſolet diurnare, vix unquam ſequitur hæredem, ambulatoria eſt, &, ut cum Horatio loquar,

—— Momento labilis horæ
Tranſmutat Dominos & cedit in altera jura.

Quanquam quid id refert mea? Non meo periculo aut commodo res geritur. Nam mihi quidem & tam uberi & copioſa meſſe, tam tenue ſpicilegium relictum eſt, ut ne colligere quidem id ſuſtinuiſſem, niſi veniſſet in mentem, nihil eſſe recuſandum ab avaro & avido homine, nec ingentem animum rebus anguſtis & egenis convenire.

—— Quid enim majore cachinno
Excipitur vulgo quam pauper Apicius? ——

Accepi itaque levidenſe munus & quidem *cum ſolenni formula gratiarum actionis qui finis omnium cum dominante*, ut ait noſter Tacitus. Poſtquam huc appulit amicus tuus cum domeſtica cruce, quam vivus videnſque perit, ut nullum eſt telum calumnia velocius, pervagatus erat rumor eſſe in vivis fabrum illum ſigillorum, pene dixeram Vulcanum Veneris illius maritum. Quotquot homines occurrebant, videbantur etiam ignariſſimi ſcire, taciturni exprobrare iſtud flagitium. Incidit ex ægritudine animi in acerbiſſimum morbum qui maxime tentabat arcem ipſam mentis ac rationis. Theologi caput & ſummam omnem cœlo imputabant, læſum numen à conſcientia pœnas expoſcere, nec recalcitrandum adverſus ſtimulos, divertendum ab infœlici contubernio. Quid multa? fecit tandem vel morbi ſævities vel fati poteſtas, vel concionatorum obnunciatio, qui legem horrendi carminis aſſidue miſero illi minitabantur, ut eam foras detrudi juſſerit. Refrigerato ardore ſucceſſit pœnitentia facti, ſpretam repetit poſtea. ſed reprimo me, non enim hæc literis committenda videntur. Ego certe nihil aliud ſtatuere vel audeo, vel debere videor, quam iſthæc à majore vi & ab inſpiratione divina proficiſci. Habemus nunc præ manibus negotium, cui ſi proſper eventus aſpiraverit, eſt mihi prorſus in animo in Galliam reverti. Tuæ res quo in ſtatu ſint, vehementer ſcire expeto. Nihil unquam tam excelſum aut magnificum aſſequeris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ris quin virtus id ſuperet tua, quin voveam & augurer ampliora: ſed tuum hoc fraternis precibus te oro atque obteſtor, ut animo iſti heroico frænos imponas & ingenium leviter inflectas ad morem & captum temporum. Pars ſapientiæ eſt cum inſipientibus furere. Scis olim nocuiſſe antiquum rigorem & nimias virtutes quibus jam pares non ſumus. ſed nec ego imprudenter ineptio qui coram Roſcio geſticulari non vereor. Iterum itaque me reprimo, teque & matrem lectiſſimam fœminarum valere ex animo cupio. Datum Middelb. XVI. Octobr. cIɔ Iɔ c II. Tuus per ſaxa per ignes D. Baudius.

EPISTOLA LXIII.

Chriſtophoro Puteano Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

IAm tandem ſerio in procinctu ſum, ut proficiſcar ad meos Zelandos. Dilationem itineris & morandi cauſam attulit mihi vehemens deſiderium, quo jam olim efferebar compellandi Regiam Majeſtatem, teſtificandæque pro virili parte venerationis quæ heroïcis ejus virtutibus debetur. νῦν δέ με δαίμων ἔπαυσε τῆς πολυχρονίου ἐπιθυμίας. Narro tibi bona fide, nihil ex hac provincia reporto quamobrem magnopere huc ventum velim, præter memoriam eximiæ comitatis, qua me ſingularis exempli heroïna illa proſecuta eſt. Cum animus ſolutus erit à curis, quæ me nunc miſere diſcruciant, mittam vobis exemplum oratiunculæ noſtræ una cum ejus reſponſo, quoniam ſcio unice vobis curæ eſſe, quæcumque ad bonam exiſtimationem noſtram pertinent. Quamvis enim otio abundem pene ad languorem uſque & inertiam, tamen, ut nunc eſt, mentem inſtituere non poſſum ad ſerio quidquam cogitandum. Sed ô Deus bone, quænam Pelopidarum exempla memorantur in Gallia! Nunquam ulla ætas monſtrorum feracior exſtitit ἢ τόδε τὸ σιδήρειον γένος ἀνδρῶν. Sed magnifica ſoteria debemus regum ac regnorum præſtiti & cuſtodi Deo, qui Henricum heroëm à tam nefaria ſuorum molitione ſoſpitàvit. Si unquam ſtyli telum ſtrinxero, non abibit intacta carminibus noſtris tam tragica materies. Rogo vos ut ἀμαθέστερόν

πως

πως ϗ σαφέστερον totam rem mihi demenſam detis, non modio neque trimodio, ut ait Comicus, verum ipſo horreo. Nullum mihi gratius officium à vobis evenire poteſt, quam hæc negligens diligentia. Novi noſtrorum hominum ingenia curioſiſſima rerum novarum. Literæ veſtræ inſcribendæ erunt D. Scaligero, non poſſum vobis magis idoneum nomen delegare. Craſtinus dies dictus eſt profectioni, ſi faverent Favonii. Cæterum pene omitto, quod præcipue fidei tuæ commendatum eſſe cupio: litem illam, dico Germanorum, de qua nihil quidquam ab extremo menſe Ianuario inaudivi. Velim excites veternum Procuratoris, alias viri cordati & induſtrii, ut plene planeque perſcribat, ſi quid iſthic mihi ſeritur aut metitur. Cardo cauſæ pendebat ab exſpectatione cujuſdam inſtrumenti, quod è Germania venturum certo ſperabamus: ſed quia tam longinquum temporis ſpatium interceſſit, ex quo nihil explorati ſuper ea re compertum habemus, ſuſpicor huic præclaro inſtrumento lumbos in via defractos eſſe. Cenſeo, ſi ita eſt, ut ei oſſa legantur, & imaginarium funus decernatur, quod peregre functis fieri lex priſca mandat. Extra jocum cognoſce diligenter quidquid hujus ſit, & fac me ut ſciam. χαῖρε σὺν ἀδελφοῖς ὦ ἐμοὶ φίλτατον κέαρ. Datum Londini, IX. Kal. Quintil. cIↃ IↃ c II.

EPISTOLA LXIV.

Ioſepho Scaligero Dom. Baudius S. P. D.

Lugdunum Batavorum.

VTor licentia temporis, & obliviſcor pudoris mei, ac dignitatis tuæ, quod tam leves nugas viro tam gravi mittere non erubeſco. Sed benignitas tua moris antiqui memor, non minus mihi juris eſſe patietur apud ſe, quam olim ſervis in dominos libertas Decembris permittebat. Nihil fieri poſſit me vanius, ſi tam frivolum munus verbis exornare poſtulem. Satis eſſe debet huic generi ſcriptionis, ſi intra veniæ ſpem conſiſtat. at ipſe mihi tam ſum Suffenus, ut etiam plauſum ſperare auſim ab æquitate judicii tui, cujus habeo illuſtria documenta. Nam cum admiratio

ſolum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſolum operibus tuis debeatur, ſoles tamen mediocribus atque etiam infra mediocritatem ingeniis effuſa manu laudes dilargiri: quas quidem ita interpretari debent ὅσοι γε νοῦν ἔχουσιν, ut ſumma ſummarum ad auctorem referatur; qui cum ſit aptus ex omni laudum cumulo, quid eſt quod præter laudes ab eo proficiſci poſſe videatur? Sed contraho vela, nec fragilem phaſelum committo tam immenſo æquori. Verbum non adderem ſuper hiſce næniis: nam cum nugari ineptum ſit apud virum ſerium, tum nihil ineptius quam nugis addere pondus, καὶ ὡς ἐν φακῇ μύρον. Verum ne videar ingenii gloriam aucupari periculo bonæ exiſtimationis, & integræ frontis, profiteor ex animi ſententia me ad has maledicendi partes non deſcendiſſe odio aut invidia compulſum. Homo enim iſte, de cujus corio ludimus, nec injuria, nec beneficio privatim mihi cognitus eſt. ἄτρωτοι γὰρ θεῶν παῖδες καὶ μουσῶν θεράποντες. Dignior etiam contemtu quam inſectatione, niſi quod cum publico opprobrio literarum & gentis noſtræ in hoc flore præſtantium ingeniorum, hic fucus nomen & honorarium habet Hiſtorici. Quocirca aurigante, ut ſic dicam, facili materia, non potui ſufflaminare calamum calentem, vel perituræ parcere chartæ. Denique, ut initio jeci, Saturnalibus iſtam proterviam facimus. Genio temporis & facilitati tuæ veniam dabis in meis culpis, & hæc tranſcurres ὡς ἐν παρόδῳ: quemadmodum olim ferunt Catonem interfuiſſe ſpectaculo Floraliorum. Vale, Vir illuſtris. Datum Hagæ-Comitis x. Kal. Ianuar. auſpices anni cIↃ IↃC III.

Non habeo penes me aliud exemplum: oro te (ne ſcilicet aut ego grave damnum, aut tu grande compendium facias) ut remittatur aliquo inſigni tuo ſtigmate notatum, ut habeat pudorem. Memineris etiam Raphaëlis Thorii, qui te deperit impotente amore.

EPISTOLA LXV.

Dom. Baudio Ioſephus Scaliger S. P. D.

MItto tibi carmina tua, quæ tota devoravi. Antea oderam Tragoram, hominem tamen mihi ignotum; nunc diligere incepi, poſtquam tibi & Heinſio noſtro

noſtro tam ſuaves ludos expreſſit. Quis non amet materiam tantarum facetiarum? ita tamen, ut ſimios amamus. Sed de voluptate, quam ex lectione verſuum tuorum cepi, alias præſens præſenti dicam. Nunc ignoſces occupationibus meis, per quas abſenti tecum ridere non licet. In adventum τῆς δεσποίνης, *quam diu fruſtra expectamus, jocos diſtuli, quam primum te Hagæ videbo. Vale, & à me D. Nobiliſſ. Douzam ſaluta. Lugduni Batavorum* I X. *Kal. Ianuar.* cIↃ IↃc II.

Epistola LXVI.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Etſi recocta crambe, vel ſi mavis Braſſica, odio enecare ſolet miſeros mortales, tamen iterum ad te mitto carmen epithalamium paulo minus inconcinnum, & nonnullo auctario cumulatum. Si nulla ſua Venere te invitabit, ut relegendi tædium devores, auctoris amor & obſervantia qua virtutes tuas colit, aliquem favorem apud humanitatem tuam impetrabit. Video equidem mihi in poſterum aut repudium eſſe renunciandum Muſis, aut certe conſiſtendum intra mediocritatem Iamborum. Nam ad majeſtatem heroïci carminis, nec ſtylus nec animus aſſurgere poteſt, ita me mei prorſus tædet ac pœnitet. Arbitrabar mihi hic locum fore in collegio Academiæ, cujus ſum ab ipſis fere incunabulis alumnus haud prorſus degener atque illaudabilis. Vehementer jubebar εὖ ἐλπίζειν ab iis quibus ea res eſt in manu. Sed, ut intelligo, numerus me ab hac ſpe excludit, quamvis multi ſint qui nihil præter numerum adferant. Equidem initio tantum abeſt ut tale quidquam ambierim, ut longum mihi certamen fuerit apud me cum præſumpta opinione diffidentiæ, quam tandem expugnari paſſus ſum hortatu magnorum virorum. Nunc in cardine rerum gerendarum deſtituor. Certum eſt, poſthac non ita temere mentem oblectare vanis (ut Ennii verbo utar) ſperibus. Male mihi conſtaret antepartæ famæ & laborum ratio, ſi precibus agendum eſt, ut aſſequar ea quæ Tragis & Peponibus deferuntur. Hæc res propemodum efficit ut interdum Galliam deſide-

rem;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rem: & certe rerum mearum anguſtiæ cogent, niſi mature provideatur, ut eo me conferam, non ſine exprobratione publicæ ingratitudinis. Hæc libere apud te queror, quem inter amicos deputo & affectu & judicio plane ſingularem. Vale, Vir clariſſime, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum, XI. Februarii, cIↃ IↃC III.

EPISTOLA LXVIII.

Iſaaco Caſaubono Dom. Baudius S. P. D.

QVanquam ſpecioſa occaſio eſt bonam copiam ejerandi, tamen vel memet judice non poſſum abſolvi latæ negligentiæ, quod tam immenſo temporis intervallo te per literas non ſum affatus, cum videam id officii ambitioſe uſurpari, & magnifice extolli ab iis quibus tecum nulla neceſſitudo intercedit, quam quæ nominis tui reverentia, & famæ celebritate conciliatur. Equidem huic præclaræ voluntati vel eo nomine gratias habeo, quod mihi veternum excutit, dum exprobrat ἀργίας δίκην. Nam ab oblivionis crimine ſatis me conſcientia vindicat, & ſi parum huic homini fidem arbitraris, poſſum ad teſtimonium citare primarios hujus provinciæ viros, apud quos non deſum in ſermonibus μεγαλαυχεῖν quantum te ſinuoſo in pectore fixi. Valde id ſcilicet ad meliores tuas curas pertinet. Sed tamen tua refert maxime, ut intelligas, tametſi parum diligens ſum in officio ſcribendi, tamen memoriam tui noſtram, ſancte & inviolate aſſervari, οὐ μόνον ἐν μυχῷ φρενῶν, ἀλλὰ καὶ λόγων μαρτυρίᾳ. Non tam, ὡδ' εἰπεῖν ἔπος, ſummo mentis meæ ſolatio ſparſa ſunt tuarum virtutum ſemina, ut unquam evelli poſſe videantur

Εἰσόκεν εἰσορόω γλυκερὸν φάος ἠελίοιο.

De te non ſpero mutuum, ſed habeo certum. Etiamne, Thuanus heros noſtri meminiſſe non horret? Ita quidem, ut Plautiſſem, ſupercilium ſalit, aut, ut cum Theocrito tuo dicam, ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός, cujus genium quod nullo literario munere proſequor, oro te adhibe vim blandam ſuadæ tuæ apud hominem impetrabiliſſimum, ne ea res quidquam deruat ex amore quo nos dignatur. *Hanc ſine me ſpem ferre tui.* Cauſa

intima

intima quæ me abſtinet à ſcribendo hæc una eſt, quod cum nihil occurrat præter ſolennia & proletaria quædam Epiſtolarum argumenta, vereor apud virum ſerium & gravem ineptire. Quanquam ſcio & cupio hoc frigidum ſchema minus ei probari quam hallucinationes noſtras. Sed eo magis ſufflaminandus videor, ne dignitati fraudem faciam, dum nimis humanitati acquieſco. Hortatus es me anno ut complecterer carmine tempeſtatem quam evaſi. mitto: ſed eam qua fulminatus eſt Biro, de quo tragico caſu multa γονιμώδη dici poſſunt, & nunc tuto in alteram partem diſſerere licet (νεκροὶ γὰρ οὐ δάκνουσιν) ex hoc genere ſunt iſta εἰ τῷ αὐτοκράτορι θέμις ejuſmodi ſceleribus ignoſcere, an venia mutari poſſit ὅστις τοιαῦτά γε ῥέζοι, εἰ ἐν τῇ πολιτικῇ πραγματείᾳ, in cauſa Majeſtatis ratio ſubducenda ſit veterum officiorum. Permulta veniunt in mentem forte non minus digna lectu quam quæ hactenus inſpexi. Liber, cui titulus literæ myſticæ, nihil humanum ſapit. Carmina etiam nihil ſolidum crepant, aut me Phœbi cortina decipit. Omnes videntur conjuraſſe ut mimum agant, & otioſe ludant in re quæ ob exempli magnitudinem, & perſonæ claritatem, vix ullo cothurno ſatis digne extolli poteſt. Quanquam iſte Salmoneus humanitate ſceleris abſumſit omnem miſericordiam, tamen Heracliti ſeveritas huic perſonæ decentior eſt quam Democriti cachinnus. Quanquam antiquitus nefas erat iis juſta ſolvere qui fulmine tacti perierant, tamen his atrocibus exemplis ſalva pietate poſſumus, & debemus commoveri, ut rerum humanarum inſtabilitatem miſerari diſcamus, mirari deſinamus. Non tamen arbitror quenquam bonarum partium eſſe cui non liqueat jure cæſum videri, quique dubitet cum Homerica Pallade pronuntiare, καὶ λίην κεῖνός γε ἐοικότι κεῖται ὀλέθρῳ. Malæ ſcævæ deteſtandæ cauſa non attexo carmen ſubſequens. malo enim ſperare non amplius extituros qui talia moliantur, quam imprecari ſi ſequius accidat. Quanquam malignus rumor de ſperato quondam Mecænate percrebeſcit, qui vadimonium deſeruiſſe dicitur & vaſa collegiſſe ne hoc incendio conflagraret. Quorſum evaſura res videatur θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Ajunt propediem

ἐρήμα

ἐρήμου δίκης condemnatum iri. ſed hæc nihil ad nos, niſi ut tanto pluris bona noſtra æſtimemus, quos ab ejuſmodi procellis tranquillus vitæ tenor, & veræ virtutis meditatio ſubducit. Lata materies ingenio non hebeti & infertili ſuppeditat, ſed nec Epiſtolæ munus eſt, nec libet licentius exſpatiari in hoc lugenti campo. Vale, Vir eximie, & nos ama. Datum Lugd. Batavorum XII. Kalend. Martias, CIↃ IↃC III.

EPISTOLA LXIX.

Chriſtophoro Puteano & fratribus Dom. Baud. S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

Literas tuas III. Kal. Octobris ad me ſcriptas accepi à D. Scaligero circa finem Decembris, quo tempore huc reverſa eſt Domina Princeps. Vnde potes rationem putare quamdiu hæſerint in itinere. Idem prætextus etiam mihi valebit apud te ad impetrandum veniam feræ reſponſionis. Cauſas ſilentii tui in ſolutum accipio, tametſi quædam videntur τοῦ πονηροῦ κόμματος. ſed cum ipſe ſæpiuſcule confugiam ad ejuſmodi ſegnitiæ diverticula, æquum eſt ex veteri formula ut eodem jure utar. νόσου πρόφασις juſtiorem habet excuſationem quam optarem. ſed ſpero bonam valetudinem jam tecum fideliter in gratiam rediiſſe. De Perroto vera ſunt quæ memoras, & hominem expertus ſum dignum interiora illa amicitia, quam paucis impartiri ſoleo. Nihil mihi gratius evenire potuit, quam quod cataſtrophen Tragœdiæ Bironicæ tam accurate ad me perſcripſiſti. Ne gratis hunc laborem ſubieris, elicuiſti miſerabiles iſtos elegos, qui tamen æquitati tuæ non improbabuntur, vel auctoris cauſa, vel argumenti dignitate. Si præjudicio magnorum virorum moveris, ex animi ſententia teſtari poſſum, eos Scaligero, & nobiliſſimo Douzæ non pœnitendos videri. Certe Gallia veſtra in tam atroci negotio mire friget, non pro ingenio gentis, nec ex antiqua laude, niſi forte deteriora tantum ad noſtras manus pervenerunt. Roberti Stephani diſtichon mihi pluris eſt quam cætera omnia. Poſtquam huc veni, plura verſibus ſcripſi, quam aliquot annis dum eſſem in Gallia. Calcar admovent ingenio, duo lumina noſtræ juventutis Grotius

tius & Heinſius. quanquam forte magis refrænare deberent noſtros impetus, quia feliciter perficiunt, quæ nos operoſe conamur. Non eſt tamen quod me magnopere tædeat partæ jam exiſtimationis. Licet mihi libetque gloriari apud vos vel ætatis privilegio, vel jure familiaritatis. De Wouwerio eadem ad nos fama pervenit, eum id ætatis hominem admiratione doctrinæ (vide & ride ludibria judiciorum) cooptatum in collegium Senatorum ſacræ Cæſareæ Majeſtatis. ſed certiſſimo argumento perſuadeor rem ita ſe non habere, quod cum à reditu ſuo bis terve ſcripſerit ad Scaligerum, ad Scriverium, ad Franciſcum Douſam etiam, cum perhonorifica noſtri mentione, tamen ubique miſerabiliter inſectatur fortunæ ſuæ malignitatem, nec homo ſui oſtentator magnificus, quidquam de ſuperbo illo titulo adjicit, quem proculdubio non fuit omiſſurus, niſi prorſus ab ingenio deſciſcere vellet. Detepuit jam mucro iracundiæ noſtræ adverſus eum, quod ex pluribus indiciis apparet eum non tam nocendi animo, quam ſui extollendi vanitate ſolitum detrahere famæ & meritis laudibus amicorum. Dempto certe hoc vitio, multa habet ingenii naturæque dona, quibus ſupra vulgus ſapit, & illuſtrium virorum amicitiam meretur. Scaliger (qui unus eſt inſtar omnium) tanti juvenem æſtimat, ut quum ad ſe ſcripſiſſet his (ſi memini) verbis, Miror me tam raro literas à te accipere, cum hoc genere officii ſoleas indulgenter complecti eos, qui mecum non ſunt nec genere, nec moribus, nec doctrina conferendi: cum ita, inquam, frontem perfricuiſſet, humaniſſimus tamen Scaliger, quaſi ſibi dicenda cauſa eſſet apud ſeverum judicem, ſollicite culpam hanc per literas deprecatus eſt. Illud pro certo habetur, eum Romæ publicitus religionem abjuraſſe, nullo metu qui in virum conſtantem cadere poſſit, ſed contemptu & inſcitia pietatis, vel (quod his potentius eſt apud mentes præcipiti ambitione afflatas) ſpe conſequendæ alicujus opimæ largitionis. Sed, ut audio, eſca elapſa eſt, ſolum hamum retinuit. Cornelius Mylius uxorem duxit filiam Barneveldii, cujus in his provinciis poteſtas plurimum poteſt polletque. Proſecutus ſum nuptias carmine Heroïco, ſaltem hexametro. Sed

nimis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nimis longum erat ejus exemplum exſcribere, ſimul etiam ſpes & animus eſt propediem vos viſendi, ſi bono eventui litaverit negotium arcanæ utilitatis, quod habeo præ manibus. Scripſi abhinc aliquot menſibus copioſe ad vos, & ad Badoverium; ſed arbitror illum eſſe in Germania. Literas ad D. Caſaubonum apertas mitto. Vos, ubi perlegeritis, obſignatas homini tradetis. Valete, & me amate. Datum Lugduni Batavorum, XII. Kal. Mart. cIↃ IↃC III.

EPISTOLA LXX.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

FVit mihi multus ſermo cum populari tuo, & communi amico noſtro, quem noſti. Diſſimulabat initio cupiditatem, ſed ubi plene planeque perſpexit me ex animo ſuffragaturum ejus petitioni, vel quod ita boni publici ratio poſtulare videretur, vel quod id fieri noſtra peculiariter intereſſet, Romana ſimplicitate pectus aperuit. De tua voluntate omnia ſum pollicitus. non defugies auctoritatem, ſi tuam conſtantiam novi, nec affirmationem meam fruſtraberis. Omnino perſuaſum habeo, talem virum commodum & utilem fore huic muneri defungendo, qui par negotiis nec ſupra ſit. Nimis vivida & erecta ingenia rebus novandis quam gerendis aptiora non ſunt ex uſu illius populi, quem ſua ſponte ſcimus ſatis pronum ad excitandas turbellas. Hiſtoriæ veteres & noſtra ætas abunde documentum præbent, non eſſe admovendum oleum camino, nec ignem gladio fodiendum. Sed hic non eſt tempus philoſophandi. cauſa & ſcopus ſcriptionis huc ſolum ſpectat, ut noris eum impendio cupere, gratumque fore quidquid hac in re ſtudii atque officii ex parte tua proficiſcetur. De privilegio impetrando ſi quid à Mercurialibus tentatum eſt, velim Domino Blyenburgio ſignificare digneris, ut me faciat certiorem. Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum, XV. Martii, cIↃ IↃC III.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LXXI.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

IN petitoria cauſa popularis tui, nihil adhuc certi & explorati video. Vereor ne uterque vetus diverbium uſu noſtrum fecerimus, *Sabini quod volunt ſomniant.* quanquam equidem, ſi meæ ſpontis & electionis res foret, malim equidem aliud vitæ inſtitutum exſequi, quam hoc ſcholaſticum ſaxum volvere. Cæterum quando non poſſum quod volo, velle debeo quod poſſum. Adeone autem præcluſus eſt induſtriæ noſtræ omnis ad ædem Honoris aditus, ut ſi candidatus ille provinciam non ſortiatur quam prenſat, Baudio non ſit futurus in patria inter tot illuſtres amicos aliquis honeſtior locus? Iuſta indignatione moveor, ut in has voces erumpam, & impedior verecunda generoſitate animi, quo minus rerum mearum anguſtias ſigillatim tibi narrem, quæ calidum & maturum aliquod ſubſidium, non incertæ conditionis eventum deſiderant. Lutetia literas accepi, quibus vehementer urgeor ut iſthuc excurrendum habeam, niſi velim æquo animo derelinquere ſpem quingentorum aureorum, quos ex pacto convento jampridem mihi promiſſos procurator meus, homo ſpectatiſſimæ fidei, negat poſſe obtineri niſi ipſe vadimonium obeam. Digna merces eſt homini meæ ſortis, cur iter aggrediar. Paucorum dierum negotiatio erit, niſi me credulitas fallit. res enim mihi eſt cum honoratiſſimo turmarum equeſtrium præfecto D. Erneſto à Manderſlo, cui nec opinanti tanquam ex ruina vel incendio ſervavi debitum ſex millium aureorum. Si qua occaſio aperiretur, ut extra ordinem publico nomine in Galliam legari poſſem, multum felicitati meæ gratularer. Sed hæc ægri ſomnia ſunt, ut & rumor ille qui pervagatur de Gallo deſignato Rege Romanorum. Quid ſi tamen ita eſſet; cum inſit in incredibili ſæpe veritas, & in verſimili mendacium, non diſconveniret magnificentiæ Illuſtriſſimorum Ordinum, mitti qui publicam lætitiam ſecunda Oratione teſtarentur. Sed jam nimis dudum perperam fabulor, itaque finem faciam ineptiendi.

 Vale

Vale juvenum eximie, & nos ama. Datum Lugdun. Batavorum, XXV. Martii. CIↃ IↃC III.

EPISTOLA LXXII.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVanquam mihi dubium non eſt, Vir clariſſime, quin multis amicis votum & ſtudium non defuerit mei in hiſce regionibus retinendi, tamen tibi & illuſtri ſocero tuo in ſolidum debere me profiteor gratiam iſtius beneficii, cujus ſpem imo fidem oſtentant tuæ literæ, in quibus non adumbrata ſed expreſſa ſigna vidi ſingularis cujuſdam pro me curæ ac ſollicitudinis. Nulla vox eſt, qua teſtari pro dignitate poſſim, quantum eo nomine utrique veſtrum obſtrictus ſim, qui me dignum axiſtimaſtis in quem publicæ benignitatis exemplum ſtatuatur, antequam ullum operæ pretium ex parte mea profectum ſit. Grave quidem eſt apud hominem ingenuum & pudentem, eſſe te oneri iis, quibus nunquam uſui fueris: tamen ea res me conſolatur, quod per me non ſtetit, quo minus labor & induſtria noſtra pervenerit ad aliquam frugem ſtudioſæ juventutis. Difficulter initio ab animo meo impetraveram, ut profeſſoriam provinciam exambire vellem, poſtquam labantem impulit auctoritas eorum quibus ſumma res niti videbatur, ſervilius candidatum egi quam aut naturæ meæ genius ferebat, aut dignum erat mediocri illo nomine, quod in ordine literatorum ſuſtinemus. Sed tantum abeſt ut querar de repulſa, ut potius gratias agam hominum injuriæ, per quam effectum eſt, ut bono periculo comperirem noſtri curam etiam ad publicas rationes pertinere. Cæterum ne ſedeam velut immunis fucus ad aliena pabula, veſtri judicii erit æſtimare, qua tandem in re laudabilem operam patriæ navare poſſim, meæ partes erunt prompto paratoque animo quidvis exequi. Fruar interim cum gratiarum actione beneficio Deorum. οὐ γὰρ ἀπόβλητ᾽ ἐστὶ θεῶν ἐρικύδεα δῶρα. Si bene me novi, nullam equidem Spartam æque concupiverim, nullam item meliori fide exornaturus videor, quam ſi conſcribendæ Hiſtoriæ munus huic homini

mini delegetur. Præſagit mihi animus, quid hic dicturus ſis: nimirum, iſtam Penelopen pluribus jam pridem eſſe deſponſam. ſed quando ita vulgo vulgatur, quid prohibet & nos inter amaſiorum greges acceſeri. Nemo certe ex iis, qui ſerviunt huic altari, noſtrorum temporum res geſtas exorſus eſt, quæ tales ac tantæ ſunt, ut multis retro ſeculis nihil cum iis multitudine & amplitudine conferri poſſit. Ianum Douſam filium immatura mors terris eripuit, cui cætera omnia præter legitimam ætatem, & rerum humanarum uſum, abunde ſuppetebant ad implendam Hiſtoriæ dignitatem. Patrem diſtinent curæ forenſes, & jam factis ac ſcriptis meruit, ut rude & honeſta miſſione donetur. Etiam ad ejus exiſtimationem pertinere arbitror, (ſed pereat hoc apud te) ut partæ gloriæ ſecure potius indormiat, quam de amplificanda laboret. Hæc ſane profeſſio totum hominem requirit, ut pro honore ſæculi, & pro majeſtate argumenti recte & ordine tractari poſſit. Tragoras non ſine publico dedecore in eo cenſu cenſeri poteſt. D. Menenio olim in ſolatium erepti honoris data eſt dicis cauſa hæc exercitatio, quæ ingratum otium oblectaret. Non vidi artis ſpecimen, ſed quatenus hominem novi, fuit ille quidem in pragmatico pulvere multum exercitatus, ſed in elegantiori literatura, tanquam in alieno foro, peregrinabatur. itaque monumento ejus abfuit genius, qui ſolet operibus vitam & gratiam conciliare. De populari tuo G. T. P. N. nihil addam vel patriæ cauſa, vel hominis, cui ſum amicus. Cum eſſem in Gallia, primarius Curiæ Pariſienſis præſes, & affinis ejus D. Thuanus, vir (ut ſcis) mei ſtudioſiſſimus communi conſilio ſtatuerant efficere, ut Hiſtoricus Galliæ renuntiaret, quod ipſis ſtili noſtri concinnatio non inhumana videretur. Confecta res erat, ſi qua magnitudine animi Rex adminiſtrare ſolet res æterna memoria & ſcriptione digniſſimas, eadem liberalitate præclaris ingeniis ad ſcribendum calcar admoveret. Sed hac in parte claudicat ejus benignitas, cujus rei domeſticum teſtimonium perhibere poſſum. Wouweri Epiſtolam tranſcripſi, ut tibi mos geratur, cujus voluntas apud me potior eſt omni imperio. Sunt quædam non temere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

mere committenda iis, qui dextram anſam amplecti vel nolunt vel neſciunt: tu prudentia tua in eo uteris, & benigna interpretatione mitigabis, ſi quæ videbuntur paulo duriuſcula, vel nimis audacter pronuntiata in lubrico negotio religionis. Ignoſcendum eſt ingenioſo juveni apud amiciſſimum libere jus dicenti extra ſuum territorium, cui nemo parere cogitur. Locus, quem aſteriſco notavi, deſumptus eſt ex Tertulliano ad Scapulam. Nam quod me oblique notat levitatis & inconſtantiæ ob ſuſceptum bipedis nequiſſimi patrocinium, ſatis hanc cauſam præſens apud te peroravi. Credulitas, agnatum bonis mentibus deliquium, me in fraudem impulit, & alios multos me longe ſagaciores. Etiam ſocero tuo (quali prudentia viro!) furcifer iſte impoſuit, adeo ut ægre demoveri potuerit à ſententia, quin virum bonum putaret. Statim atque ex profano ſermone, & multis indiciis ſubdubitare cœpi de ejus fide ac probitate, deſerui advocationem, &, ut ſum ingenio minime factus ad ſimulandum, non celavi hominem juſtas ſuſpicionis cauſas. Ille conſcientiæ ſtimulis agitatus, tanquam ſibi periculum capitis denuntiaſſem, protinus ſe ſubduxit, abiit, exceſſit, erupit, evaſit: uſque tamen ſecum circumferens domeſticum tortorem; ſub cujus flagello vapulat ſævius, quam ſi culeo inſueretur. nam ut olim cecini de quodam inſigni falſario,

Vtcunque facta digna plecti legibus
Fallant acumen judicum, aut vitent manus;
Se nemo fallit, effugitve, nec nocens
Quiſquam ſupremo creditori decoquit.

Vale Vir obſervande, & me ama. Datum Lugd. Batavorum, XXIX. Martii, CIↃ IↃC III.

EPISTOLA LXXIII.

Dominico Baudio Iohannes à Wouwer S. D.

Lugdunum Batavorum.

NArro tibi, mi Baudi, literæ tuæ mœroris & gaudii divortiis diſtractum offenderunt, adeo ut etiamnum animum à ſe male diſſidentem velut ex ingenti plaga reconciliare cogar. Gaudii quidem iſtius, quo agnoſcere licuit te vivere felicem, & affectum in te meum pari

pari amore remunerare, pleniſsimus fructus totus ad me pertinet. qui nunc ſane major emergit, cum intelligam te in vicinioribus locis hærere, quem invidioſo ſeceſſu nobis ſubductum putabam, imo ſerio ingemiſcebam. Ingenti tamen vulnere me petiit quod ſcribere auſus ſis, per ſiniſtras quaſdam famigerationes tibi ab amicis minime mendacibus inculcatas, fervorem quo me deperire ſolebas velut frigore contactum intepuiſſe. Quid animi eſſe mihi judicas cum hæc lego? qui hunc fructum tenerrimi affectus, & conſtantis obſervantiæ feram, ut religioſiſsimum tui cultorem etiam odiſſe poſſes. Vereor inconſtantiam tuam tibi oſtendere, qui maluiſti aliorum potius calumniis temere credere, quam illis, quæ ipſe fidiſsimis experimentis probaras, & hos ipſos infelicis diſcordiæ auctores appellare audes minime mendaces. Si mecum rediiſti in gratiam, damnabis illos ut mendaces, & ſerio oderis fures & latrones amiciſſimi tibi capitis. Ego quidem magis moverer, niſi fati mei aſperitas jam in conſuetudinem vertiſſet. familiari enim ſævitia omnes amicos, quos præſentes devotiſsimo animo, & omni officiorum genere mihi devinxi, abſentes totos eripit aut mutat. Sed non agam ambitioſe. jubeo te redire in præterita, & repetere primordia amoris noſtri: invenies quam tenere natus, quibus officiorum incrementis educatus, donec ad perfectam (ut ita dixerim) ætatem pervenerit. ne dicam, te in ludicris & ſeriis pari mecum animo ſemper fuiſſe, ſocium in lætis pariter & aſperis habuiſſe. Meminiſſe debueras ultimi amplexus, quem tibi ambitioſo nexu alligatus, velut invidentibus fatis properabam, qua lucem nullam triſtiorem me egiſſe affirmare auſim uſque adeo, ut ipſe dies, velut arbiter mœroris mei, dolori favere videretur. certe obſcurior relucebat: neque enim ferebam me infauſta & damnata diviſione à te divelli. Ex eo tempore licet perpetuis vitæ deſultoriæ fluctibus & continuo errore agitatus, ut difficile fuerit animum vagum & ad incerta tranſvolantem retinere, ſemper tamen inhærens velut jucundæ imagini memoriam tuam fovi, & per mare, per terras, per alta montium juga incluſum te huic pectori circumtuli, nec deſtiti ubique terrarum ingenii tui dotes, quas me ſolum legitimo pretio æſtimare didiciſſe haud obſcure gloriari ſoleo, omnibus prædicare. Hæ ſunt artes linguæ meæ, de quibus jure familiaritatis conqueri potes, hic eſt ille latro, ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

parricida, qui ſacramentum amicitiæ noſtræ violare auſus. Videbis quomodo errorem tuum, non dicam tueri, ſed emendare poſſis. Iuſtiſſimo meo dolori ita demum ſatisfiet, ſi intelligam tantum fervoris affectui in me tuo acceſſiſſe, quantum illi perditorum calumniæ detraxerant. Sycophantam Rhætum, quem narras, haud facile capio. vellem paulo apertius hominis ſchema oſtendiſſes. Conjicio tamen eſſe nequiſſimum ſcurram, in quem nupere Pragæ fugitivo alloquio incidi. nam inter alios amicos meos, quos ſe amplexum ajebat, te & Scaligerum recenſebat, & quidem me, ut hominem extremæ inſcitiæ, à te traductum & deriſum affirmabat. quod tamen animo meo minime obhæſit, qui judicii in me tui alia documenta ſepoſueram. Ex eo tempore hominem non vidi, nec nequiſſimum caput commonſtrare poſſum. Si is eſt, quem puto, nigro & criſpo capillo, mediocri ſtatura, & craſſiori corporis filo, in finibus Longobardiæ natus ad Alpium radices, ſæcularem presbyterum aliquamdiu promiſit, poſtea ad Rhætos, & ab iis in Ducatum Wirtebergenſem profugit, ubique functus officio miniſtri verbi! illuſtris ternis homicidiis, binis matrimoniis uno fere tempore contractis. Horum criminum reus Romam petiit, ubi neſcio quæ promittere auſus de converſione quorundam Monachorum Italorum, qui in Rhætiam profugerant. eo nomine multis ſe inſinuavit: qui cum ex verbis rem factam viderent, & hominem vanum plerique conjicerent, veritus ne ſcelera innoteſcerent, rurſus aufugit omnibus inſciis, ut etiam inauſpicati abitus famam relinqueret. Mihi vero Pragæ retulit ſe exploratorem & emiſſarium Pontificis, hac fini iter ſuſcepiſſe, ut pleraque præclara ingenia Romam pertraheret, & paſſim expiſcaretur quid hominibus animi in recipienda Romana religione, quod deſperatiſſimum hominem mentiri certo ſcio. Quæ vero rabies, quæ furiæ eum agitarint, ut tam multa tamque nefanda de me ſpargere auſus ſit, comminiſci non poſſum, cum nec beneficio nec injuria mihi notus, ſed politica, ut Ariſtoteles appellat, amicitia, & in aula Pontificis mihi viſus. Quare indignum arbitror, magnopere laborare in refutandis iis quæ de me mentitus, neque enim ad ignominiam meam ea pertinere exiſtimo. Non miror ſane quod fingere auſit, hominem quendam mihi amiciſſimum publice in conſeſſu Cardinalium religionem abjuraſſe, ſi pari fronte hic inter meos ſuſtinere potuit, me Romæ in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

in Inquiſitionem conjectum, reum impietatis, ſe vero arctiſſima neceſſitudine mihi junctum aufugiſſe, ut hæc ipſis narraret. Facile divinare potes, quibus lachrymis mei me compoſuerint. Quid vero in deſpicatiſſimo nebulone faſcinare te potuit, quod gratia tua eum protegere dignatus ſis, non invenio. nam ſi ſtudio veritatis, ut appellas, Romam deſeruerat, & proinde amore religionis à te ſuſceptus, miror profecto, unde tantus illius fervor te invaſerit, ut hominem, cujus cætera vita (ita enim ſcribis) cum ſermone minime congruebat, & cujus præcipua palma crimen vivicomburio luendum, Suada tua defendere volueris, tanquam ſi pro aris & focis cauſam diceres. Quod ſi religionis amor hæc vitia apud te tegere potuit, certe longe animi mutatus es ab illo, quem te olim mihi probaſti. Cæterum quod ſcribis, priuſquam Lutetia diſcederes eundem rumorem ad aures accidiſſe, vellem auctorem rumoris indicaſſes. Amici mei, qui apud vos agunt, multa incondita, quæ nec cœlum nec terram tangunt, de me vulgata ad me perſcripſerunt: nec tamen aperte hæc ad me ſcribere auſi: ſcilicet quia credere non potuerunt. tibi vero ut hæc deducto omni velamine nude proſtitueres triſtiſſimæ huic fronti, leve & exile viſum fuit. ſcilicet quia hanc libertatem neceſſitudo, quæ mihi tecum intercedit, facile indulſit. Nego tamen factum, & quidem ſerio nego. quod quidem factum nemo facile credet, niſi qui rerum Romanarum prorſus imperitus. Neque enim hoc fieri ſolet, niſi in iis qui incluſi Inquiſitionis carceri fuerunt; aut Eccleſiaſtici, quorum converſio ad exemplum pertinet. Mihi vero hunc rumorem conflavit ingens familiaritas quæ cum doctiſſimis Cardinalibus & proceribus Romanis, ne majores adjungam, interceſſit. ea tamen mihi non tam quæſita quam neceſſaria fuit; nempe qualis illa, qua magiſtri cavearum leoni prandium parare ſolent. Nulli annales niſi valde magni ea capiunt quæ in Italia mihi acciderunt. Suadeo meo exemplo Belgas & Germanos illic vitandos. Simili modo mihi nocet apud Italos & Germanos arctiſſima amicitia, qua mihi ſemper cum Belgis, & diutina mora quæ me Batavia tenuit. Parco ad te ſcribere quæ de me manifeſtiſſimis mendaciis paſſim ſpargunt. Nihil tamen me lædit, niſi quod videam amicos meos curioſa quadam malignitate & ſollicitudine, pene dixerim inhumana, in me inquirere, quaſi interſit quid credam vel non credam, cum humani juris &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

naturalis poteſtatis ſit unicuique quod putaverit colere ; nec alii obeſt aut prodeſt alterius religio. Equidem cum video pari prenſatione utroſque exulem petere, placere mihi incipio, tanquam ſi jactura mei etiam ad alios pertineret. Non nego profecto eos, qui religionem reformandam ſuſceperunt, multa, quæ fortaſſe diſſuenda erant, pio ſed improvido zelo tota reſcidiſſe. hoc me ſerio improbare aperte fateor : neque illa ſententia heri aut hodie mihi nata. ſed ex illo tempore quo aliquem veri guſtum ſenſus communis mihi ſuggeſſit, hoc ſi omnes in me improbant, ne iraſcor quidem. Mihi vero ita ſentire liberum erit, & oſtendere ſuam cuique ſponſam eſſe pulchram. Parcite quæſo invidere mihi errorem meum, qui vobis ſapientiam nullus invideo. Hoſtes tamen tyrannidis & inimici ſuperſtitionis ſumus, parati vel ipſa morte probare nos bonos cives, & patriæ, hoc eſt, Germaniæ & Belgii amantes. Quod ſi tanto fervore in illas partes raperer, cur hic velut in orbis terrarum limbo inter ignominioſos latito? cur non patior ingenii mei vires ad fructum aliquem honorum & divitiarum pervenire? Nempe ſatius erit inertia contabeſcere, & ignobili otio ſepeliri, quam oſtendere ſe fortunæ & omni niſu emergere : tanquam ſi firmos lacertorum toros in leviſſimæ machinæ motu inutiliter contererem. Me Conſiliarium Cæſaris electum vera fama fuit. haud facile dixero, quantis conatibus, quam magnidicis promiſſis me ex Italia prolectarunt : & ſane non habeo quod conqueri poſſim, nam & honeſtiſſimus locus datus, & ſtipendium non exiguum ab ipſo adventu meo decretum mihi fuit : ne dicam inania honorum, & quæ ſpecie ſplendoris incautos pellicere ſolent, ſummo certamine mihi exhibita. Eundem locum mihi etiamnum patere ſcire te velim. Habeo penes me non unas evocatorias quibus reditum imperant. Cæterum cur conditionem, quam alii magno ambitu petiiſſent, non ſuſceperim, & pene dixerim, repudiarim, variæ & graves mihi cauſæ. Vtinam conſuetudine tua me reficere velles, mi Baudi, imo mi frater, per memoriam affectus mei, & conſuetudinis noſtræ, per omnia ſacra te adjuro, ut ad me tranſcurras. pauciſſimorum dierum eſt iter : aut homo non ſum, aut ſuſcepti itineris te non pœnitebit. juvabit ſane etiam hæc loca luſtraſſe, & fortaſſe ſi hunc aërem fers, de aliis, quæ in rem tuam, laborabimus. Offero tibi ædes & hoſpitium, atque adeo omnes fortunas meas.
quid

*quid prohibet ad pauciſſimos dies apud me hærere, ut intelligas quam miſere mihi periit operoſa juventa humanorum caſuum documentis, & jactura innocentium annorum, quos irriti errores, & fallacia oblectamenta eripuerunt. Equidem impium videtur, deſerere tam conſtantis affectus amicum. ſane ad exemplum pertinet ut ad me properes, quod te rogo & obteſtor per omnia illa quæ tibi cara. Sed quid narras, Baudi, occluſum tibi aditum fuiſſe ad capeſſendam Iuſti Lipſii provinciam? Ambigo profecto an magis mirer te ab animo tuo impetrare potuiſſe ut huic vitæ generi te dares, (multum ſane à præfracto illius robore dempſiſti:) an potius furorem iſtorum hominum qui ea negarunt quæ indefeſſò ambitu & ingenti prenſatione petere debuerant. Sed noſti luſum rerum humanarum. profecto aliquando prætura Catonem quæret. Sed crede mihi, faſtidium veſtrorum hominum, olim riſus ſæculi, indignatio poſteritatis erit. Vtinam felix eventus inventum tuum juvaret. certe in eo agnoſco partem felicitatis meæ, & duplici via mihi gratulor, tum quod te amantiſſimum mei tam præclari inventi auctorem habeamus, tum quod ſocietatem humanam re omnino neceſſaria juvari intelligam. ** Quantum me capiat Venus tua, ſatis noſti. quare non me fraudabis verſibus tuis, quorum lectione refectus redibit hic animus ad vires ſuas, qui fortunæ plagis velut lento morbo jam olim ſopitus jacet. Sebaſtianus à Berghen Bremæ nunc agit: exiſtimo tamen literas tuas ipſum accepiſſe. Quid de ſede fortunarum tuarum certo conſtitueris, & cui terrarum parti reliquum vitæ tempus credere velis, de totaque adeo vitæ conditione, quæſo abunde certiorem me facias. Velim tibi perſuadeas, nihil à te proficiſci poſſe quo me magis obſtringere queas, quam ut ad me inviſas. Paratum tibi hoſpitium erit apud Ioachimum Kellinchuſen, ubi me invenies. Vale, & me ama.*

EPISTOLA LXXIV.

Hugoni Grotio Dominic. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

NIhil habeo quod ad te ſcribam præter proletaria verba, ut incluſum literarum faſciculum tradas D. Laurentio Reichio, quem ſtudioſe & cum cura commendavi illuſtri Legato Galliarum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Ecquid autem tibi tinnitant aures? ita heri à concione pomeridiana creber fuiſti in ſermone Scaligeri. ὁ πανηγυρικός σου λόγος κέντρον ἐγκατέλιπε τούτῳ τῷ θαυμασίῳ ἀνδρί. Nihil gratiæ cauſa dicam, ſed non dubitat iſtud Poëmatium tuum committere cum præſtantiſſimis in eo genere monumentis totius antiquitatis. Macte tua virtute, & tali judicio, cujus dignitatem deteram, ſi meum ſuffragium adjunxero. Nec vero de hujuſmodi operibus pronuntiandum eſt, niſi animo rite præparato. ſacra iſta non fiunt propter viam. Nihil æque doleo, quam quod vivimus ſub iis hominibus qui non habent delectum ingeniorum. Neceſſe habemus multum remittere de viribus, ſi ad ſæculi ſortem & captum meditationes noſtras exigere poſtulamus. forſitan ipſe Rex, cujus honori tam præclarum ingenii pignus conſecraſti, idoneus erit arbiter, aut ſaltem liberalis præmiator. in quo felici omine deſino. Vale, & nos ama. Kalendis Maji, cIↃ IↃC III.

EPISTOLA LXXV.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

EOdem die quo à te diſceſſi, clariſſime Myli, cum ſub veſperam currum conſcendiſſem, notavi redeuntem è curia nobiliſſimum Douſam, cui confeſtim obviam proceſſi, & brevi alloquio, quod anguſtiis temporis urgebar, hominem compellavi, haud dum à domeſtico mœrore prorſus confirmatum. In digreſſu, paucis & perfunctoriis verbis declaravit cauſam noſtram ſibi & eſſe & fore curæ. Rurſus itaque comperendinationes fiunt de meo capite, nec quidquam adhuc decretorie conſtitutum intelligo. τὰ δ' ἡμέτερα καὶ μικρά ἐστι, καὶ πάνυ ταχεῖάν τινα ἐπικουρίαν ἀπαιτεῖ. Ex quo mihi ſignificaſti publicam ſollicitudinem ſuſpenſam eſſe ancipiti exſpectatione, quorſum evaſura ſit novi principis inclinatio, circa partium noſtrarum ſummam, ſerio meditatus ſum apud me, & chartis memoriæ cuſtodibus mandavi quaſdam forte haudquaquam pœnitendas rationes, hauſtas é penu civilis diſciplinæ, & ex nonnulla cognitione noſtri ſtatus; quibus, ſi ſe conſilio utili & ſalutari regi patietur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

animus ejus efficaciter dimoveri poterit ab omni voluntate fœderis ineundi cum Hiſpano. Sed quia nullum noſtri pretium publice fieri video, cœpi neſcio quo modo plane mihi ipſe diſplicere, ut non injuria cum Acciano Philoctete queri poſſim, quod hæc tela pennigero, non armigero in corpore exerceantur. Vale, V.C. & nos ama. Datum, Lugduni Batavorum, XIV. Kal. Majas, cIↃ IↃC III.

Epistola LXXVI.

Dom. Baudio I. C. S. P. D. Ioh. Wouwerus.

Leidam.

Literas meas tantum pondus apud te inveniſſe, ut reviviſcentem amicitiam toto pectore admiſeris, ſerio & ex animo gaudeo. Adfectus quidem in te meus, tanquam ſi vires collegiſſet, longe plenior & fortior, ut facile cogitare poſſis, quam graviter feram tormentum deſiderii tui, quo me liberare adventu ad me tuo poteras. Et quæſo, mi Baudi, mi frater, quomodo tam durus nobis eſſe potes, ut amplexum tuum, quem jactura aliquot annorum redimere paratus ſum, invidere velis. Miſerere æſtuantis, & ſaltem certiorem fac, quamdiu manſurus ſis in Hollandia. Nolo enim te fugitivo ſeceſſu rurſus mihi elabi. Fr. Douſa, quid agit? ergo prorſus noſtri oblitus? eum ſi videris amice meo nomine ſalutabis. Vtinam idem ſuſcipere velles in Illuſtriſſ. Domino Buſenvallio, eique meis verbis devotiſſimum adfectum inſinuare, hoc te ſerio rogo. Minucii & Firmici exemplaria propediem ad te mittam. Vale. Hamburgi. Prid. Non. Iunii. cIↃ IↃC III.

Epistola LXXVII.

Iohanni à Wouweren. Dom. Baudius S. P. D.

SI meæ ſpontis res eſſet, jampridem & animo meo & impatienti deſiderio tuo morem geſſiſſem. Sed curatores noſtri injecerunt Proteo vincula: quibus utinam illigari me olim paſſus fuiſſem, longe fundatiori loco fama fortunæque noſtræ conſtitutæ forent. Sed præterita facilius reprehendi, quam corrigi poſſunt. Interim maxima res effecta eſt, & evulgatum horribile ſecretum, quod experiendo vires noſſe cœpi meas, & intelligere quantus artifex quamdiu ſitu &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

inertia contabuerit. Paullatim honeſte omitto fatalem illam δυσωπίαν, quæ mihi tamdiu ademit uſumfructum mei, furcillis ejicienda erat. pro ut de me merita eſt tractari Sirenem illam oportuit. Sed diuturno contubernio tantam ſibi auctoritatem apud me paravit, ut ægre & faſtidioſe divelli ſeſe patiatur. noſti quam tenera facie, & quam imbecilla fronte ſim. ἄμαχον δὲ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος. Τὸ γὰρ ἐμφυὲς οὔτ᾽ αἴθων ἀλώπηξ, οὔτ᾽ ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος. Multi ſortem meam deprædicant, & hunc hominem ad ſummam votorum perveniſſe arbitrantur, quod cooptatus ſim in hoc collegium. qui ſi μεγαλοψυχίας τῆς ἐμῆς σκιὰν καθ᾽ ὄναρ imaginati eſſent, deplorarent vicem meam. Tu, ſi quiſquam mortalium, εὐστόχως de indole noſtra ſentis.

Intima cui ſoli nota mea extiterunt.

Sed ut nunc tempora ſunt, prudentiæ lex, & Arbitri tui dictio nos hortantur, ut neceſſe habeamus cum inſanientibus furere, & ex arce illa magnarum cogitationum ad genium & ſortem ſeculi ſpiritum ſubmittere. Cæterum (ſed lapidi dictum ſit) non eſt mihi animus conſeneſcere, aut modium ſalis conſumere in his locis; tum quia aër prorſus infeſtus eſt huic corpuſculo reducto ad extremam maciem, tum quia nulla meſſis hinc proveniet præter honeſtam paupertatem. Itaque pedum viſa eſt via. Suſtentabo tamen horno, ſi ſinat θυμὸς ἀγήνωρ. Omnino eſt ineunda nobis ratio, ut proximis feriis Auguſti ſimul eſſe poſſimus. Nam ut morum germanitate, & animorum affinitate mirifice conſpiramus: ita fortunæ noſtræ forſitan habent aliquod commune vinculum, & iiſdem auſpiciis gubernari ſeſe poſtulant. ...... à Muſis ad Martem jamdiu transfugit, vexillifer ἄρχεται εἶναι. ...... Sed hercle vero ſerio, nonne fando ad aures tuas pervenit, bono noſtro ... ante duos annos per aliquot menſes morbum illum eveniſſe non qui ſputari ſolet, ſed qui homines delirantes concinnat? Narro tibi, vix ullus unquam Ædilis ſuaviores ludos dedit, ita ut catelli cuſtodes etiam additi fuerint homini. Nunc eſt in ſtatu adumbratæ quietis, nec temere, ut ſpero, recedet in eaſdem inſanias, niſi ultro malum ſibi ſuo jumento accerſat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ceſſat. Nam ex ingenti intemperantia & aſſiduis vigiliis hanc miſeriam erat nactus. Literæ tuæ fideliter ei redditæ ſunt. binas enim ipſe mihi inſpiciendas dedit, cum eſſet Hagæ Comitatenſi. Non excuſo ejus negligentiam, quod non reſcripſerit. Legatus Buzanuallius ivit in Galliam, ſed animo revertendi cis paucos menſes. Vale Kal. Iul. cIↃ IↃC III.

EPISTOLA LXXVIII.

Iſaaco Caſaubono Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

NOn fuit neceſſaria ſilentii excuſatio, præſertim apud me, qui conſtantiam in diligendo tuam, non literarum officio, ſed rebus & factis metior. Sufficit voto meo, ſi non faſtidis, veterem ſtudiorum deſertorem à fuga retractum, inter cultores tuos admittere. Nam aſſiduitate ſcriptionis mutuum ut facias mecum, impudens ſim ſi poſtulem. Etſi hanc tui ſpem promittit nobis indoles humanitatis quæ inter virtutes tuas familam ducit. Sed quo plura præſtas ultro quæ ſperare pudor meus audebat, tanto impenſius æquum eſt ut caveam ne in appellando inverecundiores videamur. Eximia ſane ingenii tui monumenta teſtantur, nihil delibari poſſe de ſumma temporum tuorum, ſine publico diſpendio rei literariæ, cui omnes curæ cogitationeſque tuæ devoventur. Tamen etiam atque monendus es amice, ut retineas ex ſapientia modum. Nam de diuturno morbo quod quereris, conſtans rumor eſt, eum tibi præ ſtudii nimietate (utar hoc verbo feſtinans) eveniſſe. Mihi à tali cauſa nihil periculi eſt. Immortalis ſum ſi per deſidiam aditus ad immortalitatem patet. Nam cum nulla diligentia ſarciri poſſint immenſa damna præteritæ ceſſationis, animus cum ſpe debilitatur,

Et quod vides periiſſe perditum ducit.

Ita, inquam, vitam inſtituo cum vafro Flacco,

Vt mihi res, non me rebus ſubmittere coner.

Quin id ipſum tempus, quod ſtudia ſibi vendicant, libentius impartimur ſcriptis antiquorum evolvendis: è quo quidem myrothecio depromendum eſt quidquid ætatem ferre & in ſæculum ire poſſit, ſed cum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

mentem venit quantum abſim à talium operum perfectione, refugit timido ſanguen, atque exalbeſco metu. Prorſus, inquam, à ſcripturiendi ſcabie manum abſtineo, ne ludibrium eruditis lectoribus debeam. Sunt in oculis Magiſtelli, quibus vapulantibus favere malo ἐκ βελέων, quam in eodem valetudinario deprehendi. Tu cujus labori & induſtriæ nulla invia via eſt, perge, ut facis, intermorientes literas refovere, & à mala manu liberali cauſa vindicare. Dum ſolenne meum obtineo ut tardum nomen ſim, evenit ut præceps abitus hujuſce nuntii plura ſcripturo intercederet. ea res etiam obſtat quominus officio fungar erga nobilem juvenem & genere & amore rerum honeſtarum, D. Melchiorem Schafmannum, à quo ſum benigniſſime appellatus per literas. Agnoſco nomen, ſed ſpatiis excluſus iniquis, cogor in diem reponere. Tu velim homini ſignifices non perire apud me gratiam & memoriam beneficii. Puteanis fratribus etiam à me ſalutem nuntiabis. Illuſtri domino Thuano, cujus nomen jure mihi ſanctum, effice ne Baudius unquam elabatur. Vale, Vir ſumme, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum, XII. Octobris, CIↄ Iↄ C III.

EPISTOLA LXXIX.

Auguſtino Puteano Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

FEciſti mihi rem gratiſſimam, quod ſcribendi officium abſente fratre ſuſcepiſti. ſi forte tardior ſum in reſpondendo, velim id tribuas publicis occupationibus, quæ me in hoc inſueto vitæ inſtituto totum vindicant. Ægre admodum adduci potui, ut ad docendi munus aſpirare auderem. Fuit mihi longum & durum certamen cum fatali quadam δυσωπίᾳ, quam paulatim bona cum gratia dimitto. Si jampridem frænum hoc momordiſſem, cum viri graves ſerio me hortarentur, forte non inferior extitiſſem ullo magiſtellorum qui apud vos clari æternique habentur. Vidi quæ C.V. Caſaubonus ſtrinxit in conterraneum meum, jure quidem, ſed hominis & patriæ cauſa, vellem parcius. verum

αἴκε πάθη τάγ' ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.

Æquo

Æquo animo ferre debet contumelias, qui tantam ſibi licentiam uſurpat, omnes nullo diſcrimine inſectandi, & quidem ſæpe dedita opera digreditur à propoſito, ut maledicentiæ telum jaciat in obvium quemlibet. Dominus Caſaubonus, (quantus in literis vir!) amice me invitat γονιμῶδές τι παρακινδυνεύσασθαι, ſed nimis me capit dulcedo lectionis antiquorum, ad quorum laudem quoniam pertingere non datur, animus etiam non contentus horum temporum conſuetudine, à ſcribendo deterretur. Forte tamen ubi pertexuero telam panegyrici Pliniani, capiet me impetus mandandi literis informes cogitationes, quas in ſubſidium memoriæ annotavi, ne fugitiva oblivio eas mihi ſubduceret. Non deſpero fore quædam haud aſpernandæ utilitatis, præſertim ἐν πολιτικοῖς. quo in genere potiſſimum mens & lingua noſtra ſeſe exercet. Sed nihil in mundo promittere audeo. tempus ſupereſt ad deliberandum. non deſunt etiam qui flagitant editionem Poëmatum noſtrorum. ſed tutius aſſervantur intra Veſtæ penetralia, ne periculum ſibi creent apud κερτομοῦντας, quibus interdum ſatis intemperanter inſultat ſtili noſtri protervitas. Cur tanti famam emerim, cum eam gratis & ſilendo parare queam? Amplius itaque deliberandum cenſeo. Interim valebis & nos amabis. Datum Hagæ Comitis. XVIII. Novembris, CIↃ IↃC III.

Epistola LXXX.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

Etſi is qui tibi haſce dabit ſatis ornatus eſt ſuis virtutibus, & à fama tibi notus, ut mea commendatione nequaquam indigeat: tamen & honeſtæ petitioni ejus parendum, & pudori ſuccurrendum exiſtimavi, hactenus ut primos ei aditus ad amicitiæ tuæ fores præmunirem. Eſt autem Scotus ille, de quo ſæpius tecum & apud ampliſſimum Legatum ſum locutus. ſi meo ſuffragio nonnullam judicii recti auctoritatem tribuis, fidenter aſſeverare poſſum, eſſe virum non tantum favore bonorum omnium digniſſimum, ſed cujus in docendo munus huic Academiæ ſummo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſummo uſui & emolumento eſſe poſſit. Non celavi hunc animi mei ſenſum apud Dominos Curatores, cum occaſio ad eam rem tulit. Quo minus ambitioſe prenſat hanc provinciam, eo majorem ejus rationem habendam cenſeo. Valde gratus eſt ſtudioſis & floret auditorum frequentia. Non addo plura, & hæc ipſa ſcribo præter animi ejus ſententiam, qui nihil aliud poſtulat quam ut me parario & interprete tibi poſſit innoteſcere, cujus eximias laudes omnium ore celebratas unice veneratur. Dabis hoc & meis precibus, & hominis merito, quod ſatis te hortatur naturæ tuæ proclivitas ad bene de bonis merendum. Cæterum non tuo ſed publico nomine gratulor, quod te Comes illuſtriſſimus in ordinem eorum allegit, qui conſilium ejus participant. Audio popularem tuum eundemque collegam meum, vel (ut pluribus titulis hominem deſignem) G. F. P. N. unum ex Hiſtoriographis, valde cupide ambiiſſe munus demortui nuper Quæſtoris, ſed exceptum fuiſſe lepidiſſimo ſcommate à Principe, qui ad eam rem magiſter eſt unicus. niſi quod rex Galliæ cum eo paria facere videtur. Sed, ut ad τὸν δεῖνα revertar. Miror quæ intemperies eum agitet, ut cum vix antiquam Sparten tueri poſſit, tantopere experiri geſtiat, quam ſe aliena deceant. nempe quia tam feliciter illi ceſſit prior illa ſuffragatio Vltrajectina, ideo iterum *deſcendit in campum petitor*. Sed non tam rideo ſuaviter ejus repulſam, quam ſerio ringor eveniſſe Senatoriam dignationem adoleſcentulo. nihil addo amplius, ne dum juſtæ indignationi indulgeo, tibi ſim moleſtior. Vale vir eximie, & nos ama. Datum Lugd. Batavor. raptiſſime, ut me tacente res loquitur, XXX. Decembris, CIↃ IↃC III.

EPISTOLA LXXXI.

Illuſtri Viro Benedicto ab Alefeldt Domin. Baudius S. P. D.

QVod cultum & obſervantiam meam per literas non ſim teſtatus, inde ex quo coram heroïcas tuas virtutes intueri licuit, aſſcribes partim magno pudori meo, partim excelſæ dignitati, in qua te Deus & publica Felicitas collocavit. Etſi enim

enim humanitas, quæ in cenſu laudum tuarum palmam obtinet, boni conſultura videbatur meam ſcribendi audentiam: tamen non tam conſiderandum arbitrabar quantum mihi comitas tua permitteret, quam quid amplitudini deberetur. Inanibus autem literis talem virum interpellare non conveniebat ei, qui ſe modeſtum & verecundum haberi ſtuderet. Nunc autem ut gaudio vis cogendi ineſt, non potui imperare affectui, quin profiterer, quantum benignitati tuæ ſim obſtrictus, quod, ut ex clariſſimo Ioan. Wouwerio cognovi, eſt tibi in animo filium tuum, nobile depoſitum illud, & ad omnia præclariſſima natum adoleſcentem fidei noſtræ concredere. Non decet me quidquam effari elatius, ſed quidquid poſſe videor in quocunque genere ſtudii atque induſtriæ, unde bonum nomen & famæ celebritas paratur, id omne militabit ſub auſpiciis tuæ gratiæ, quo theſauro, nihil pretioſius eſſe duco. Pluribus verbis non oſtentabo devotum animum, niſi ut te rogem atque obſecrem, ut hoc homine utaris ad omnia quæ voles, quæque me poſſe judicabis, tanquam eo, qui æternum erit,

Dignitatis tuæ religioſus cultor.

Epistola LXXXII.

Ioanni Meurſio Domin. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVod tardior fui in remittenda Præfatione, ſicuti mandaras, feci hac perſuaſione deceptus, quod exiſtimarem non multum periculi eſſe, in mora modici temporis. ſimul etiam aurigarum generi non temere hujuſmodi depoſitum concredendum exiſtimavi. Nunc bona copia ſeſe obtulit, ut & voluntati tuæ ſatisfacerem, & eadem opera τοῦτον τὸν γραμματοφόρον humanitati tuæ conciliarem. Nomen ſi dixero, continuo amabis hominem. Eſt enim Scotus ille qui extra ordinem Philoſophiam profitetur. Adfui aliquoties typographo, ut editionem maturaret. Placet illi opinor mos & diſciplina Maximi illius, qui *cunctando reſtituit rem*. Adde quod ita natura comparatum eſt, ut magnanimus quiſque tardos habeat progreſſus. Affirmat tamen operas calere, ſed tum demum daturum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rum ſe probas (quidni feſtinans utar hoc nomine?) inſpiciendas. Ego in hujuſmodi negotio valde tiro ſum. ſed ſi ſemel calamum ſumpſero & excuſſero veternum, redigam ad laſſitudinem typographos. Sed hæc licentius jocati ſumus. Vale Vir Cl. Lugd. Batavorum, 11. Kal. Februar. cIɔ Iɔc IV.

EPISTOLA LXXXIII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ADhuc præclarum illud certamen cernitur de hora. Reverſus eſt è Zelandia Tuningius, ſed confeſtim Hagam ſe contulit. exſpectatur veſperi. ſtat ſententia non dimoveri à propoſito, nec opinor defuturos Curatores auctoritati ſuæ tuendæ, quæ per meum latus obliqua petitione oppugnatur. Vtinam Triumviratum expleres! quod una re facillime obtineri poſſet faventibus omnibus bonis, ſi ſerio in eam cogitationem incumbendum putares. Quod ſi tua cauſa adduci non potes ut facias, rem literariam reſpice, quæ magnanimum defenſorem ſuæ dignitatis & virum præſentis animi conſiliique deſiderat. Quod vereri videbaris, ne μικροφιλοτιμίαν homines reprehenderent: contemnendi ſunt futiles rumuſculi, dum publicis rationibus conſulatur. Quis cordatus non tibi ſpe & votis longe majora auguratur? Spero te huc venturum octavo die Februarii. Si rem natam & εὐκαιρίαν videris, haud impudenter te rogo, gratia tua nos juves apud Curatores, ut paulo unctiuſcule nos habeant. quod aliis haud gravate concedunt, qui nec ulla re nos vincunt, & minoribus oneribus opprimuntur. Sed commoditatis articulos aucupare, ne præ ſtudio quid offendas. Etſi non magnopere laboro, quid eventurum ſit. vix enim uſquam vivere poſſim arctiori conditione: nec aliud fere in his locis noſtri ordinis hominibus metendum eſſe video, præter probam pauperiem ſine dote. quam quidem ſororem bonæ mentis vocat elegantiſſimus nequam Arbiter: ſed gravis & ſapiens auctor Plutarchus, omnia viris cordatis tentanda putat, ut ejuſmodi contubernalem honeſte à ſe demittere poſſint. Liberius & familiarius hæc penes

te

te depono, quam dignitas tua poſtulare videatur. ſed hanc mihi fiduciam largitur eximia comitas, quæ decus & condimentum eſt cæterarum tuarum virtutum. Iohannes à Wouweren conſcripſit bene longum Panegyricum in honorem Regis Danorum, quem perlegi ἀμυςὶ, commodatum ab illuſtri Scaligero. Affectavit in eo ſublime & floridum ſimul genus dicendi. Laudandus ob generoſum conatum, etſi interdum langueſcit, & pellucet nimis æmulatio antiquorum. Multa ſunt quæ non ignavo lectori placere poſſint. Si currum interdum non bene moderatur, *magnis tamen excidit auſis.* Generoſiores animi, dum vitant humum, ſæpe nubes & inania captant. Ætas & poſteræ curæ limabunt, & depaſcent luxuriem agnatam melioribus ingeniis. Is qui haſce literas tibi reddet, jam in cenſu tuo eſt, non repeto quem dedi. Valde ſibi gratulatur, quod numeratur inter ordines eorum qui te obſervant. Vale. Datum Lugduni Batavorum penultimo die Ianuarii, cIↃ IↃc iv.

Epistola LXXXIV.

Ioanni Meurſio Domin. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Hodie cum prima luce typographus ad me venit, & attulit eam partem excuſam, cujus exemplum ad te mitto. Moram enim nullam interpoſui quin calentem à prælo inſpicerem, ut impatienti deſiderio tuo mos geſtus eſſe videretur. Non eſt quod ſuſpiceris me defuturum provinciæ quam mihi delegaſti, nec per me ſtabit quo minus operæ ferveant, ſed lentum ſane negotium eſt hoc genus hominum. cæterum (quod libere liceat) ipſe tu ſufflaminandus es. ἀσφαλὴς γὰρ ἐς' ἀμείνων ἢ θρασὺς ςρατηλάτης. An neſcis eas arbores diu creſcere, quæ multa virûm volvenda ſecula durant? Sed non libet diutius nugari alieno tempore. rumor enim eſt uxorem clariſſimi Mylii graviter laborare ex dolore. ignoſces familiaritati. quæ ſi te offendit, pari libertate apud nos utere. Vale, iv. Februarii, cIↃ IↃc iv.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LXXXV.

Auguſto Puteano Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

ET literæ tuæ, quibus ſignificabas fratrem tuum in Italiam profectum, redditæ mihi ſunt, & memini me paulo poſt reſpondiſſe, per honeſtum adoleſcentem, cui cognomen Corneillau. Non dubito quin meas acceperis, ſiquidem ſalvus iſthuc pervenit. Quod de ingratitudine τοῦ δεῖνα acerbe quereris, non refragor quidem juſto tuo dolori; ſed tamen vehementer te hortor, imo obteſtor, ut cum eo in gratiam reverti velis: ſi nihil aliud, exemplum meum id ab te impetrare debet. ſcis enim quam contemptim & abjecte de me ſit locutus, nec ſtetit per eum, quominus vileſcerem etiam apud veteres & magnos amicos: quaſi ſcilicet ejus ope & ſubſidio fortunam meam toleraſſem. ſed recte cecidit, quod iſthæc jejuna calumnia ſpiculum amiſerit, ſine ulla vulneris ſuſpicione. non enim nactus eſt aures credulas, ſed hæſit apud eos quibus melior notitia noſtri, & major Baudii æſtimatio. Tamen omnes iſtas offenſas delevi ex animo, & bona fide pepegi perpetuam ἀμνηστίαν καὶ μὴ μνησικακεῖν. quinetiam viderer mihi committere adverſus formulam fœderis, quod iſta nunc commemoro, niſi hoc propoſiti haberet commemoratio, ut in eaſdem leges te compellerem. Cenſeo itaque obliterandum quidquid eſt aut ſimultatis, aut incommodæ opinionis. & ut certum habeam pignus reconciliatæ gratiæ, cupio auctorque ſum, ut iſtum affectum teſteris per epiſtolam. Sane vir eſt non abſque nævo, quis enim talis uſquam eſt deductus gentium? ſed abundat magnis virtutibus. imo pene mihi pluris eſt quam patriæ genius, in qua nunc ſplendide magnificeque vivit, & fama floret apud primariam nobilitatem. Ingenium ejus à regia via deflectit ad diverticula vanitatis & ambitionis, non dolo malo, ſed inani quadam ſui oſtentatione: tamen vitium, dies paulatim & ratio circumcidet. Adfui illi ſuperioribus feriis Auguſtalibus. De Poëmatiis noſtris edendis, amplius adhuc delibero. multa ſunt quibus offendi poſſint οἱ κρατοῦντες καὶ οὐ τυχόντες. ſi deſti-

tuor

tuor tali comitatu, Eumolphus non agnoſcet totam dignitatem ſuam. Miratur Illuſtris Scaliger, qui factum ſit, ut ipſius ἀποσπασμάτιον De decimis ederetur. negat ſe vidiſſe, imo vix per umbram recordari poteſt quid olim ſibi in eo argumento exciderit. Quantum ex vultu ejus & ſermone conjeci, non admodum favet munerariis, qui ſine ſuffragio auctoris hoſce ludos populo præbuerunt, injurioſe ſeduli, dum demereri ſtudent. Iam in Euſebii editionem incumbit, ſed operæ non admodum calent. Itaque vix erit ut ante biennium ſuprema manus imponatur. Quid tum?

——— *Arbos*

Tarda venit ſeris factura nepotibus umbram.

Commentarios Caſauboni χειλικῶν ἀρίστου in Perſium aveo videre. non dubito quin pluris erunt quam ipſe, cui opera iſta imputatur. Væ miſero τῷ δεῖνι cui plagæ in mundo ſunt. Vellem tamen parcius manum inquinaret tali luto (tecum hoc ſit,) ſi non hominis cauſa, qui malum ſibi accerſit jumento ſuo, ſaltem humanitatis & ſui reverentia. Faverem vapulanti ſub Æneæ magni dextra, ſi intelligeret bona ſeverioris diſciplinæ: ſed utcunque eſt de literis meritus, quas mala manu & pravo judicio tractavit, cuperem præteriri ſilentio, & poni infra dignitatem iracundiæ. non enim poſſum ejerare teſſeram hoſpitalem, qua me interdum comiter invitavit. ὅσον δὲ περιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum, XIX. Martii, CIↃ IↃC IV.

EPISTOLA LXXXVI.

Iacobo Auguſto Thuano Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

QVanquam æquitatis tuæ judicio potius in eo peccare videbor, quod hactenus non peccarim: magis tamen laboro ut in præſens temeritatis culpam deprecer, quam ut excuſem præteriti temporis ceſſationem, non enim tam mihi conſiderandum puto, quantum licentiæ eximia comitas tua tribuat iis qui te colunt familiarius, quam quid virtuti & dignitati debeatur. Nata mihi eſt occaſio ſilentii interrumpendi ex æqua poſtulatione viri inter ſuos ſplen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſplendidi & ornati D. Rutgeri Roelandii, qui magna cum laude fidei & induſtriæ cauſas actitavit in Imperiali Camera, nunc in luce Reipub. Hamburgenſis eandem Spartam adminiſtrat pari ſtudio & integritate. Nunc eum exercet longa & ſumptuoſa lis, quæ in multis acerbitatibus hoc potiſſimum habet commodi, quod & in tuo tribunali cauſa diſceptatur, & clienti noſtro ſumma votorum eſt cito abſolvi. nihil, inquam, æque expetit quam judicii maturitatem, quiſquis tandem eventus conſequatur. Ille quidem jure cauſæ ſuæ ſic confidit, ut ne quæſitus quidem color adverſariis ſupereſſe videatur, præter ſæculi licentiam, & prævalidam calumniandi impunitatem. Sed neutram in partem aſſenſum flecto πρὶν ἀμφοτέρων ἀκροᾶσθαι. tamen non leve argumentum malæ conſcientiæ & vitilitigii præbent ingenia quibus conflictatur. Pugnant enim more Parthorum fugiendo & tergiverſando, nec aliud quærunt ἀμβολιεργοί, quam ut tædio ſumptuum & fruſtrationum, hominem eo adducant, ut aut prorſus à lite diſcedat, aut damnoſis conditionibus depeciſcatur. Vnum illud te oro atque obteſtor, ut, quoad juris judiciique ſolemnia patientur, res judicanda ne diutius ſufflaminetur. De præclariſſimo Hiſtoriarum monumento quod ſæculo imputaſti, valde omnes boni te amant. ego aliter quam ſilendo pronunciare non poſſum, omnia enim infra dignitatem verba erunt. Cum cætera tacitus admiror, tum inprimis dignam ſummo ſenatore fidem, veritatem, libertatem. Vale, vir illuſtris. Datum Lugduni Batavorum, xx. Martii, anno cIↃ IↃc iv.

EPISTOLA LXXXVII.

Prudentiſſimo & integerrimo Senatori D. Iacobo Gillotio Domin. Baudius S. P. D.

AMica & plena humanitatis ſalutatio, qua dignatus es aliquoties noſtri meminiſſe, in tuis olim ad Petrequinum literis, alte ſemper inhæſit pectori meo: & nunc tanto poſt tempore perſuaſit, ut ſumerem impetum ad te ſcribendi. Tardum me nomen dices & lentum negotium; ſed quod hactenus ceſſavi, quanquam ab officii negligentia abſolvi non poſſum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

poſſum, tamen honore & reverentia tui potius effe-ctum eſt, quam ignavia vel oblivione. Verum novo me convitio animi parum memoris & grati verberavit epiſtola, quam Illuſtris Heros noſter Scaliger mecum jure ſummæ familiaritatis communicavit. Itaque non amplius moram ullam interponendam putavi, quin per literas teſtarer perpetuum me tuarum virtutum cultorem fore dum ſpiritus hos reget artus. fuit mihi maximæ voluptati intelligere ex iis literis propoſitum Regis de Lipſio evocando. Valde quidem aſſentior judicio Domini Portæi, ſed tamen literariæ dignitatis intereſſet, eum Attalicis conditionibus ambiri. Non arbitror quenquam vivere hoc ſæculo cui melius committi poſſit educatio Principis Delphini, ut ſub tali magiſtro ad ſummæ fortunæ cultum excitetur. Nam duo Phœnices illi, quorum mentio à Portæo facta eſt, religionis invidia ſummoventur ab ea ſpe; nec tempora videntur tantum boni portendere, niſi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, humanis conſiliis major, opem ferat rebus afflictis. Quid enim pejus conſuli potuit, quam ut piaculares reverterentur illuc, unde malum pedem expulerant? Sed hæ querimoniæ & hæc omnia Caſſandræ non tantum Priamo diſplicent, verum etiam ut literæ tuæ loquuntur Edicto forte compeſcentur. Nos tamen liberi ſumus, ideo feres παῤῥησίαν hominis viventis in regno & domicilio libertatis. Vale. Datum Lugduni Batavorum XX. Martii cIↄ Iↄ c IV.

Epistola LXXXVIII.

Hugoni Grotio Dominicus Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

PEriit mihi potiſſima cauſa cur paucis abhinc diebus Hagam profectus ſim, quod te non viderim. Delphos iiſſe dicebaris. Conveni optimum virorum Neoſtadium, cui cum decretum eſſe viderem, urgente Ordinum auctoritate, quæſtionem haberi ſuper illa præclara rixa, quæ tantum non in Lapitharum cataſtrophen erupit, inter Dictatorem noſtrum καὶ ἱερὸν μένος ἡφαίστοιο, ne res ea nimium diſpaleſceret in irriſum ac ludibrium noſtri gregis, & facetis hominibus benignam materiem largiretur ſuaviter ſubſannandi,

τὰς

τὰς τῶν κρατούντων ἁμαρτίας, ἀτασθαλίας τε νόοιο, id conſilii dederam, ut quoniam de facto in genere ſatis ex communi fama conſtaret, admoneretur in poſterum ὁ γενναῖος revereri dignitatem muneris, quod ſuſtinet citra quidem meam culpam, qui vocem (ut Galli loquuntur) deliberativam nullus habui in eo capitulo, cui Divûm benignitate præſul obtigit ejuſmodi. Sed penes quos culpa ſit, ad nos certe redundat infamiæ labes, qui ſub tam lentis maxillis mandere cogimur. Tua fide, videturne Stoico ſtomacho concoquenda talis contumelia, quod Baudio jus non ſit ſuffragii, in quo collegio præſidet τοῦτο τοῦ Καρκίνωμα περικλυτὸς ἀμφιγυήεις verborum ſatisfactione contentus, non revocat ad animum injuriam, ſed publicum decus rei literariæ & exempli ratio flagitat, ne ſilentio & diſſimulatione tam inſignis deformatio magnificæ poteſtatis prætereatur. Dum rebus amice componendis ſtudeo, accerſivi mihi jumento meo negotium non neceſſarium, imo perquam invidioſum, niſi deponatur tutis auribus. Recepi enim me ex fide citra odium & gratiam partium, ordine perſcriptum ad D. Neoſtadium quo pacto tota res geſta eſſet. Tum enim fore tempus decernendæ inquiſitionis, ſi reus inficias iret, aut flagitium defenderet. quod vix adduci poſſum ut credam facturum: etſi, ut vetus verſus ait,

Os homini nullum eſt, vel potius pugilis.

Vt verum apud te fatear, eram interea loci non leviter aſperſus flore Liberi, ita ut pleraque præterlapſa ſint aures meas, pleraque ſubducta memoriæ, adnitente bono illo patre Lenæo, ὃς μισεῖ μνάμονα συμπόταν. Cæterum ex famulo Herois, ex ejus uxore aliaque ancilla quædam reſcivi, quæ ſalvo frontis honore ne chartis quidem committere audeo. Quocirca non amplius intercedo precibus aut gratia, quo minus à juratis teſtibus veritas facti exquiratur: imo niſi culpam pœnitentia emendet, non cauſæ dico quin ſacra Iſidis adimantur huic gerulo, & ſucceſſor quæratur oneri cui ſuccumbit. Vale flos Iuventutis, & nos tui obſervantiſſimos ama, æſtima. Lugduni Batavor. XXVI. Martii, CIↃ IↃCIV.

Epistola LXXXIX.

Iſaaco Luſſio Dominicus Baudius S. P. D.

Amſtelodamum.

Mitto tibi aliquot exemplaria Orationis quam memoriter habui in auſpicio profeſſionis. Clariſſimus vir Scaliger mihi impulſor ad editionem fuit. Communicabis ea cum amicis quibus aut amor aut intellectus rerum talium. Memini nuper in nuptiis fratris tui ortum fuiſſe ſermonem inter nos de ſcriptis principis Iuriſconſultorum Donelli, præceptoris in æternum mihi obſervandi. Affirmabas eſſe in tua manu, efficere ut autographa viri præſtantiſſimi ad te mitterentur, quod arctiſſima tibi neceſſitudo & familiaritas intercedat cum propinquis defuncti. Id ſi ita eſt, obteſtor te per ſacra ipſa Themidis, cujus ille in vita eximius ſemper cultor & ſacerdos fuit, ut quæcunque ex incomparabili iſto theſauro haberi poterunt, cures habenda & ad te tranſmittenda. Contuli dictata quæ penes me habeo cum editis à morte ejus Commentariis. tantam reperi, non ſolum varietatem, ſed mutationem in deterius, ut dubitari non poſſit, quin à mala manu tractatum ſit illud immenſæ laudis & artis opus, cui elaborando potiſſimam ætatis partem auctor impendit. Non ſimplicis audaciæ facinus eſt, ſed ſacrilegii crimen, tam inſolenter graſſari in aliena ſcripta. Non mediocri dolore incendor ob atrocem injuriam illatam manibus magni herois, cujus ingenio ſic innutritus ſum, ut facile ſine notore deprehendere poſſim, quid in eo legitimum, quid abortivum & aſcititium eſſe videatur. Si id quod te rogo conſequor, vindicabo defuncti memoriam liberali cauſa, non ſine commemoratione tui beneficii, & juſta inſectatione eorum qui tantum in ſe flagitii conſciverunt, ut ſuas fæces miſcerent cum illius flore. Tractatum meum De fœneratoribus dedi utendum foris: ubi eum nactus ero, curabo ad te tranſmittendum: aut ipſe deferam circa proximas ferias Paſchatis; quo tempore, ut ſpero, vos inviſam. Vale. Datum Lugduni Batavorum, XXVI. Martii, cIↃ IↃ CIV.

Is qui haſce literas tibi reddet eſt mihi amiciſſimus.

efficе ut intelligat meam apud vos gratiam & cognationem aliquid poſſe.

EPISTOLA XC.

Viro Clariſsimo & Integerrimo Senatori D. Iacobo Gilloto Dominicus Baudius S. P. D.

NOn poſſum abunde verbis effari, Vir Eximie, quantum humanitati tuæ me debere ſentiam, quod tali dignitate & auctoritate vir, tam benigne ac familiariter mecum communicare non dubitaveris ἀπόῤῥητα τῆς ὑμετέρας ἀρχῆς κρύφια καὶ οὐκ ἔτ' ἀνεκτὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας. Alcedonia quidem ſunt apud vos, ſed ut ſermonem tuum audio, πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς, & pejus formidanda eſſe video inſidioſæ pacis mala, quam Martem apertum & ancipitem belli fortunam. Rebus quidem & rationibus noſtris nihil æque conduceret, quam ſi Regem irritatum tot contumeliis θυμὸς ἀγήνωρ hortaretur μεμνῆσθαι θουρίδος ἀλκῆς, & velo levato deſcendere in campum Martium. Texuntur ex longo cauſæ irarum quæ tandem erumpunt in peſtem & perniciem ipſorum auctorum. Ita ſpero & auguror οὔτε τι μάντις ἐὼν, οὔτ' οἰωνῶν σάφα εἰδὼς, niſi remeliginem abjiciat bono publico genus illud inviſum hominum, quos ſcite pollinctores appellas. Sed vereor ne exequias eant non tantum literis & literatis verum etiam Franco-Galliæ libertati. Nullum enim efficacius & pervicacius inſtrumentum habet Hiſpanica dominatio. Vis major quædam & ineluctabile fatum obſediſſe videtur mentem Auguſti Herois, qui ſic implacabiliter iraſcitur ſuæ ſaluti, ut nullis humani conſilii viribus demoveri poſſit, quin poſtliminio reſtituantur, quos veſtra auctoritas & vita Regis in extremum adducta diſcrimen, juſtiſſimo ſed pene nimis ſero exilio condemnavit. Ergo has piaculares victimas, quas jampridem odio publico immolatas oportuit, Curia Pariſienſis reduces aſpiciet, altrices iſtius ſacerrimi furciferi, qui cultro parricidiali jugulum Magni Henrici appetere eſt auſus! quem quidem Dei benignitas & regni fortuna ſervavit. Huic vero Rex occidit & quod vivit cœlo imputare debet, ut cum Sophocleo Menelao effari poſſit θεὸς γὰρ ἐκσώζει με, τῷδε δ' οἴ-

δ' οἴχομαι. Talium igitur ſcelerum magiſtri & artifices revertentur iſthuc, unde malum pedem extulerunt? Non dubito quin à providis & fortibus viris omnia remedia tentata ſint, quibus monſtrum iſtud procurari & inflexibilis animus Regis expugnari poſſit. Sed cur in tam atroci negotio non inſtauratur memorabile exemplum conſtantiæ & magnanimitatis uſurpatum olim ab univerſo Senatu veſtro ſub Rege Ludovico XI. quo nullus unquam retinentior fuit rigidæ majeſtatis? Non minus eſt animi quibuſdam publicæ mentis ducibus, ſed paucis qui fortiter Regem amant & rempublicam ſalvam cupiunt. Plerique, ut ſcribis, animis cadunt. Vtinam intus & in viſceribus veſtri conſilii non eſſet equus Trojanus, qui foveret hos Sinones! ſed hæc evagantur extra limitem epiſtolicæ ſimplicitatis, & aſſurgunt ſupra captum umbratici Profeſſoris. Ego tamen & indole & natura ἐλεύθερος εὔχομαι εἶναι, tuque graviſſimus auctor ad eam licentiam exemplo nobis præiviſti. Verum eſt fideli tuta ſilentia merces, idcirco tutius fuerit ejuſmodi reipublicæ vulnera non tractare, periculoſæ plenum opus aleæ. Deus potentior humanis conſiliis omnia forſan in melius referet: fato enim jampridem ſteterunt res Gallorum, quæ cæteroqui non gradu ſed præcipiti curſu ad occaſum & exitii metam perveniſſent, ἀλλ' ἤτοι τοιαῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Vale Vir obſervande, & nos ama. Datum Lugduni Batavor. v Kal. Sextilis cIɔ Iɔ civ.

Tuæ dignitatis obſervantiſſimus Baudius.

Epistola XCI.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

Etſi prudentia tua penitus mihi perſpecta ſatis idonea ſponſor eſt, te fidem ſilentii ſervaturum in horribili ſecreto illo, ſcilicet de itinere Britannico, quod heri depoſui tuis auribus, tamen ἐκ περιουσίας te per literas ea de re commonendum eſſe cenſui, ne forte præ ſtudio noſtri quid offenderes. Tacito eſt opus, niſi apud primarium virum ſocerum tuum, qui ſi ſacra ſua commoverit: facile excogitare

poterit honeſtam aliquam occaſionem, ut iſthuc eam aut mandato publico, aut ſaltem commendatione inſtructus. Etſi enim nulla me alia cauſa impellit ad hoc iter ſuſcipiendum, quam amicæ flagitationes Legati Galliarum Comitis de Beaumont, quodque tres aut quatuor lectiſſimi adoleſcentes polliciti ſunt ſe una mecum ituros: tamen ſi quid ex inſperato poſſet nobis obvenire ab heroibus illis, quibus ſtat res Belgica, vir ſapiens non abhorreret iſtud.:

οὐ γάρ ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

Non etenim ſpernenda homini ſunt munera Divûm.

Sin minus, meo remigio rem geram, &, ut olim non degener incola mundi, auſus fui affari ingentem Elizabetham, ita nunc doctor umbraticus & privatus homo, non verebor adire Regem, cujus inter heroicas virtutes familiam ducit humanitas, cui dum comiter indulget interdum, majeſtatis oblviſci videtur. Sed meo ſenſu TANTO MAIOR, TANTO AVGVSTIOR habetur, ut olim frequens Senatus in ſimili re acclamavit maximo Principum Trajano: cujus laudes dum cottidie recolo in recitationibus noſtris publicis, fit ut animum ſupra fortunam geram, non quod me ſortis meæ pœniteat, aut deſultoria levitate deſerere cupiam profeſſoriam ſtationem, in qua me favor amicorum collocavit, ſed tamen ſi quid extra ordinem unctiuſculum nobis obtingere poſſet, haud penitus indigni videmur quorum ratio publice habeatur. Nec vero deſertionis aut transfugii notam magnopere extimeſcerem, ſi ex hoc Academico pulvere ad altiorem dignitatis gradum emergerem. Non enim ulla lege aut pactione obſtringor, ut perpetuo affixus hæream huic literariæ glebæ. Durabo tamen, & ſi unquam detexere potero telam quam jampridem ordior, ibit forte in ſæcula nomen Baudii, nec fugitiva oblivio memoriam noſtri penitus obliterabit. Sed adhuc ea meſſis in herba eſt, & multum vacui temporis deſiderat. nam &

— *Arbos*

Tarda venit ſeris factura nepotibus umbram.

Vale vir ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. XV. Sextil. CIↃ IↃ CIV.

E P I-

EPISTOLA XCII.

Dominico Baudio Cornelius Vandalius, ſal. & amorem.

Lugd. Batavorum.

HVmana flagitatione amicorum & blandis imperiis fratris mihi unicę cari, factum eſt, Clariſſime vir, ut plures heic dies Amſterodami ponendos exiſtimaverim, quam apud animum meum proficiſcens conſtitueram. Interea temporis dum illis morem gero, triſte & inauſpicatum nuncium ad nos allatum eſt de obitu cariſſimæ & mihi multis nominibus obſervandæ matris. Quo vulnere quantum ſim exanimatus; nulla verborum vis, aut efficacia ſatis unquam expreſſerit. Mi Baudi, mi pater, ergo hoc reſtabat miſero mihi, ut ad præmaturum patris, heu quondam mei, exceſſum, etiam optatiſſimæ matris caſus, & ſummus dolor accederet? ô dura fata! ô fallaces ſpes & rerum viciſſitudines! Hoc ſcilicet erat quod præſagiebat animus, quum triſtis, exul, & à me ipſo diſſidens tecum in Britanniam cogitarem. Totus langueo & ſtupeo, ac niſi aliqua ſpes aut conſolatio huic homini affulſerit, vix me ſuperſtitem futurū auguror, imo nec ſpero. Quare ſi diutina conſuetudo fidem tibi fecit mei in te amoris, per noſtram te amicitiam & ſummam neceſſitudinem oro atque obteſtor, ut ſi ſperes dolorem meum verbis leniri poſſe, non patiaris me diutius in hoc ſummo mœrore (quem juſtiſſimum eſſe quis negaverit?) vitam vivere. Omnia nunc mihi inviſa ſunt, vita quoque acerba eſt, nihil denique ad ſummam miſeriam mihi reſtat: niſi tu concutiendo fœcundum pectus tuum, aliquid inveneris, quo hanc maximam triſtitiam, qua nego me in vita cepiſſe majorem, ſi non totam, ſaltem magnam partem mitigari poſſe confidas. Quod ut facias tantum à te contendo, quantum animus in extremas calamitates conjectus contendere poteſt. Die Mercurii proximo Stadam forte proficiſcemur: ſed cujus nomine potiſſimum hoc iter inſtitutum erat, ea nobis erepta eſt. Sed tamen literas tuas prius exſpectabimus. Vale, mi pater, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, & me tui memoriam ſumma obſervantia conſervaturum, quæcunque fata hunc miſerum mortalem exceperint, adeo ut appareat non me fruſtra de noſtra conjunctione gloriari ſolitum, velim tibi perſuaſiſſimum habeas. Amſtelredami XXIII. *Octobris, poſtridie*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ejus diei quem mihi miſerrimum & infeliciſſimum illuxiſſe arbitror. Salveant omnes noſtri, imprimis conjunx tua.

EPISTOLA XCIII.

Cornelio Vandalio Dom. Baudius S. D.

Amſtelredamum.

VErba ſane mihi deſunt, quibus te tali tuo tempore in hoc triſtiſſimo & acerbiſſimo caſu conſolari queam, neque tamen officium meum tibi ullo prætextu deeſſe debet. Vtinam arbitrii mei res eſſet, continuo ad te iviſſem, ut familiari ſermone & alloquio, doloris etiam participatione mœrorem tuum allevare poſſem. Sed muneris publici neceſſitas, & hominum exſpectatio, cui fidem meam programmate jam obſtrinxi, non patitur me cupienti animo morem gerere. Gravi profecto vulnere, graviſſimo, τέκνον φίλε, afflictus es, non tantum ignoſco triſtitiæ & ægritudini tuæ, ſed officii & pietatis gloriam tribuo. Verum tamen ſi unquam præcepta & inſtituta ſapientiæ pectori tuo ſeſe inſinuarunt, nunc illud eſt, quum reipſa & illuſtri documento expromere debeas indolem magnanimæ virtutis & conſtantiæ. Non inculcabo ſenſibus tuis ea quæ ſplendide & copioſe diſſeruntur ab ethnicis hominibus ſuper contemptu doloris, & ad medendum confuſioni animorum: tum quod ea tibi compertiſſima eſſe non ignoro, tum quod ex illis lacunis nihil puræ & in imo manſuræ conſolationis hauriri poteſt. Ad unicum illud afflictæ & exulceratæ mentis perfugium atque aſylum te voco, ad ſequeſtrum & mediatorem generis humani, principem vitæ, dominum gloriæ, Servatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, qui Eccleſiam redemit precioſo ſuo ſanguine, & ea dona paravit fidelibus Numinis ſui cultoribus, quæ nec oculus vidit, nec auris audiit, nec mens mortalis animo complecti unquam evaluit. Hoc ſi certa fide & πληροφορίᾳ penitus imbibiſti, dicam cum Servio Sulpicio ſed longe ſolidiori munimento nixus, quid eſt quod te tantopere commoveat dolor tuus inteſtinus? Matrem amiſiſti? imo jam demum è miſera ſervitute peccati aſſerta eſt juſtis vindiciis in libertatem filiorum Dei. Mater exceſſit è vivis? imo ex lugenti campo ad

ad ſempiternam felicitatem, ex mortalitatis carcere ad vitam eam commigravit, quæ nec temporum metis, nec beatitudinis modo circumſcribitur. Noſtra vero quæ dicitur vita, mors eſt. quod quum à profano homine dicatur, cujus mentem non illuſtraverat vera fides, ſed anceps & vacillans opinio de immortalitate animarum: an non turpe fuerit & indignum viro Chriſtiano, qui ex Scriptura divinitus inſpirata certum habet; fore, ut etiam corpora rurſus à mortuis in vitam revocentur, ſi minor & abjectior animi fortitudo in eo deprehendatur? Quare quoties recurſabit cura

Quæ nunc te coquit, & verſat ſub pectore fixa,

occurrat viciſſim ad minuendam ægritudinem hæc cogitatio, non quid amiſeris, ſed qualibus bonis fruatur optima fæminarum quam amiſſam luges, nec minus illius commodo quam jacturæ tuæ ſenſu commovearis. Segrega vero inauſpicatum ſermonem, & avertat Deus omen, ut ſuperſtes eſſe recuſes, quas voces crudo dolori condonari lex humanitatis jubet, ſed

Οἶσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.

Scis qua conditione ſimus ab Imperatore mundi in hac vitæ ſtatione collocati. transfuga eſt, & deſertor aſſignati muneris, qui ejus injuſſu miſſionem aut votis exoptat, aut manu ſibi facit. Sanior pars Philoſophorum in ea mente fuit, etiam ii qui perexiguam ſpem habebant aliquid hominis à rogo ſupereſſe, nec cum corporibus interire magnas heroum animas. Græcorum Romanorumque annales abundant exemplis eorum, qui fortiſſime mortes ſuorum pertulerant, nec aliud ſolatium perſuadebat ipſis hanc magnanimitatem, quam quod alterutrum ſtatuebant, eos qui commode mimum vitæ peregiſſent, aut omnino non eſſe, aut nihil triſte pati. Quid igitur faciendum eſt iis, qui ſciunt mortem eſſe non ſolum miſeriarum finem, ſed æternæ exordium felicitatis? Multa, imo infinita poſſem attexere, ſed ita ſum imparatus hoc tempore ad ea quæ perendie inſtant agenda, ut niſi officii neceſſitudine, & amoris impulſu protractus eſſem in hanc arenam, vix à me verbum exſculpi potuiſſet. Frigido ſchemate culpam deprecor, ſed tamen ſcenæ & populo ſerviendum habeo, quamdiu hæc Sparta nobis ornanda

erit. Vale oculiſſime fili, & pectus obfirma conſtantiæ exemplis. Salvebis ab uxore, & tui ſtudioſiſſimis commenſalibus noſtris; præcipue à Roosbekio, & Vander-Vechte, quos vehementer angit tuum infortunium. Scribebam raptim XXIV. Octobr. cIↃ IↃ CIV.

Proſopopœia filiorum ad matrem Elizabetham Aloſtanam, præſtantiſſimam fœminarum, viduam inſignis viri Ioannis Van-Dalii.

SI largitate ſumptibuſque funerum
Mæror levari poſſet, & manes pios
Hilum juvarent lacrymæ viventium:
Vtroque grati fungeremur munere,
Cœloque moles æqua ſurgeret, gravem
Teſtata curam, nec modus fletu foret.
Sed copiis luxuque veſano nihil
Sedatur imo pectori infixus dolor.
Nec fas piumque flere felices, quibus
Aeterna vita luce functis obtigit.
Quodnam parental igitur, ô dulcis parens,
Superſit unde juſta funeri tuo
Rite exſequamur liberi ſuperſtites,
Queis vita te vivente vitalis fuit;
Mors eſt, & omni morte pejus vivere
Poſtquam tui caremus; in partes trahit,
Varieque mentem verſat alterna vice
Duplex potens affectus, hinc deſideri
Prædulcis ardor æſtuat præcordiis,
Sanctumque fas humanitatis imperat
Lugere ademptam cœtui mortalium,
Triſtique carmen integrare næniæ.
Sed abſtinere lacrymarum mollium,
Fortique cor munire gaudio jubet
Subnixa fatis ac Dei verbo Fides.
Tu jam ſalutis attigiſti limitem,
Frueriſque vita, vita quæ dici meret,
Quam nulla vox mortalis effari poteſt.
Tu naufragis emerſa mundi fluctibus
Portum ſubiſti, quem bonæ ſpei caput
Fas eſt vocari. non moraris amplius
In hac dolorum valle, ſed voti potens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Curſu peracto regna cœleſtis plagæ
Felix petiſti. nos manemus, tu præis.
Sed quum vocabit imperator ætheris,
Te conſequemur. hac fide & fiducia
Perſtamus ægri. teque, dulcis ô parens,
Terris ademptam flemus, adſcriptam polo
Gratamur, æſtus inter ægritudinum
Alteque adactum vulnus. haud molli nimis
Animo fremus tam gravem caſum, tuo
Docti virili robur exemplo. Vale,
Vale ſupremum, donec idem nos dies
Cœlo beabit, atque conjunget tibi.

Epistola XCIV.

Petro Scriverio Dom. Baudius S. P. D.

Amſtelredamum.

HOdierno veſpere poſt abſolutum lectionis publicæ penſum protinus ad te ivi cum literis ad Vandalium & cognatum meis. Elapſus mihi es, ſed occaſionis opportunitas fortean maturavit tuum diſceſſum, ut eo celerius domum reverteteris. Nihil novi accidit quod curæ & fiduciæ tuæ concrederem, niſi veterem illam cantilenam vis tibi occini de patre Oceano. Quanquam fides tua monitorem non deſiderat, tamen, ut eſt in veteri verſu,

Nil nocet admiſſa ſubdere calcare quo.

Quare ſupervacuus hortator rogo te facias quod facis, ut tandem animi pendere deſinam. Denique, ut ſæpe coram in ſermone jeci, quidquid hujus eſt, id omne in veſtris pono gremiis, ut Aſcanius ait apud Virgilium: totam rem, inquam, facio arbitrii tui, nec unquam defugiam auctoritatem, dum ſaltem aliquid exterebretur ab iſtis triconibus. Conſilium è re nata ſumes. Sin commoditatis articulos non inveneris, potius lentum hoc negotium in præſens omitte, quam ut alieno tempore proponatur. ἐν γὰρ τῷ καιρῷ τῶν πράξεων ἐνέργεια, ne dimittam te ſine ſententia. Vale Vir amiciſſime, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum, XIII. Decembris, CIↃ IↃ CIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XCV.

Iſaaco Caſaubono D. Baudius.

ÆQuum eſſe arbitror, ut quo pluribus tibi nominibus adſtrictus ſum, eò plus ſtudii ac diligentiæ in amore teſtificando penes me reſidere patiaris, non quod gratiæ apponi cupiam hæc proletaria ſcriptionis officia, quæ ſæpius forte quam velles, aut ex uſu litterario fit, curis & meditationibus tuis intercurrunt. Sed tamen bona me ſpes tenet, noſtram in hoc genere ſedulitatem tibi non ingratam evenire: neque enim novus, aut degener advena pulſo fores amicitiæ tuæ: licet ab eruditione & meritis longo disjungar intervallo. Sed amando & admirando virtutem & eruditionem tuam nemini concedam, ſupplebiturque affectu quod deſit cæteris laudibus. Ac necubi ſentias noſtram in hac parte benignitatem * claudere, capto ſedulus ex omni occaſione copiam compellandi te per litteras. Vt hoc ipſo tempore cum οὗτος ὁ γραμματοφόρος eſſet in procinctu, nolui committere ut ſine ſolenni ſymbolo diſcederet. Conſimili officio proſecutus ſum hominem ante biennium, cum Lovanium proficiſceretur, eamque ſtudioſe Lipſio commendavi. Lipſius huc venientem honeſtavit literis ad Scaligerum heroëm. Veteribus titulis acceſſerit hoc recens beneficium, ut noſtra ſuffragatione parario & interprete inter cultores tuos admittatur. Erit unde gratuletur felicitati ſuæ bonus adoleſcens, quod tres literarum principes obſervantia amplecti meruerit. Eſt enim in eo indoles induſtriæ, & honeſtus ad res publicas ardor. Vale, Lugd. Bat. 1605.

EPI-

* *Claudicare*] Aſcripſit manu ſua Baudius. Sed in Terentio omnino leg. videtur, vel, (ut edit. Heinſ. p. 57.) habet:

----- *Benignitatem ſenſiſti te calvier.*

Vel potius, *in te claudier.* Vt in Andr. p. 29. pr.

Nolo tibi ullum commodum in me claudier.

Cicero Terentii, ut notum, ſtudioſiſſ. II. Offic. *Nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit, nec ita reſeranda, ut pateat omnibus.* Quare & in hac Epiſtola malim edere *claudier*, non, *claudere*. Vt in Epiſtola L VI. pag. 82. *Adeo claudicat omnis benignitas, ubi maxime ſtare oporteret*, Non, *claudit*.

EPISTOLA XCVI.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis,

QVando tu, Hugo Magne, bona patria, famam exiſtimationemque majorum, quod in te eſt, virtute & factis illuſtras tuis, tum glorioſæ vocis confiſus munimine, laborantium ſpem, vitam ſalutem atque incolumitatem defendis: nec minus conſilio, doctrina, fide ac ſolertia judicii provides humano generi, quam qui corpora bello objectant, *pulchramque petunt per vulnera mortem*; ob eam rem Dominico Baudioque videtur, recte & ordine facturum te, ſi iſthic, ubi es, manere potius in animum induxeris, quam huc venire ut loces vacivas ædes aurium explodendo profeſſori, niſi aliud placet majeſtati Grotianæ, & optimo virorum Mylio heroi; quorum decretis intercedere, nec fas nec pium eſſe cenſeo. Sed ſatis eſt formularum & carminum, nunc mea ſponte tecum loquar. Quorſum enim in viam te des,

Ἠ ἵνα ὕβριν ἴδῃς Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο,

Aut, ſi mavis, *Metio Suffecio?* Sed ſcin, quid te velim? ut recta eas ad ædes ubi Backerus Bankemii gener elegit domicilium. illic ejus ὁμόγαμβρος noſter Syndicus Nicolaus Zeiſtius divertitur: eum rogato meis verbis, ut quam primum velit conſcribere egregium illud inſtrumentum; cujus beneficio perveniam ad periculum exſibilationis: id protinus huc tranſmittendum curato. Satis pol pro imperio tecum loquor. ſed hanc mihi fiduciam largitur indolis tuæ γεννάιον ἦθος εἰς ἄκρον. Vale & ὁμοσπύοις, κατὰ τὸν χαρώνδαν, ἢ ὁμοκάπνοις ἢ κατὰ τὸν Ἐπιμενίδην τὸν Κρῆτα, plurimam ſalutem meo nomine nunciato. Scribebam A. D. VIII. April. cIↄ Iↄ c v.

EPISTOLA XCVII.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

GRavis heſterno die nuncius Scriverium noſtrum perculit, cauſam patris tertio jam præjudicio tantum non jugulatam. Is quidem

 prorſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

prorſus animum deſpondet, etiamſi non magnopere laboret de tota re: verum hoc ajo eum ἐλπίδα οὐκ ἔτ' ἐλαχίστην ἔχειν περὶ τούτου τοῦ πράγματος, nec ego ſane multum confido. reſiſtat tamen aliquid ſpeculæ ἐν γνώσει τοῦ μεγίστου καὶ θαυμασιωτάτου. Loquor ex animo, nec ingenium meum factum eſt ad aſſentandum. Hoc ſentio, ſi ſacra tua commoveris, non penitus depoſitæ ſalutis fore hunc ægrum. εἴ μοι νόος ἐστὶ φρενήρης. Enimvero mihi ἀδεκάστως ſingula conſideranti res ita liquidi juris eſſe videbatur, ut nihil pene animadverterem quod adferre poſſet cordatis judicibus ancipitem curam deliberandi. Tollentur commercia de rebus humanis, non ſchemata tantum; & ſemper cum folle parati eſſe debebunt contrahentes, ſi hæc diſſolvendæ obligationis ratio non valebit ad liberationem. Quare niſi penitus decollavit negotium, rogo te fulcias ope tua laborantem cauſam, vel hoc ipſo quod animam agit. Non enim prius advocandi ſunt tales Æſculapii, quam res ad extremum ſit deducta diſcrimen: ut magnus ille patronus Tulliano ſale perfrictus, ad cujus patrocinium impetrandum homicidio opus erat. Sed extra jocum; ſi omnem Grotium excuſſeris, ſignum aliquod ad bene ſperandum affulgebit. Tuto potes ingenii vires periclitari. jam enim abeſt metus deterioris eventus, & ſi qua melior fortuna ſequetur, id omne in lucro deputabitur. Conſultatiuncula noſtra penes advocatum D. à Berendrecht, in qua per incogitantiam tacitus omiſi, quod non eſt de nihilo: nimirum, datum eſſe nomen in ſolutum ipſi principali reo credendi, non ei quid vel ex ceſſione, vel ex mandati cauſa negotium gerebat. Hanc Epiſtolam ad te ſcripſi ignaro Scriverio; cui ſi nec opinanti ἑρμαῖον iſtud arte & induſtria tua obvenerit, feceris par cæteris tuis factis, & immortali beneficio virum optimum meque communiter tibi devinxeris. Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum. VI. Martii, CIↃ IↃ CV.

Interfuit noſtræ recitationi clariſſimus vir D. Mylius, ſed pluvio die, & Iove non quidem Tonante, ſed parum ſereno. Vereor ut auſpicia addixerint, niſi quod me ſolatur ὅτι εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Quo-

Quoniam in hac Epiſtola mentio facta eſt de Conſultatiuncula ad Petrum Scriverium, *eam inſerere, non incongruum viſum fuit.*

Conſultatiuncula ad Petrum Scriverium.

NIſi me ratio fugit, hæc eſt facti ſpecies quæ judicanda proponitur. Pater tuus 2744 *florenos debuit mercatori cui nomen Iohanni Kuyſtio. cum veniſſet dies quo pecunia exigi poterat, pater, ut bona nomina ſolent, non exſpectata interpellatione, ab ipſo temporis lapſu admonitus, ultro ad creditorem venit, ut ſolvendo vel ſatisfaciendo ſeſe ab obligationis nexu liberaret: cumque ipſi viciſſim Elbertus Gerartus deberet bis mille florenos & quod excurrit, chirographum ejus tradidit creditori, ut ad concurrentem ſummam minueretur obligatio, promittens ſe reſiduum confeſtim in præſenti pecunia numeraturum. Per idem tempus creditor tranſcripſerat nomen iſtud alteri cui nomen Iohanni Colonienſi, ſeu creditori ſuo, ut ex ſyngraphæ contextu perſpicue colligitur, ſeu, ut ipſe vult, mandatario tantum & procuratori. Pater aut patris nomine frater tuus reliquum perſolvit huic Colonienſi, qui & ſe illud accepiſſe ſubductis rationibus in averſa parte chirographi manu ſua ſcripſit, & ne amplius eo nomine agi poſſet, Chirographum ſeu obligatorium inſtrumentum reſtituit debitori. Quæritur, utrum pater tuus liberatus eſſe videatur? Ego ne dubitandum quidem cenſeo. Primum, minime largiendum eſt adverſario id, quod ſibi nullo jure ſumit. Videlicet hunc, cui ſolutio facta eſſe dicitur, non fuiſſe verum creditorem. Aliud apparet ex verbis inſtrumenti; quibus ſtandum eſt, non affirmationi litigantium.* [a] *Tantum enim quiſque ſenſiſſe aut voluiſſe exiſtimandus eſt, quantum verba demonſtrant. Sed quia cardo cauſæ non in eo vertitur, utrum is fuerit principalis creditor necne, non magnopere hic laborabimus. ſufficit obtinere, quod negari non poteſt, eum habuiſſe & exactionem debiti, & liberandi debitoris poteſtatem; ſive conſideretur ut creditor, ſive ut procurator aut mandatorius. Quis enim neſcit eum qui procuratori debitum ſolvit, continuo liberari? neque ratihabitationem conſiderari?* [b] *Nec obſtant leges, quibus effici*

a] l. Labeo §. 1. ff. de ſupell. leg. l. 1. Licet. ff. de exerc. act.

b] Verba ſunt l. Si procurator. §. Celſus de cond. indeb.

efficì videtur non aliter liberari debitorem ſolventem procuratori abſentis, quam ſi id dominus ratum habuerit. [c] *Omnes enim illi loci de non veris procuratoribus ſunt intelligendi; qui ſe ultro negotiis alienis offerunt, de quibus hoc loco non agitur. Illud in genere certum eſt, debitores liberari ſolventes cuicunque creditor ſolvi jubet.* [d] *Porro ſolutionis verbum pertinet ad omnem liberationem quoquo modo factam. Satisfactio item omnis hoc nomine* [e] *continetur, niſi aliud jure & natura obligationis exigatur: ut, cum extranea perſona ſtipulationi inſeritur,* [f] *cui, licet pupillus ſit ſine tutoris authoritate, recte ſolvitur. Qui tamen nec* [g] *debiti petendi jus habet, nec fidejuſſoris, vel pignoris accipiendi, nec novandæ aut delegandæ obligationis. tantum enim illud debitori conceditur, ut ei ſolvendo liberetur. Vbi ſolvendi verbo naturalis præſtatio rei debitæ ſolum intelligitur, excluſis cæteris actibus qui alioqui liberationem pariunt. At in propoſito liquet ceſſam eſſe actionem, certe mandatam. Potuit igitur delegato creditori in ſolutum dari nomen* [h] *debitoris, etiamſi non ſolvendo ſit,* [i] *quia bonum nomen facit creditor, qui admittit delegatum debitorem. Admiſiſſe autem patet ex redditione chirographi, & reliqui acceptilatione:* [k] *quibus ex rebus liberationis præſumptio inducitur. Nihil ad rem facit, quod delegatus debitor poſtea foro ceſſit, ob rationem jam ante allatam: ceſſit enim poſt admiſſam delegationem, ſimul quod ejuſmodi* [l] *caſus fortuiti nullo bonæ fidei judicio præſtantur. Nec ulla juris aut æquitatis ratio patitur, ut poſt liberationem ſemel rite quæſitam, ſecuti deinde caſus ſolventi adſcribantur.* [m] *Nihil contra tam certum & exploratum jus regerere poteſt adverſarius; præter*

---

c] l. qui hominem. §. ſi gener. l. cum decem, §. ult. ff. de ſolut. &c.

d] l. ſolutam & alibi paſſim de ſolut.

e] l. ſolutionis. eod. l. 176. de verb. ſig.

f] l. ſi ſtipulatus ff. de ſolut.

g] l. ſed etſi filio de conſt. pec. l. ſi mihi. de fidejuſſ. & paſſim.

h] l. pupilli §. ſoror. de ſolut.

i] l. inter §. abeſſe. ff. mand.

k] l. 2. de pactis. l. ſi chirographum. ff. de prob. & præſ.

l] l. qui fortuitis. C. de pign. act. l. contractus. de Reg. Iur.

m] l. ſi ipſa res. quod met. ca. l. 3. §. ſufficit. de contr. tut. act.

ter hoc frigidum ſchema, ut ſcilicet affirmet ſe nihil aliud in mandatis dediſſe Colonienſi, quam ut nummos acciperet in ſolutionem, non alienum nomen, nec [n] *aliud pro alio ſe neſcio vel invito ſolvi debuiſſe. Primum imputet ſuæ negligentiæ, quod eam legem conventioni non* [o] *adſcripſerit; aut quod homini parum diligenter* [p] *cuſtodienti fines mandati, rem ſuam commiſerit. Sed cuinam cordato homini fidem faciet, ſe noluiſſe delegati debitoris non admitti? Contrariæ voluntatis indicium arguitur præter redditam cautionem, & confeſſionem accepti reſidui, quod ea de re verbum nullum fecit, niſi poſtquam intellexit eum eſſe lapſum facultatibus. Sed jam non erat illi res integra poſt acquiſitam patri tuo plenam liberationem, his modis quos retuli. In ſumma, ſi partium jura obſcura eſſent, regula juris præcipit, potius favendum eſſe reo quam actori, &* [q] *nos eſſe debere proniores ad liberandum quam ad obligandum. Quid igitur loci eſt dubitationi,* [r] *quin ab omni inſtantia judicii abſolvendus ſit qui & ſolutione debiti, & confeſſione adverſarii, & redditione cautionis, ac proinde certa juris præſumptione liberatus eſſe proponitur?*

Quod vulgo dicitur delegatum nomen pro ſolutione non cenſeri, hactenus verum eſt, niſi ſit admiſſum, ut in hypotheſi noſtra: nec eo minus abeſt pecunia patri tuo, quod delegatus ſit is qui ſolvendo eſſe deſiit, per d. l. inter §. abeſſe. ff. mandati.

EPISTOLA XCVIII.

Stephano Douſæ Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

COmmunicavit mecum Franciſcus heros frater tuus literas, quibus ſecum agis adductus rogatu Legati D. Buzenvallii, ut librum Arminii De permiſſione peccati, aut ipſe deſcribat, aut per alium quempiam curet exſcribendum. Idem munus injunctum fuit Heinſio noſtro. Parebitur ejus deſiderio. ſed

---

n] Inſt. quib. mod. obl. ſol. in pr.
o] l. veteribus ff. de pact.
p] l. diligenter ff. mand.
q] l. favorabiliores. de Reg. Iur. c. cum ſint part. cod. in 6.
r] l. Arrianus. de ob. & act.

ſed ipſe ad meum ipſius uſum ſtatui prius præclarum iſtud monumentum ſcribere, quod intra biduum facturus mihi videor: tum dabo operam, ut nanciſcar hominem idoneum, qui id oneris in ſe recipiat. Si meæ preces aliquid haberent ponderis apud auctorem, vehementer eum rogarem, ut quidquid hujus eſt, ſæculo imputaret. Intereſt & exiſtimationis eos, quam oblique proſcindunt homines, qui ne admiratione quidem conſequi poſſunt hominis virtutes; intereſt item ipſius veritatis, quæ per ejus latus vulneratur. Ita rem natam video, ut ſecuturum ſit potius ſchema, quam imperiti ſenes velint perdenda fateri quæ imberbes didicere, ἀλλὰ χρὴ προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν homini cordato, & qui ſe ratione præditum eſſe intelligit, nullum evenire poteſt majus beneficium quam à veritate ſuaderi. ſed omnes non intelligunt hæc arcana, nec ſapientia poteſt inculcari impetu unius admonitionis, opus eſt & tractu temporis & animo rite ad eam præparato. Verum næ ego inſcitus & inſipiens ſum, qui extra territorium & ſupra juriſdictionem meam jus dicere inſiſto; nihil iſta faciunt ad Eloquentiæ & Hiſtoriarum profeſſionem, niſi quod homines noſtri gregis maxime convenit habere ſanas de maximis rebus opiniones. Vale vir nobiliſſime, & nos ama. uxori tuæ, fœminæ ſingularis exempli, multam à me & uxore mea ſalutem nunciabis. Datum Lugdun. Batav. XXVI. Martii, CIↃ IↃC V.

EPISTOLA XCIX.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

CVm appeteret dies proximorum comitiorum, erat mihi in animo excurrere Hagam, ut mei memoriam refricarem apud optimum virorum Neoſtadium, ſimul etiam tui inviſendi cauſa, cujus optatiſſimo conſpectu & ſermone ita recreor, ut ea res ſola ſolari poſſit ægritudinem

Quæ nunc me coquit, & verſat ſub pectore fixa.

Cur enim te φίλτατον κάρα, celem juſtam indignationem? Iam factum eſt biennium poſtquam me blanda conſpiratio amicorum magis quam propria voluntas in

in hac profeſſoria ſtatione collocavit. Quanta ope contenderim, ut recte fideliterque mandatis partibus defungerer, malo in ore famæ & in judicio bonorum relinquere, quam in prædicatione mea ponere. Nunquam fui tam abjecti & degeneris animi, ut attollerem vel deprimerem μεγάνορα θυμὸν ob infrequentiam aut celebritatem auditorum. contentus ſum recti conſcientia, καὶ ὅτι παρ' μοι τὸ καλόν. nec tam præclare agitur cum rebus humanis, ut optima quæque pluribus placeant. Interim qui Baudium de interiore nota non capiunt, hoc nomine rationem habere hominis debuerunt, quod nec fama conſentiens ei mentitur, nec abeſt ſcena diffuſior atque alii cuiquam. Cur igitur adhuc viſor inter extraordinarios, cum potius (σὺν ἀδρασείᾳ λέγω) extra ordinem remunerandus eſſe videar? Non invideo cujuſquam commodis, nedum amiciſſimi: ſed ſane par aut major liberalitas in hunc hominem οὐδὲν ἐξαιτοῦντα redundare debuit. Vt cætera paria ſint; ætatis & titulorum prærogativa κρείττων οὐκ εὔχομαι εἶ, ἀλλὰ μᾶλλον ἄχθομαι. An quia non protinus minor abitum, idcirco de me retinendo non admodum laboratur? At hoc tibi Delphis dictum putato non Lugduno, me eſſe ex eo genere hominum', qui bellum non oſtendunt prius quam gerunt. Pedum viſa eſt via. τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει. alibi etiam locus erit noſtris hiſtoriis. ſi non aliud; hoc ſaltem habeo muneris horum hominum, quod experiendo didici ποῖος ἀνὴρ οὔπω δὴν ἔλαθε βίωσας. gravi quidem meo flagitio, ſed nulla eſt ad bonam mentem ſera ætas. Si mihi hic animus fuiſſet cum in Gallia degerem, uberrimus Fortunæ rivus me inauraſſet. de nemine queri poſſum quam de mea fatali torpedine & ignavia, quæ ſpecie modeſtiæ & verecundiæ mihi ademit uſumfructum mei. cætera enim abunde in mundo erant. amicorum primariæ dignitatis effuſiſſima ſtudia, liberæ cohortationes quæ timido quoque poſſent addere mentem. Quid multis moror? regnaſſem ibi luſcus inter cæcos. eadem nunc omnia nobis integra ſunt, καὶ αὐθαίρετος ἡ δουλεία. Ex diuturna emanſione hoc percepi commodi, quod genium illius gentis εἰς ἄκρα mihi callere videor, & quo genere

nere ſtudiorum ineſcari poſſint. Ad ſummum, cum vires meas reſpicio (feras me quæſo licentius jocantem) non poſſum ultra Stoico ſtomacho concoquere tantam noſtri μειονεξίαν. οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ quam ſcamni partem corpore premam, & longe malo ad exemplum Catonis, ut querantur homines, cur ſtatua mihi poſita non ſit, quam cur ſtatuta ſit, quærant. verum tamen inſerviendum eſt etiam ſcenæ & populo, cui merito videtur indignum nos qui abhinc annis fere viginti in hac ipſa urbe conſecuti ſumus ſupremum literarii honoris gradum, quanta vix quiſquam alter laude & commendatione, ne ad ſuffragium quidem admitti in eo collegio, cui anno. ſed reprimo me, ἀκίνδυνον γὰρ ἐστὶ τῆς σιγῆς γέρας. Sed ſunt opaca quos bonos facit barba; cujus tamen primipilus non erat in rerum natura cum ordines ducere cœpimus. Cæterum non ſum adeo κενόδοξος καὶ μικροφιλότιμος, quin malim augeri κλήματος δόσει ἢ τιμῆς σημείῳ. Poteſt tamen utrumque jungi. quod ni mature fit, ego mihi recte videro. Cum hic nuper eſſet ſuadæ medulla Ioh. Vtenbogardius, libere & familiariter eadem hæc apud eum egi. recepit ſibi curæ fore juſtam poſtulationem noſtram, ſed incertum eſt an Vltrajecto reverſurus ſit priuſquam de capite noſtro fient comitia. Conceperam ſpes opimas de Mylii collega, ſed ἐπὶ ποσὶ κάππεσε θυμός, poſtquam ex Heinſiadæ noſtri ſermone intellexi, eum magnifice ſentire & loqui de faceto illo naturæ hallucinantis oblectamento,

Τὸν τραγόρεγαν φιλέουσι καλεῖν πεπνυμένοι ἄνδρες.

Viſus eſt tamen mihi ſuperiori menſe Februario non abſurdi nec inertis ingenii. Quoniam ita ſors fert ut ſub tam lentis maxillis edendum ſit, pergratum mihi feceris, ſi gratia tua, quæ plurimum poteſt polletque apud omnis generis & ordinis homines, nos apud eum juveris. Audio lectiſſimum virum Cornelium Mylium à principe legatum ad ordinandos quarundam ejus civitatum magiſtratus. ſi redierit, plurima ſalute velim eum impertias meis verbis. Scriverianam litem etiam curæ tuæ fiduciæque commendo. Non eſt quod te rogem, ne foras eliminentur quæ hic temere effutio: ſatis me tacente intelligis non eſſe proferenda,

da, nec ulli concredenda niſi Vulcano noſtro, vel ſi mavis Veneris marito. Vale, Lugd. Batav. IV. Martii, CIↃ IↃC V.

EPISTOLA C.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ADfuit mihi hoc mane Abrahamus Luſſius major natu filius Sionis, viri fama notiſſimi ob multiplices caſus quibus conflictatus eſt. Contingit me propinquo gradu conſanguinitatis, atque adeo ſi improlis eſſet, ego eum proximus hæres impellerem: ſed huic rei abunde proviſum eſt, οὐδὲν δὲ ταῦτα πρὸς ἔπος, niſi ut hinc perſpicias legitimam cauſam neceſſitudinis videri, cur ejus cauſa velle debeam. Acceſſit benignitas, quo nomine, ut ſunt res noſtræ tenues, me ſibi devinxit. Rogatus ſum à filio ut tibi commendarem litem, quæ coram tribunali veſtro vertitur. non liquet mihi de meritis & jure controverſiæ, nec fas eſt ut te quidquam præter æquum ac bonum rogem. Quod unum licet, oro te atque obteſtor, ut mature tota res expediatur, nec longo litis ſufflamine negotium proteletur. Hoc mihi oculato teſti certo compertum eſt, patrem paucis abhinc menſibus immani jactura mulctatum fuiſſe, nulla ſua culpa, per improvidam facilitatem alterius filii, qui ut amici afflictas fortunas fide ſua ſuſtentaret, pene florentiſſimas opes paternas peſſumdedit, certe rationes omnes mirum in modum conturbavit. Ego ſorti meæ gratulor, quem ab hujuſmodi periculis vindicat diva Penia, quam bonæ mentis ſororem indigitat elegantiſſimus nequitiæ Arbiter Petronius. Mallem tamen ut pater Porus hanc fatalem bonis ingeniis contubernalem mitteret εἰς μακαρίαν, noſtrumque anguſtum Larem beare vellet eo imbre, qui fluxit in ſinum Danaës. ἀλλ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοὶ κακὰ μητιόωντες. Sed de his tantum eſt. B. adhuc domi ſitus eſt. dormit, & cœnat. In hoc duplici cardine tota vitæ ſumma vertitur. Venit mihi in mentem ejus dicterii, quo olim ab homine non infaceto perſtrictus eſt M. Antonius Triumvir. Cum enim quiſpiam ſciſcitaretur, quid rerum gereret? quod, inquit, Canis in Nilo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Nilo, bibit & fugit. Interim currunt uſuræ, adeo ut interdum voveam poſſe tam precioſe ſtertere. Sed deſino nugarum, teque valere plurimum jubeo. Datum Lugd. Batav. VI. Iulii, cIↄ Iↄc v.

Centuriæ Primæ

FINIS.

DOMINICI BAUDI

EPISTOLARUM CENTURIA II.

EPISTOLA I.

Iuſto Lipſio Dominicus Baudius S. P. D.

Lovanium.

NEſcio an ipſe mihi vana credulitate blandiar, ſed cum ſingula verba tuarum literarum expendo, fruor hac opinione, vix quenquam in terris vivere, cui magis ex animo velis: ita ubique non σημεῖα ſed ἀναμφισβήτητα τεκμήρια comparent profuſiſſimi amoris & benevolentiæ. Si me mutuum tecum facere dixero, non aſſequar magnitudinem tuorum meritorum, nec milleſimam partem ac portionem affectus expreſſero. Nam quo penitius heroicas dotes ingenii judiciique tui contemplor, eo magis labor ſub onere admirationis. Itaque non liquet mihi utrum potius gratulandum habeam fortunæ, quod à Principe allectus ſis in ordinem ſanctioris conſiſtorii, an dolendum tuo ſæculique nomine, quod ex arce præſtantiſſimarum cogitationum, quibus æternitatem es adeptus, ad tractanda Reip. munia deſcenderis. De patria quidem, quæ tot per annos lento duello velut pertinaci tabe colliditur, melius augurari incipio, poſtquam ei tantus Atlas contigit. Aut enim conſilio rem lapſam reſtituet, aut omnino ſalus

hunc

nunc ægrum deſeruit, ἀλλ᾽ εὔχεσθαι μετ᾽ εὐφημίας μᾶλλόν μοι θυμὸς ἐπέσσυται ἢ βλασφημεῖν. Vtique poſtquam aſperſiſti animo ſuaviſſimam mentionem τῆς εἰρήνης: neque enim te tali probitate ac prudentia virum temere id feciſſe judico. Sed omnia auguria me fallunt, aut θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ex inſperato interveniat oportet, qui nos tam ſalutari bono reluctantes atque invitos compotire dignetur. Nos dico, non quod me una ibidem traham, cui nullus unquam dies optatior affulgebit, quam qui poſt ærumnas beatam illam Divam nationi Belgarum redonabit. Pacem dico, quæ non ſit pactio ſervitutis, quæ nihil habeat inſidiarum, quæ talis in receſſu ſit qualem frons promittit. Aſſentior enim & auſculto mirum in modum Phœbo vatum canenti ex tripode, ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος, noſti reliqua. Sed audi viciſſim veram vocem, niſi fata majora humanis conſiliis aliam mentem τῷ δήμῳ καὶ βουλῇ ταύτης τῆς πολιτείας inſpiraverint, οὐχ οἷός εἰμι βλέπειν ᾧ τινι κριτηρίῳ πεποιθὼς ἐλπίδα τυγχάνεις ἔχων τοσαύτης ἀνελπίστου καὶ ἀπροσδοκήτου εὐπραξίας, εἰ μὴ συνειδὼς ὅτι τὸ θεῖον ἡμῶν κάλλιον βουλεύεται. Hæc enim perſuaſio potentior ullo fidei articulo penitus inſidet animis noſtrorum hominum, omni peſte pejus deteſtandum eſſe ipſum pacis nomen. Hic murus aheneus, hoc Palladium pertinacis diffidentiæ, nunquam illis mortali Marte vel arte extorquebitur. major vis καὶ ἔπος εἰπεῖν, θεοῦ βία nobis opus eſt, quæ ex tranſverſo incurrere forſan eſt ut poſſit. Sed hæc apud callidos rerum temporumque in deliberandi rationes referri non ſolent. Quin etiam aut ingenia mortalium nullis calleo, aut fidenter audeo dicere, eos qui ſedent ad clavum noſtri imperii, ὧν κράτος ἐστὶ μέγιστον, nullis unquam conditionibus ad fœdus feriendum adductum iri. Non ſi. ſed non libet mihi male ominari, nec ulterius *incedo per ignes ſuppoſitos cineri doloſo*. Simul etiam inſtat nuncius, quem ſi parte aliqua ſermonis & favoris dignari voles, erit unde novo nomine tibi ſim obſtrictus. Vale, vir æternum mihi obſervande. Datum Lugd. Batavor. IV. Iulii, CIƆ IƆC V.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA II.

Iacobo Auguſto Thuano Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

VIdi manu præſtantiſſimi collegæ Danielis Heinſii ſcriptum exemplum tuarum literarum quas poſtremo ad illuſtrem virum Ioſephum Scaligerum miſiſti. ad quarum calcem erat adſcripta ſalus πολλοῖς τ' ἀγαθοῖς τε, nulla noſtri mentione. Quæ res ita perculit animum, ut quanquam probe mihi ſum conſcius, quanta te ſemper obſervantia coluerim, tamen haud mediocriter veritus ſim, ne quod frigus pectori tuo inſediſſe videretur, quod nonnullam priſtinæ voluntatis immutationem aut imminutionem adferre potuerit. Equidem cum in omnes partes cogitationem verſarem, nihil cauſæ comminiſci poteram, niſi quod officio ſcriptionis defuiſſe videor, cujus culpam non tam negligentia ſuſtinet, à qua tamen non prorſus ipſe me abſolvo, quam ſeria virtutum tuarum æſtimatio, quæ majorem reverentiam poſtulant, quam ut ſcholaſticis & inanibus literularum formulis tempora tua morari audeam, licet confidam te id officii munus æqui bonique conſulturum. Quod ſi hinc mali labes & offenſæ origo manat, eſt in mundo unde culpam expiare liceat. Ne tamen indefenſus cauſam tradam, ex quo pars eſſe cœpi hujus Academiæ, bis me ad te ſcribere commemini. prior epiſtola continebat preces ab officio expreſſas in gratiam Rutgeri Roelandii I. C. cujus cauſa diſceptabatur in tuo tribunali, nec erat aliud perfugium adverſariis, ut ex multorum ſermonibus audiebam, quam in longo ſufflamine litis, & in protelatione rei judicandæ. poſterioribus literis, circa (ni fallor) tempora ſuperioris Paſchæ, commendabam humanitati tuæ juvenem Germanum probrum & literatum, ut captus eſt gentis, nomine Sebaſtianum Stirpe, qui per aliquot menſes uſus eſt noſtro convictu. hactenus autem ejus cauſa laborabam, non ut hominem illuſtri gratia tua, & interiori admiſſione, ſed tralatitia tantum & obvia ſermonis comitate dignari velles. Id enim ad voti ejus ſummam abunde ſufficiebat,

diebat, & ego non ita frontem perfricui, ut inſuper habeam quid dignitati debeatur. Sed ex quo hinc diſceſſit nihil eſt nobis auditum quid eo factum ſit, unde fit ut metuant ejus propinqui & populares, quibus ob morum indolem & optimarum artium amorem curæ eſt, ne quid humanitus ei acciderit. Verboſius & minutatim cauſam hanc peroravi, ut ſcires quantum interſit mea, ne quid incommodæ opinionis hærere in animo tuo patiaris. An ego non colam, non venerer, non omni officio ac potius pietate complectar eum virum, quo nemo vivit hodie in ampliſſimo regno Galliarum, fide, conſtantia, magnanimitate optimi Senatoris, & omni genere virtutum inſtructior, quem non aliter intuentur ac ſuſpiciunt quicunque Regem & regnum fortiter amant, quam heroëm ſæculo præſtantiorem, *καὶ ὡς λείψανόν τι τοῦ χρυσοῦ γένους.* Taceo ingentia merita, quibus effeciſti ut vivam & moriar ingratus. Sed hæc reverentius fuerit horrore ſacri ſilentii obſignare, quam deterere ſermonibus, qui longe ſubſidunt infra dignitatem meritorum. adde, quod ſtylo, manum injicit moderatio tua, cui potius honorem geram quam impari meæ cupiditati. Valde omnibus bonis indignum viſum eſt, virum alioqui ſingularem & optime de re literaria meritum Iuſtum Lipſium eo proceſſiſſe, ut etiam libertati tuæ convicium faceret. nec tamen ſum admiratus, *αἱ γὰρ τῶν ἀσεβῶν εὐλογίαι ἔλεγχος σαφὴς τῆς τὰ ἐναντία ἐπιτηδευόντων.* Venit mihi in mentem ultimi Flaviorum hæredis, qui vitiorum ſibi conſcius, inimicas vitiis artes, reverentia magis quam odio relegabat, nequid uſquam honeſti occurreret, quod ipſi peccandi verecundiam incuteret, aut turpitudinem exprobraret. Non defui hominem monere *μάλα παῤῥησιαστικῶς* quantum famæ & dignitati ſuæ notam inuſtum ierit per ejuſmodi deliramenta Divarum. Triumphavi gaudio, cum animadverti judicium tuum prorſus conſpirare cum noſtro in depingendo ſuis coloribus auctorem Amphitheatri Honoris. Ille vero conſtringendus eſt, *μαίνεται γὰρ οὐκ ἀνεκτῶς.* Nunquam vidi monſtroſius dicendi genus, quaſi cum multa jura confundit coquus, quid oleat neſcias, male olere facile intelligas. Geſtit ani-

mus

mus aliquod lucubrationis telum in hunc ceritum & fanaticum lucumonem. quanquam non eſt tanti, ſed expedit ut norit ſæculum quam omnes inſanabiliter inſaniant, qui eum ſanæ mentis eſſe arbitrantur. Verum enimvero fieri non poterit, quin manus inquinatas habeat qui tam vili & informi luto ludere inſtituit. Vale vir illuſtris, & nos ama. Datum Lugduni noſtræ Batavorum. III. Non. Auguſt. CIↃ IↃC V.

EPISTOLA III.

Auguſtino Puteano & fratribus Dominicus Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

ETſi à vobis nihil viciſſim habeo præter obſtinatum ſilentium, tamen non deſiſtam ab officio ſcriptionis, ut tandem convitio & aſſiduitate flagitandi vocem extorqueam. Neſcio an omnes literæ quas dedi perlatæ ſint, hoc liquet mihi affirmare ex animi ſententia, me ut minimum quater ad vos ſcripſiſſe ex quo pertinaciter in ſilentio pertenditis, ejuſque rei teſtis eſſe poteſt hic noſter Vaſſanus, quem illo proficiſci ſine meis literis nefas putavi. Suſpicor nonnullos ex iis qui ſe in Galliam proficiſci dicerent, verba mihi dediſſe, & vendidiſſe fumos, ut epiſtolas exterebrarent, rarum ſcilicet theſaurum καὶ ἀργυρείου ἀντάξιον ἀντερύσασθαι. Hanc ego conjecturam facio τεκμαιρόμενος ἐκ τῆς ὑμετέρας ἐχεμυθίας. Poſthac non temere τοῖς τυχοῦσι committam hujuſmodi literarium depoſitum: non quod in eo periclitetur ſalus publica, ſed tamen ringor ſerio, quum parum bona fide quicquid iſtud eſt adminiſtratur. Interim abſit ut de veſtra in me benevolentia in dubium veniam, etſi ὁ μέγας ἔρως ἐστὶ ζηλότυπόν τι χρῆμα, μεστὸν ὑποψίας καὶ ἀπιστίας, &, ut ait ingenioſiſſimus vates,

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Sed non cadit in veſtram indolem tam bene natam atque educatam ulla ſequior ſuſpicio. Verumtamen hortandi eſtis, ut cum vos ad omnem laudis cumulum natura genuerit, ratio formarit, voluntas & ſtudium accenderit, ne patiamini tantas dotes ulla negligentiæ labe deformari. Nec tamen anxiam & moroſam

ſcribendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſcribendi legem vobis impono, ſed qualem decet eſſe inter amicos intimæ admiſſionis, cupio vos μάλα χύδην καὶ μονονουχὶ εἰκῇ γράφειν, ὅ, τι κεν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶτταν ἔλθῃ. atque adeo quemadmodum olim ferunt Auguſtum ex fortuito & tenui apparatu collegiſſe, quam eſſet familiaris ſibi bonus quidam civis apud quem ſequeſtrata majeſtatis pompa cœnare dignatus fuerat, idem judicium ego de vobis faciam, ſi communiter & obvio more me appellaveritis. Aſſentior enim huic maximo Principum, qui nihil minus probabat quam moleſtam & operoſam dictionem. Neſcio an id genus vitii φορτικὸς χαρακτὴρ Græce dici poſſet. conſulendus eſſet veſter Aperta Caſaubonus, aut noſter heros Scaliger. Nam mihi quidem, qui neuter εὔχρημά ἐστι, jam cura verborum ſordet præ ſtudio res indagandi.

Quid rectum atque decens curo, & rogo, & omnis in hoc ſum.

Poſſum etiam vere ſubjicere alterum ejuſdem Poëtæ verſum,

Condo & compono quæ mox depromere poſſim.

Videtis exemplum quam negligenter & parum laborioſe ad vos ſcribam, quod etſi facere poſſe videor decentius & confidentius ob privilegium ætatis, tamen nihil cauſæ eſt quin id (ſi videtur) imitemini. Nam ut mulieres tum maxime ornatæ eſſe dicuntur cum ornamenta negligunt, ita in familiaribus alloquiis nihil æque arridet genio meo, quam ſermo fluens ex facili, & qui, ut ait Petronius, naturali pulchritudine exſurgit. nam ut ipſi olim cecinimus in Iambis noſtris,

Laborioſo præſtat ornatu rudis
Simplexque forma, fuco egent merces malæ.

Ἀλλ' οὐχ ἅπασιν εἰς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς, & forſitan eſt hæc una de ſummis orationis virtutibus, licet vulgo haud videatur, θύειν τῇ σαφηνείᾳ καὶ ἁπλότητι. Hoc artis ſecretum ſi intellexiſſet delirus iſte furcifer, qui Amphitheatrum edendum curavit, maluiſſet altum ſtertere, aut cucurbitas pingere, quam tanto conatu tam immanes nugas agere. Sed illum quidem illaudatum in tempus præſens omittamus: tractabitur fortean

à nobis ut dignus eſt. cæterum narro vobis quam rariſſimos hodie ſcriptores, quorum libros inhabitet illa venus, quam Apelles in operibus ſuis velut propriam & peculiarem dotem ſibi jure præcipui vindicabat. Nec miror. ἔστι γὰρ δωρητόν τι πρᾶγμα καὶ φύσει μᾶλλον ἐνυπάρχει τοῖς ἀνθρώποις, *quos æquus amavit Iupiter*, ἢ διδαχῇ κτᾶται. Videas pleroſque hoc unum gloriæ choragium ſectari, ut multos libros evolviſſe videantur. quorum equidem operoſam ſedulitatem ſugillare nec velim, nec æquum eſſe arbitror, αὐτάρ ἐμοὶ δοκεῖ τόδε λώϊτερον καὶ ἄμεινον, paucis innutriri, paucis familiariter adſueſcere. pauciſſimis enim opus eſt ad bonam mentem, & laboratur etiam intemperantia rerum optimarum. Sed de tota hac ratione ſententiam meam copioſe aliquando in vulgus proferam: eſt enim & nobis cenſendi jus, eruntque forte non pauca, quibus juvenes ad laudis fructum aſſurgentes induſtriam ſuam adjutum iri non inviti fatebuntur οὐ γὰρ ἐστὶ ταῦτα τῆς ἐπιστολικῆς πραγματείας, ἀλλὰ δεῖται καὶ παμπόλλης ἐμπειρίας καὶ φροντίδος οὐ σμικρᾶς, μάλιστα δὲ κρίσεως ἀσφαλεστάτης. Libuit tamen ὁσίας χάριν hoc ſpecimen judicii vobis exhibere, ne nihil ſcriberem. Monui vos jampridem, diſſipatum fuiſſe rumorem de Wouwerio noſtro, quaſi plagio domeſtico ſublegerit potiſſimam partem ſuæ Polymathiæ. εἰ μὴ τοῦτο τοῦ αὐτοῦ θηρίου ἀκηκόατε, βουλοίμην ὑμᾶς μὴ ῥᾴδιον πιστεύειν τῇ διαβολῇ. οὐ γὰρ εὐκαταφρόνητον αἰσχύνην καὶ μῶμον ἀνάψαι τοσούτῳ ἀνδρὶ, quem ego virtute, doctrina, ingenio præſtantiorem pene judico, quam totam gentem & civitatem ſuam. Habet ille ſua deliquia, *nam vitiis nemo ſine naſcitur.* abundat etiam magnis virtutibus, inter quas palmarium obtinet ἡ εὐφύεια καὶ λαμπρότης τῆς φύσεως, quæ dona plagio non accepit, nec cuiquam niſi naturæ ſuæ genio imputare debet. Velim ſcire an κοινὸν αὐτάδελφον χρυσοφόρου κάρα redierit ex Italia. Nunc in eo ſum, ut omnia noſtra poëmata edantur, quæ quidem tuto in ſæculum ire poſſunt. Multi enim præſertim ex procaci cohorte Iamborum expungendi ſunt, ſaltem nondum è cuſtodia dimittendi, ne malum creent auctori. quanquam duplici præfatione ſatisfactum putamus cordatis & moderatis lectoribus, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

qui non horrebunt manum admovere nobis. Sed tutior eſt ſilentii merces, cujus rationem nemo reddidit. Si non viderer nimis intemperanter abuti veſtra facilitate, libens vos rogem ut prima quaque occaſione mihi mittatis ἀποφθέγματα τοῦ βασιλέως. πολλὰ γάρ ἐστιν οὐ πονηροῦ κόμματος. Quædam mihi hærent in memoria, quibus vix quidquam par aut ſimile habet Romana vel Græca antiquitas. Valete, & bene rem gerite. Datum Lugduni Batavorum, III. Nonas Augusti, cIↄ Iↄc v.

Epistola IV.

Ioanni Rutgerſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

Tardius ſcribo quam aut exſpectatio tua & aviditas ferebat, aut officium meum. Sed dabis hanc veniam occupationibus noſtris. diſtrictus fui moleſtis oneribus ſcribendarum literarum in Galliam, in Germaniam, in Britanniam, & quo non? Heſterno die profectus eſt hinc generoſus Comes Polonus. Reliquit mihi muneri opera Plutarchi Latine & Græce ex editione hæredum Andreæ Wecheli. donum longe mihi gratiſſimum & ab animo donatoris, & ab æſtimatione auctoris, quo nemo in tota gente literatorum utiliora & magis frugifera ſæculo conſecravit. nec ipſum Ciceronem excipio, niſi qua parte certamen eloquentiæ cernitur. Damnavi me voto, fore ut per epiſtolam ſecum communicem quæ mihi videatur optima ratio ordinandorum ſtudiorum. Erit argumentum non tam fronte & pompa ſpecioſum quam uſu & commodo præclarum. Nobis vehementer placet ad exemplum principum Poëtarum,

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem,

ut hortatur prudens monitor Horatius in aureo libello de arte Poëtica: quo opuſculo fuge credere quidquam exſtare majoris & melioris judicii. Literæ, quas his adjunxi, fac tradantur. non erit tibi dedecori exercere conciliaturam in amore caſto & honeſtiſſimo, quo bonam illam & probam nympham in æternum complectar. Omnibus tuis officioſiſſimam ſalutem à me & uxore nunciabis, patri optimo, matri lectiſſimæ, fra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tribus ſuaviſſimis, ſororibus candidiſſimis, avunculis heroibus, & quicunque Baudiani nominis meminiſſe dignabuntur. imprimis Voſſio regi tuæ puertiæ, Blyenburgianæ familiæ, &c. Datum Lugduni Batavorum, XV. Auguſti, CIƆ IƆ CV.

EPISTOLA V.

Ioanni Rutgerſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

ITerum te alloquor, ut certior fieres Moſcovitæ interdictum eſſe domo noſtra ob impudentiſſimam vultus & ſermonis arrogantiam qua me præſente reſponſavit uxori. Prorſus eſt in eo mala mens, malus animus, nec unquam evadet ad bonam frugem, niſi naturam expellat furca, & alios mores ſibi adoptet. Non Apollinis, ſed divinæ vocis & veritatis ipſius effatum eſt, *in malignam animam non ingredi ſapientiam.* virtus ſe à malis ſpernit procul. Virgines ſunt Muſæ, virgo Pallas: odit profanum vulgus & arcet à ſuis ſacris. Vulgus, non veſte & ſorte, ſed animo & pectore metior. Sæpe ſub ſordidulo pallio latet ingens heros, contemptor eorum quæ vulgo ducuntur ampliſſima. Sæpe contra ſub purpura teguntur ſordes & dehoneſtamenta generis humani. Si mei arbitrii eſſet, nunquam ſuaderem ut ad bonas & ingenuas artes relegarentur, qui ab ingenio ſunt improbi. videntur enim natura geniti ad ſerviendum, ſi vera ſentit Ariſtoteles primo libro Politicorum. Nunquam mihi placuit hominis iſtius

Obſtipum caput & dejecto lumina vultu.

Corporis geſtus habituſque plerumque non vana ſunt mentis indicia. Sed nimis multa verba perdo de homine minimi pretii; quem etiam audio tantum ſibi confidentiæ ſumere, ut fatorum limites & vitæ terminum definire audeat, ſacrilega prorſus temeritate.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

Cave putes, quicquam dici poſſe flagitioſius tali gente, qui quæ ante pedes ſunt neſciunt, cœli ſcrutantur plagas. nec minimum peccant, qui iſtiuſmodi præſtigiatoribus auſcultant. Abeat igitur in Morboniam, meas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

meas certe ædes non ultra inficiet. tu autem cum tuis omnibus vale καὶ σοῦ πρόσεχε. Datum Lugduni Batavorum XXVI. Auguſti, cIↄ Iↄ cv.

Epistola VI.

Dom. Baudius Adriano à Blyenborch S. P. D.

Dordrechtum.

AVſpicium facio ad te ſcribendi ob jus antiquæ neceſſitudinis quæ mihi cum tota gente & familiâ Blyenburgorum interceſſit. Præcipue cum patruo, cujus ſuaviſſimum animo meo nomen refers. enitendum tibi erit omni ope ac diligentia ut & eruditionem referas, imo exſuperes. Ea ætas eſt, ea indoles tua, ut ad omnem laudum cumulum aſpirare debeas. Solus jam ſuperes, ad quem iſtius ſpei ſucceſſio & velut hæreditas pertinere videatur. Nam me quidem tædet pudetque, qui in hoc vitam producere videtur, ut honeſtiſſimo generi ſit dehoneſtamento. Tuum eſt dignam generoſo pectore ſuperbiam concipere, & quoniam à te uno & unico pendet literariæ laudis exſpectatio, debes eam tueri & confirmare factis. Ad eam rem nullo tempore tibi deerit ſtudium & conſilium noſtrum. neque enim ullo digniori genere officii teſtari poſſe videor, meam erga omnes tuos propinquos obſervantiam ac benevolentiam, quam flectendo animum tuum ad recti decus & ad ſtudium earum artium unde nomen egregium & præclara in rempublicam merita propagantur. Plura non addam, niſi ut de meliore nota ſalutem à me & ũxore dicas parentibus, aviæ, quam ego tanquam alteram matrem amo & obſervo. Vale. Datum Lugd. Batavor. XXVI. Auguſti, cIↄ Iↄ cv.

Epistola VII.

Dominico Baudio Ioannes à Wouwer S. P. D.

Lugdunum Batavorum.

IAm illud erat, diſertiſſime Baudi, ut verba tua, quibus ſilentii mei pertinaciam ingenioſe accuſare ſolebas, reddere conſtitueram. Nam quanti te tuaque faciam, fruſtra ambitioſe dixero. inde aſperior mihi viſa crudelitas tua, qua ſola in tormenta mea durare potuiſti. Quid enim gravius

 mihi,

mihi, quam ſollicitum & ſuſpenſum ſalutis tuæ agere? quid acerbius, quam amiciſſimi nomen, tanquam in deſerto invocare? Sed erigebat animum, quod non diu afflicto favere poſſes. Nulla autem cauſa erat, cur differres ſcribendi officium ad Illuſtriſſimum Præfectum Regium. Nullo apud eum opus parario; de plano acceſſeris. Non fraudabis me tamen iſtiuſmodi literis, ita negotium ex ſententia ſuccedet. Quod vero operam tuam prolixe polliceris, unice te amo: nec peribit operæ iſtius gratia. Mirifice vero me adfecit, quod de Polymathia *noſtra ſcribis. Nunquam putaram eſſe aliquid in iſto opere, quod alii ſuum vellent. Crede mihi, mi Baudi, fama noſtra non pendent ex iſto libello; cujus reſidua pars facile probabit auctorem. Non moveor quicquid maligni de me confingant. patrocinatur mihi innocentia mea, & noctes inexhauſti laboris conſciæ. Et ſane nunquam credidero, illum quem in Occitania noveram, idem aſſerere, niſi forte de iis, quæ de* Critica *docui. Haud nego in illis non pauca, quæ de illo didici. de reliquis ne per ſomnium quidem cogitavit. nec eas Veneres propitias habet, quibus dictantibus iſtiuſmodi opus conficeret. Multa certe in illo Commentario, quæ non ſunt ſui ſtudii, multa quæ ipſe ignorabat. Quod ſi ille hujus mendacii auctor, maxime omnium mortalium mendaciſſimum & nequiſſimum intrepide pronunciabo. Sed fruſtra in iis laboro, quæ innocentiſſimum hunc animum minime exulcerant. & ſane non decrit, quo mihi mea aſſerere poſſem. Qui has tibi tradit, nupera commendatione mea tibi notus. Is quoque attonitus Baudiani nominis celebritate, nihil antiquius habuit, quam numen tuum adorare. Parco optimum adoleſcentem pluribus tibi inſinuare. ſatis exiſtimo, ſi intelligas, patre optimo viro & mihi amiciſſimo natum, laudabilia quæque & honeſta ſtudioſe ſectari. Vale, & me ama. Ex arce Wandeſbecca, animo triſtitia languido. I. Kalend. Iulias* cIↃ IↃ c V.

EPISTOLA VIII.

Adriano à Blyenborch Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

MIſſæ ſunt huc ad te litteræ, ut opinor, è Zelandia, quas expectatione tui adventus per aliquot dies uxor aſſervavit, ſed cum pluſculum

lum hæreres iſthic quam opinamur, faciendum eſſe duxi ut eas ad te tranſmitterem, ſi forte quidquam ibi continetur quod ſcire tua intereſſet. Oppreſſit nos hodierno die infauſtus nuncius de clade noſtrorum militum. Sane hoc anno res unitarum provinciarum non optime ceſſerunt. Sed arbitror ita publice expedire, ne nimia felicitate laſciviant animi noſtratium. Parentibus tuis plurimam à me ſalutem nunciabis, itemque erudito viro & acerrimi judicii Gerardo Voſſio. Datum raptiſſime Lugduni Batavor. XIII. Octobr. CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA IX.

Iohanni à Wouweren Dom. Baud. S. P. D.

IAmpridem factum eſt poſtquam nihil literarum à te accepi. Culpam hujus infrequentiæ adſcribo periculis itinerum, per quæ factum eſt ut perierit faſciculus epiſtolarum quas ad te & complures alios miſeram. Nimirum ad ſpectabilem virum Eberardum Tweſtreng, ad Sebaſtianum à Bergen, qui me officio ſcriptionis prævenerat, ad Henricum Rumpium, rogatus ab illo lepidiſſimo naturæ jocantis oblectamento, qui tanta bella pugnavit pro aſſerenda majeſtate Wouweriana. Non facile ruet cœlum dum ſuſtentabitur à tali Atlante. Doleo vicem miſellarum epiſtolarum, non ob manupretium, ſed quia ſentio id jacturæ grave & acerbum videri graviſſimo Senatori Tweſtrengio, qui pluribus ad filium literis hunc caſum miſeratur, tanquam in eo verſaretur fundi calamitas. Sed facile ſarciri poteſt quidquid hujus eſt damni. Nam ne neſcias rationem noſtræ conſuetudinis, plerumque eas literas, quæ minus animo meo ſatisfaciunt, magno conatu meditor. Vt ſi forte ſcribendum ſit ad homines ignotos quibuſcum fas aut decorum non eſt familiariter jocari. Solet dicere noſter heros Scaliger de parte ſuo, nunquam ei præſertim in literis ſcribendis felicius ceſſiſſe ſtylum, quam cum minus curæ adhiberet ...... Idem mihi uſu venire comperior. Melius ut plurimum exeunt, quæ ἐξ ὑπογύου profundimus, quam ea quæ ſubducto ſupercilio meditabundi vix ægre tandem evolvimus. Sed næ ego homo ſum inſcitus, cui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cum vix tantum ſuppeditet otii, quod neceſſariæ ſcriptioni impartiri poſſim, ita tamen otioſe fabulor tanquam vacuus ſim ab omni cura. Sed quoties ad te ſcribo, tot ſpecies rerum obverſantur cogitationi, ut quid primum expediam, quid poſterius, quid denique, non ſatis conſtituere poſſim. Ita fit ut ſolennia inſaniam, & ad jocandi conſuetudinem divertar, quod ſcio tibi non eſſe nolenti.

Sed tandem amoto quæramus ſeria ludo.

Literas haſce perferendas dedi Ioanni Huſwedelio populari veſtro, cui decretam provinciam ducendæ ſecundo loco juventutis veſtræ lætor & gratulor. Hoc ſatius quam G. F. P. N. ſolidos dies impendere, vel noſtris lectionibus audiendis operam abuti. Exornabit, ut auguror, imo confido, hanc honeſtiſſimam Spartam, licet vulgo haud ita videatur, ac ne maximæ quidem parti eorum qui ſupra vulgus ſapere ſeſe poſtulant. Tanta vis eſt, imo ſæva tyrannis inveterati prævalidique erroris. Si miſſis ambagibus verum amamus, in quonam alio genere muneris verſati ſunt ſublimes illi viri, quorum meritis ac virtutibus nulla par oratio reperiri poteſt? Socratem loquor, Platonem, Ariſtotelem, &, ut verbo dicam, univerſam philoſophorum manum. Nos quoque idem ſaxum volvimus, nec pœnitet talium collegarum. At Ioanni noſtro Huſwedelio non contingit ſcilicet ut in alma & inclyta aliqua Academia publice doceat. Non minor ideo ejus laus, certe opera fructuoſior. Pluris enim intereſt eam ætatulam recte inſtitui, quæ ſuo niſu inſiſtere ſtudiis nequit, quam eos qui ſine cortice nare, & ſuis (ut ita dicam) auſpiciis rem gerere poſſunt. Sed videlicet externa rerum pompa judiciis etiam ſapientium fucum facit, ut ea maxime mirentur & plurimi æſtiment, quæ cum ſtrepitu & apparatu copias ſuas explicant. Cum tamen plerumque eveniat, ut quæ minus adumbratæ oſtentationis habent, ea plurimum ſolidæ & expreſſæ utilitatis in ſeſe contineant. Quanquam feſtinandum habeo, tamen hanc benignam materiem nactus, non poſſum quin verſus quoſdam adjungam in eam ſententiam adhuc ineditos, ὥστε ἐκ τῶν ὀνύχων λέοντα γιγνώσκειν:

Qui

Qui ſe ipſe temnit hunc fideliter ſcias
Succos honeſti perbibiſſe ſenſibus.
Ceu vacua magnos æra tinnitus cient,
Minimaque flumina alta labuntur ſono:
Sic plurimum ſuapte vi ſtant, atque habent
Multum in receſſu, quæ minus pompæ gerunt.

Habeo ejuſdem generis, hoc eſt, τῶν γνωμολογιῶν ad duo millia, quæ nondum lucem viderunt, ſed videbunt ſcilicet una cum Martiale Scriverii. Nulla res æque obſtat quo minus aliquid edam, quam nimia rerum copia quæ me facit medias inter opes inopem ὥσπερ ἐνδεοπλούσιον τινα Τάνταλον. Tentanda tamen eſt via qua poſſim victor *virûm volitare per ora.* Nam ab humo jampridem me, ut arbitror, ſecunda fama ſuſtulit. Atque adeo cum imperitiſſimo & impudentiſſimo cuique tam feliciter cedant temerarii conatus, ut omnium fere ordinum conſenſu approbentur, quos tenet inſanabile ſcribendi cacoëthes, cur ceſſo inſanire cum furentibus? quin Genio laſcivienti fræna permitto? Sed multa me compeſcunt. Hinc inertiæ dulcedo, hinc fatuitas ſæculi, quæ (ſi pauciſſimos excipias) nullum præclari atque eximii operis delectum habet. Cui vitio, quod longe pejus eſt, accedit malignitas hominum, qui quæ non capiunt, carpere ſibi permittunt. Verum hæc omnia Spartana nobilitate, vel, ſi mavis, Stoico ſtomacho concoquere poſſum, ſi animus rerum vulgarium dedignator in ordinem ſeſe redigi pateretur. Id vero hactenus impetrare non potui, & hæc princeps cauſa eſt ἀμβολιεργιῶν. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Significavit mihi nepos tuus à Vechta lectiſſimum florem juventutis Fredericum Bertramum ab Alefelt cis paucas tempeſtates huc venturum, & cauſas dilationis approbavit. Animo meo impatienter cupienti nunquam ſatis feſtinabitur ejus adventus. Et ut omnia tuta timet ſolicitudo; vereor ne ob anni tempeſtatem adhuc longius proteletur deſiderium cariſſimi capitis. Itinera etiam parum tuta à graſſatoribus poſt flagitioſiſſimam iſtam deditionem urbis & arcis Lingenſis, forſitan cupiditati noſtræ producent moram. Præſtat longos circumflectere curſus, quam compendio periclitari. De annua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

penſione convictorum noſtrorum jam ante ſigillatim ad te ſcripſi. De mercede operæ noſtræ, maneo æternumque manebo in propoſito nihil definite paciſcendi. Dabis hanc veniam naturæ & verecundiæ meæ. Nec fraudem ſubeſſe aut artificium ſuſpiceris, quaſi ſpecie recuſantis ſtudium meum extollere, aut majora exambire videar, quam ſi certum quid poſtularem. Aperte ſimpliciterque polliceor ac profiteor me contentum fore quovis pretio, ſi fata eum huc unquam ſtiterint. Scio non poſſe in æſtimationem venire commoda immenſa rectæ educationis, cujus bene jactæ fundamento nititur ſalus patriæ, dignitas & ſplendor veræ gloriæ, publica temporum felicitas. Sed novi etiam ſortem meam, nec ignoro conſuetudinem bonorum, quibuſcum ex formula fiduciæ bene agier oportet. In ſubducenda ratione mercedis non utilitas, quæ ex arte aut induſtria provenit, ſpectari ſolet, ſed labor & opera quæ impenditur. Etiam cum ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων oportunitate remediorum in ſolido locavit afflictam ſalutem ægrotantium, & animas ad Orcum ſpectantes redonavit valetudini, ſine qua vita non eſt vitalis, tamen mediocri ſalario lætus diſcedit. Nos qui in ſatis frequente juvenum corona non ſine plauſu & fructu voces cottidie effamur haud quidem ex tripode, ſed tamen tales unde nonnihil bonæ frugis domum aſportari poſſit; pulcre & beate nobiſcum agi cenſemus quod octingentos florenos annua die corradere poſſumus. nec id ſine invidia collegarum, οἷς ἀλγηδὼν ὀφθαλμῶν ἐστιν ὁ Βαύδιος, pene addideram (& quidni addo?) ſolenne meum ἥρως. Interim ſi quid unctius obtinget, amplectar beneficia deorum, οὐ γὰρ ἀπόβλητ' ἐστι θεῶν ἐρικυδέα δῶρα. Querebar initio de multitudine occupationum quibus diſtringor, & tamen vides me exceſſiſſe modum epiſtolæ. Sed in Morboniam abire jubeo, ἢ τῆς εὐφημίας χάριν εἰς μακαρίαν, qui nobis has egregias leges ſancierunt, ne longius evagemur in literis ſcribendis. Non pareo talibus deſignatoribus. Quanquam enim mirifice capit animum meum erudita brevitas, tamen non indelector amœna garrulitate, præſertim in hoc ipſo campo epiſtolari. Sunt ab utraque parte ſummi ſcriptores,

unus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

unus inſtar omnium Cicero, cujus eam optimam epiſtolam eſſe judico, quæ ſit longiſſima, quod olim de Archilochi Iambis proditum eſſe memini. Non deſpero idem recte ſentientium judicium fore de noſtris. Quæſo te quoties in quempiam incideris, cui veniat in mentem noſtri, ne graveris eum verbis noſtris impartiri ſalute, tametſi nihil ea de re nominatim caveam. Non enim arbitror aut tibi tam parum eſſe fidei, aut veſtros homines adeo ineptire, ut nihil niſi inſpectis ſignis & tabellis credere ſuſtineant. Quemadmodum Grutero non fuit animus ſalutandi meo nomine Dionyſium Godofredum, quia nimis parca manu laudes & virtutes ejus eram perſecutus: quod & ſignificavit per literas adjuncto noſtro elogio, ſi forte me ratio fugiſſet. Erat autem tale, *vir laborioſus, & non male de jure meritus.* Dicere debueras, inquit, *optimus*, aut ſi quid aliud efficacius. Vide quid oneris nobis injungatur, ut faſces ſubmittamus ſcilicet iis, quibus οὐκ ἔστι νοῦς ἀρτίφρων. Omnes hominis dotes abunde complexus eſſe videor, ſi dicam *ſarcinatorem eſſe probum, ſuere centones optime.* Ego malim in æternum ejerare omnem ſcribendi copiam, quam tali pacto me poſteritati æſtimandum proponere, etſi hæc via & ad opes & ad exiſtimationem ducit. ἀλλὰ μᾶλλον αἰσχύνομαι καὶ ἐμαυτὸν, καὶ τοὺς τῶν ἐσομένων δόξας. Quanquam bonum illum Gruterum (eſt enim vir minime malus, imo vix capax malitiæ) prorſus habeo excuſatum, ſi id ætatis homo non poteſt ablegare vaniſſimam illam gloriæ cupiditatem, quæ nunquam ſeneſcit, & (uti incomparabilis meus Tacitus ait) ſapientiam profeſſis, noviſſima exuitur. Hæc ſcilicet permagni referebat te ſcire, itaque nolui te fraudare horribili ſecreto.

Refrixit jam ſermo leviſſimorum hominum, qui Polymathiam tuam plagii ſuſpicione infamabant. Caſaubonus vir melior & candidior eſt, quam ut hujus culpæ inſimulandus eſſe videatur. Miſit ad me recens opus de *Satyrica poëſi Græcorum, &c.* cum benigniſſimis literis, in quibus modum non tenuit circa laudes noſtras. Vir ille plurima ſcit, pauca ignorat. Quam multa cottidie eruit, quæ fruſtra alibi requiras! Sed mihi, ſi quid unquam dabo quod viritim terat publi-

cus uſus, decretum eſt ea potiſſimum perſequi, quæ faciunt ad civilem prudentiam. Is limes eſt præcipuus, in quem literati labores noſtri diriguntur. Non eſt meum ſtatuere modum cujuſquam alterius induſtriæ, quamvis non ſum de gente Æacidarum, tamen *de virtute cernundi do poteſtatem omnibus.* Tamen ſi quid mihi credis, dignior eſt hæc palæſtra & aptior generoſitati mentis tuæ, quam difficiles iſtæ, non audeo dicere nugæ, (ne videar ex ruſticis illis Macedonibus, quibus mos eſt τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγειν.) ſed illecebræ. Nunquam finem facerem garriendi, ſiquidem integrum eſſet animo morem gerere, ſed *alia ex aliis in fata vocamur*, Vale decus amicorum, & nos ama. Datum Lugduni Batavor. VI. Novembris. cIↃ.IↃ CV.

Ex Iſaaci Caſauboni literis, ad Petrum Scriverium.

——— *Quod me adeo obnixe rogas, ut de Critica quæ polliciti ſumus, publicemus; agnoſco etiam in eo affectus tui vehementiam: neque enim ejuſmodi noſtra ſunt quorum cauſſa vos docti vadimonia deſeratis. Illa autem lucubratio peculiarem habet difficultatem; cum & ſpinoſa ſit tota, & quædam in eo contineantur liberius adverſus eos diſputata, qui ſcelere immani de ſacra pagina audent detrahere. Addo, quod otium deſiderat adhuc is noſter fœtus, ſi volumus* ἰπλωέμιον *eum non eſſe. Lætatus ſum nuper cum viderem Ioannem Wouwerium juvenem eruditiſſimum ex parte idem argumentum ſuſcepiſſe tractandum. magis vero lætatus eſſem, ſi quæ paramus omnia eſſent ab illo occupata, ut legitimam occaſionem haberemus ſuperſedendi ab eo labore. Quod quia ob eo factum non eſt, dabimus* θεοῦ διδόντος *operam, ut tuo deſiderio quamprimum ſatisfaciamus. Nunc Perſii editionem parabamus, audebo dicere penitus novam. Vale, doctiſſime Scriveri. Madriti, ad Lutetiam, propridie Calend. Iul.* cIↃ IↃ CIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA X.

Iano Grutero Dom. Baudius S. P. D.

Heidelbergam.

NOlim, nec fas eſt te metiri modum amoris ex frequentia aut parſimonia meæ ſcriptionis, quanquam non abſolvo me à lata culpa, quod partibus defuerim, præſertim cum id officii munus non gravate impertiri ſoleam iis, qui tecum nec amicitiæ gradu, nec animi doctrinæque dotibus ſunt ullo modo conferendi. Cauſæ nihil dico, tantum ſi ingenuitatem meam noſti, rogo ne ſequius quidquam de affectu omineris. Vidi utrumque volumen tuorum ad Tacitum diſcurſuum, ſed quod indignor & ſerio ringor, nihil hic muneris tui habeo præter gratiam editionis. Vix adduci poſſum ut credam me conſulto præteritum, cum tot, non dicam alieni, & extranei, ſed tamen non ita neceſſarii ut hic homo fructum liberalitatis tuæ velut hæreditatem creverint. Nihil moveor æſtimatione, ſed tanto atrocior eſt injuria. vel hoc nomine cæteris eram præferendus quod communis mihi tecum provincia eſt. verſor enim in explicando eodem illo ſcriptore, quem quo familiarius noſſe incipio, plura reperio cur eum obſervem ac venerer tanquam virum ſupra omnem humanæ prudentiæ aleam poſitum. Amici me hortantur ut ſæculo imputem quæ nobis, ut aſſolet, inter recitandum haud incommode ſubnaſcuntur. Sed amplius deliberare tutiſſimum puto, nec tam conſidero quid gens hæc hominum ſuffragio ſuo comprobet, quam quid moroſo & faſtidioſo noſtro judicio faciat ſatis. Narro tibi Baudiana ſimplicitate, neceſſe habeat omnes aut pleroſque perfectionis numeros quod meo puncto palmam feret. Poëmatia noſtra brevi lucem adſpicient, niſi quid ex tranſverſo incurrerit. videbis μέγα βιβλίον ἴσον τῷ μεγάλῳ κακῷ κατὰ Καλλίμαχον τὸν γραμματικόν. Multa paulo acerbiora εἰς ἀμαθίαν καὶ ἐρωμανίαν τῶν κεφαλουώτων ſupprimere eſt animus, etſi ſunt cætera οὐ πονηροῦ κόμματος, ne ludibrium debeam aut in diſcrimen incurram apud eos qui poſſunt gladio ἀντιμυκτηρίζειν. Viro gravi & ſapienti Iohanni Michaëli Lingelsheimio officio ſamſalutem nun-

 ciari

ciari cupio. Conſentiens fama eſt eum eſſe auctorem libelli de Idolo Hallenſi adverſus Lipſium, & id ipſe conjeceram cum primum in manus meas venit. Non eſt quod patrem pudeat ſuæ prolis, cum non puduerit tantum virum tales nugas effutire in dedecus antepartæ famæ. Gernandus pater & filius etiam à me ſalvebunt, item Godefredus, vir laborioſus & non male de jure meritus. Raptiſſime datum Lugduni noſtræ Batavorum VI. Kal. Septembr. CIƆ IƆC V.

EPISTOLA XI.

Henrico Rumpio Theologo & Eccleſiaſtæ Dominicus Baudius S. P. D.

COmmunicavit mecum Nieburius noſter literas ab avia ad ſe miſſas, ex quibus cognovi intempeſtivam ſollicitudinem optimæ matronæ, quæ quia nepos ejus in obſignanda epiſtola uſus fuerat alieno σφραγιδίῳ, protinus inde conjecturam fecit eum ſuo fuiſſe circumductum. Ego vero & innocentiſſimum juvenem omni culpa libero, & piam matrem ſecuram eſſe jubeo. Quod ut abſque ſcrupulo fiat, res ſic habet. Cum eas literas obſignavit Nieburius eram una cum uxore peregre profectus, cui aſſervandum annulum ſignatorium καὶ τ' ἄλλα κειμήλια concrediderat. Vxor ſecum aſportaverat claves, ubi omnia iſta incluſa erant. Hinc illæ lacrymæ. Proinde ſolaberis ægram mentis, & hortaberis ut melius de nepote ſuo opinetur, quem cottidie magis magiſque tractabili ingenio, & ad omnia honeſta flexibili eſſe comperior. Hæc volebam neſcius ne eſſes. Plura ſcriberem ſed nunc varie diſtrahor multitudine affluentium negotiorum. Salutabis meo nomine δῖαν γυναικῶν. Datum Lugduni Batavorum XIV. Septemb. CIƆ IƆC V. Stylo Gregoriano, etſi Romanæ curiæ diſciplinam πολλὰ κλαίειν κελεύομαι.

EPISTOLA XII.

Iuſto Lipſio Dom. Baudius S. P. D.

Lovanium.

REcens nuncius nos exhilaravit, & de reſtituta in priſtinum valetudine, & de editione Senecæ jam

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ad optatum finem perducta. Nunquam verbis exæquabo magnitudinem lætitiæ qua ſum affectus, eo magis quod per multos dies infandus rumor ad aures nobis acciderat, te jam adſcriptum ordinibus ſuperorum & exemptum mortalitati. Tu quidem virtute & meritis faſtigium humanæ ſortis exceſſiſti; nec terrena moles ultra ſuſtinere poſſe videtur tam illuſtre depoſitum. Omnes tamen bonos, qui rem literariam ſalvam eſſe cupiunt, hoc animo eſſe oportet, ut velint te quam diutiſſime intereſſe cœtibus miſerorum mortalium, & ſero ad eam felicitatem pervenire, quam ſpe & augurio toties jampridem percepiſti.

Eſt opus hoc terris, te quoque velle decet.

Laus tua creſcere non poteſt, ut quæ ad ſummum claritatis gradum pervenit, & celſius eminet, quam ut invidiæ morſu appeti poſſit: ſed publica vota ſi reſpicis, nunquam niſi præcipiti fato ſæculum deſeres, & natali cœlo redonaberis. Vides luxuriare orationem noſtram, ita gaudio geſtit animus, quod te adhuc ſalvum & incolumen eſſe intelligo. Sit proprium hoc & perpetuum bonum. *Neve te noſtris vitiis iniquum Ocior aura Tollat.* Iam ſæpius per literas ſignificavi ita facto eſſe opus ut in Brabantiam proficiſcar. Eo me negotium vocat. ſed præcipue tui videndi complectendique flagrantiſſima cupiditas, cujus vim amplius tolerare non poſſum. Plurima, imo infinita ſunt, quæ nec tibi nolenti erunt audire, & vehementer cupio in ſinum tuum effundere. Cæterum cogor in præſens moderari impatienti deſiderio, tum propter anni tempus haud idoneum profectioni, tum propter quaſdam alias rerum mearum incommoditates, quibus impedior animo morem gerere. Vidi hoc mane apud Scriverium ſummæ humanitatis virum, & intimæ admiſſionis amicum, tuum Senecam. Legi protinus & votivam epiſtolam & judicium de auctore. Nil mihi divini humanique juris credas, ſi quicquam unquam meminerim videre aut legere dignius primario ſæculi viro. ἀλλ' οὐχ ὅπου σέβεσθαι τὸ δαιμόνιον οὐδ' οὐ πάρεργον. nec propter viam facere decretum eſt mihi. Debetur quidem

omnibus

omnibus tuis operibus juſta veneratio, ſed hoc monumentum præcipuo cultu dignum fore

Et reor, &, veri ſi quid mens augurat, opto.

In quo felici omine deſino. Datum Lugduni Batavorum, XV. Octobr. cIↄ Iↄc v.

EPISTOLA XIII.

Iohanni Kirchmanno Dom. Baud. S. P. D.

Roſtochium.

ET ſcriptio tua per mihi accepta fuit, & commendatio viri ornatiſſimi Iohannis Huſwedelii, qui tametſi ea probitatis & eruditionis indole præditus eſt, ut omnium bonorum amicitia digniſſimus eſſe videatur, tamen non exiguum apud me pondus habuit judicii tui auctoritas, cui jure plurimum tribuo. Tu vero nullum officii genus uſurpare potes, quod ſit mihi jucundius, tibi honeſtius, quam ſi ejuſmodi conciliaturas porro exerceas. Opus tuum de funeribus Romanorum nondum legi, ex quo prodiit in publicum; ſed hoc, ne quenquam accuſem, culpa mea factum confiteor. Iampridem enim fuit ejus mihi inſpiciendi copia, per benignitatem optimi virorum Petrii Scriverii, cujus Bibliotheca æque utor ac mea. Iam autem à te monitus non amplius ero in mora. Perlegam diligenter hoc ingenii tui monumentum, καὶ ἀλήθειαν ἀτρεκέως καταλέξω. conferam etiam, ſi tantum ab re mea reſederit otii, cum Meurſii Libro De Funeribus. Recens edidit librum De Romanorum luxu. ſed nihil novi nos docuit, & in nonnullis eſt hallucinatus. Vereor, ut ſit ex eo valetudinario hominum, quos tenet inſanabile ſcribendi cacoëthes. Quia ſcilicet prima famæ auſpicia non infeliciter ei ceſſerunt, ea res perſuaſit illi hanc fiduciam, ut exiſtimet omnia ſua καὶ μάλα τὰ αὐτοσχεδίως καὶ ἀσκέπτως μεμελετημένα ſæculo probatum iri. ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ. Genius ſane abeſt, & illa Venus Apellis, quæ non eſt χρῆμά τι διδακτὸν, ἀλλὰ φύσει ἐνυπάρχει μάλα παύροις τῶν ἀνθρώπων, quos æquus amavit Iupiter. Multi undique flagitatores me urgent ut etiam aliquid in commune proferam, quod & hunc in annum vivat & plures. Sed non ego credulus illis: tutius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tius & homini ignavo commodius eſt videre aliorum ἀμαθίας καὶ μικροφιλοτιμίας, quam meditari μέγα τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Vitanda tamen eſt improba Siren deſidia. quod quidem à nobis fit ſedulo. Sed otium & tempora vacua libentius impartimur lectioni veterum, quam ſcriptioni. Sumus enim (ut ſimpliciter & levato velo tecum agam,) judicii admodum faſtidioſi & delicati. Ille per extentum funem mihi poſſe videtur ire, qui plauſum ab hoc ſpectatore promeruerit. Verſamur nunc in explicatione Taciti, quo ſcriptore non puto unquam vixiſſe cordatiorem. Id cottidie magis ſentio, quo penitius virum excutio. Vidi quæ I. Gruterus, ad eum auctorem annotavit. Diligentiam ejus in colligendis varie ſententiis improbare nefas ſit. Sed (quod libere liceat) commiſſiones meræ ſunt, &, ut flagitioſiſſimi Caligulæ non abſonum dictum in re ſimili uſurpem, arena ſine calce. ** Videtur ſibi propoſuiſſe ad imitandum rationem illam, quam ſecutus eſt Lipſius in admirabili & præſtantiſſimo opere de civili doctrina. Sed Dii boni! quam longo intervallo, quam non paſſibus æquis veſtigia ſectatur. Ne videar, quod eſt cuivis promptum etiam imperitiſſimo, μωμᾶσθαι, dabo, ſi vita & otium ſuppeditet, quod tanto hiatu dignum ſit. Te valere, & bene rem gerere ſpero voveoque. Datum feſtinanter, ut ex contextu literarum apparet. Lugduni Batavorum XVII. Octobr. CIↃ IↃC V.

Epistola XIV.

Hugoni Grotio Dominicus Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

AMicum noſtrum Franciſcum Petit iturientem Franekeram hic retineri viſum eſt conſultius, quam incertiſſima ſpe certas incommoditates longinqui itineris ſuſcipere ad gentem ſibi ignotam, οὐ γὰρ στέργω λέγειν τι πικρότερον. Arcerium, cui commendatus erat per literas à Polyandro, diem ſuum obiiſſe intellexi ex Domino Rectore. Druſius, quem unum novi ex toto genere profeſſorum, necdum opinor è Zelandia reverſus eſt. Vix tamen impetravi ne in viam ſe daret, niſi Doctor Pavius mihi retuliſſet valetudinem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

dinem domini Comitis ab Hohenlo jam paulo meliuſcule ſeſe habere. quam ſi in ſolido locaverit pax Deorum, ſpes eſt confici poſſe negotium quod maxime in rem ejus fore videatur. Tecum erit iſte labor, ut occaſioni invigiles. ille ſtabit in procinctu, ne qua mora ſit quin ad edictum reſpondeat. Vale, & nos ama. Salvebunt à me tui convictores, *καὶ ὁ πάνυ Μίλιος πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων*. Datum raptiſſime, Lugd. Batavorum XVIII. Octobris, CIↃ IↃC V.

EPISTOLA XV.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

ETſi de tua fide ac voluntate dubitare nefas eſſe arbitror, tamen memorem monere *καὶ τὸν σπεύδοντα ὀτρύνειν* nihil nocet exemplo ſummorum ducum, qui conſerturi manum cum hoſtibus, eos milites potiſſimum oratione & hortatu accendunt, quos paratiſſimo animo ad prœliandum eſſe vident. Ita quanquam tua ſponte ſatis incitatus es, tamen literis in eandem rationem ſcriptis eo acrius incumbes, ut noſtra cauſa velis. ſimul etiam deſiderio tuo morem geſſero, qui id officii poſtulare viſus es, cum fugitivo ſermone raptim me curæ tuæ commendarem. Nemo mortalium eſt cui ſecundum Deum magis fidam. Quod autem nuper depoſui tuis auribus, tale eſt, ut, niſi certiſſima ſit conficiendi negotii ſpes, omnino tentandum eſſe non videatur, imprimis vero provida mens tua cavebit, ne ſuſpicionem ambitionis incurram, neu ſpeciem præbeam hominis non ſua ſorte contenti. Quanquam boni civis officium eſt excutere diligenter omnes partes & artes, quarum præſidio munitus eſt, eaſque in communem offerre fructum: tamen quia uſque adhuc nemo extitit in hoc Lyceo qui utramque Spartam tueri ſe poſſe confideret, exempli novitas invidiam facile mihi conciliaret, præſertim adhuc extraordinario profeſſori, niſi gratiæ tuæ prudentiæque moderatio periculum hoc averruncaret. Si conſit quod volumus, res & eventus, ut ſpero, vindicabit me ab omni culpa. Quid enim mihi cum rumuſculis ineptorum hominum, ſi recte & ordine mandatis partibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tibus functus fuero? Fruemur diis iratis, ſi placatis uti non licet. Solabitur me dictum magnanimi Hectoris apud Homerum,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Officii conſcientia murus eſt aheneus ad retundendos omnes impetus calumniarum. Difficulter, imo quadam vi protractus ſum in hanc profeſſoriam arenam. Vix tandem expugnari potuit pertinax quidam pudor, dicam, an torpor? qui me per multos annos ab audendo deterruit, ob animo præſumptam virium mearum deſperationem. Nunc omnia in contrarium verſa ſunt, & forte plus æquo mihi placere incipio, quia didici experiendo noſtram operam atque induſtriam ſtudioſæ juventuti minime pœnitendam videri. Si frequens corona teſtimonii pondus habet, nullus majore auditorum numero ſtipatus eſt. nec hoc Taciti genio tribui debet, ſed quia noſtra voce Tacitum loquentem facimus. Sed & *duris urgens in rebus egeſtas* compellit me, ut explicem omnes virium nervos. Quanquam enim, ut hic vivitur, ſatis benigne mecum agunt Curatores & Conſules hujus urbis: tamen cur diſſimulem? non poſſum tam exili honorario mimum vitæ tranſigere, niſi nova nomina faciendo. Non eſt mihi propoſitum ut me fortunæ rivus inauret, nec id fati mei ſors ferre videtur, ſed tamen propulſanda eſt, quantum per bonas artes fieri poteſt, illa contubernalis magnorum ingeniorum paupertas, quam bonæ mentis ſororem nominat Petronius. Porro ſi obtinemus, ut pars illa quæ deraſa eſt ſtipendio alterius, nobis accreſcat ſupplendo ejus vices, illud una opera perficiendum erit, ut in Ordinariorum ordinem cooptemur, etſi non admodum hac de re laboro. Candidatorium munus ſuſtinebit fides & diligentia in adminiſtranda provincia. *Aſſai domanda chi ben ſerve è taccia.* A Iuſto Lipſio V. C. & Senecam accepi muneri, & literas plenas effuſiſſimæ humanitatis ac benevolentiæ. Nunquam erit quin amem & obſervem eximium hominem, optime de tota re literaria meritum, quanquam me Divarum virginum ex animo miſeret, quibus apud cordatos judices famam ſuam intemperanter decoxit. ſed illuſtribus ingeniis concedendum eſt, ut

inter-

interdum hallucinentur. Seneca nomen ejus iterum in ſolido locabit. Vale, Datum Lugduni noſtræ Batavorum XVIII. Decembris, CIↃ IↃC V.

EPISTOLA XVI.

Gerardo Voſsio Domin. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

HAbes hic promiſſum carmen, non tamen Iambos. quo in genere nonnihil poſſe videmur, ſi famæ tuto creditur, quæ non ſemper errat, ſed interdum Iove judicat æquo, & (ut cum Tacito loquar) eſt ubi eligit. Liberius ſum evagatus, more non inconceſſo Dithyrambis. Libuit oſtendere, quantum ſit inſtar in recta educatione, tum ut vero vincerem non eſſe, quod te ſupra vulgus ſapientem ſortis tuæ pœniteat, tamen ut convitium facerem publicæ temporum ſiniſteritati, quibus paſſim negliguntur, imo ſcenarum oſtentatione traducuntur, qui juventutem informant moribus ſive literis: cum tamen à teneris adſueſcere tantum ſit, ut ab hoc fonte fluant omnes vel laudes, vel labes, quibus publica ſalus ſtat aut cadit. Etiam ὁδοῦ πάρεργον delibavi gloriam veſtræ urbis, ut tanto impenſius diſcerent cives grato animo interpretari ſua bona, & præmiis excitare induſtriam eorum, qui tantopere proſunt bonis communibus. Olim cum frugalitas ſanctiq; mores ad fructum pervenirent, conſuetudo obtinebat, ne gratis καὶ ἀδωρήτως civitates ſeſe celebrari paterentur, præſertim ab iis, qui nihil expoſitum ſoleant deducere. Sed hi mores jam exoleverunt, ut alia pleraque laudis exempla. Neceſſe eſt itaque ut nos virtute noſtra involvamus, & probam pauperiem ſine dote quæramus cum Horatio, cui id facere in proclivi fuit, cum Mecænatem haberet paratiorem ad largiendum, quam ipſe erat ad petendum. Contracto melius parva cupidine vectigalia porriguntur. Sed næ ego homo ſum inſcitus, qui tam otioſe tecum fabuler. non aliter tamen familiarium amicorum ſacra fiunt, & ſcio tibi non ingratam evenire hujuſmodi hallucinationem, quippe qui facile ac benigniter etiam ignoſcas deliriis magni illius in literis & meriti & nominis, cui veſter ille vehemens Eccleſiaſtes implacabiliter iraſcitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ur, ut ipſius humanitatis oblivíſci videatur. Recte tamen & ordine facturus eſſe videtur, ut ſolemni carmine utar, ſi intra minas tantum conſiſtat, nec famam hominis publice attentaverit. καὶ γὰρ ἐμοὶ βέλος κρατερώτατον ἀλλὰ μοῖσα τρέφει. ὑγιαίνειν δὲ τοῦτον τὸν ἄνδρα κελεύω, μάλιστα δὲ τὸν Πολύανδρον, ὃς πολὺ φέρτερός ἐστι νοῆσαί τε κρίναί τε. Vale. Datum Lugduni Batavorum, III. Ianuarii, cIↃ IↃC VI.

EPISTOLA XVII.

Gerardo Voſſio Dominic. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

IT ad vos Rutgerſius noſter. οὐ θέμις οὐχ' ὅσιον ire ſine comitatu mearum literarum. etſi nihil magnopere in mundo mihi eſt quod ſcribam, niſi hoc neſcire nevis, varie me affectum fuiſſe lecta tua epiſtola. nam & indolui ob afflictam & pene depoſitæ ſalutis invaletudinem cariſſimæ tuæ conjugis, & lætatus ſum amico tuo ſive errore ſive judicio de noſtris carminibus. Nolo pretium ac pondus addere nugis, ſed tamen, ſi quid muneris raritas facit ad augendam æſtimationem, ſcire debes te & alterum unicum vivere, quos hoc genere carminis ſim proſecutus. Attexui ſuis quibuſdam locis aliquot ſtrophas, ut ſententiæ melius cohærerent. Non continui me intra numerum verſuum, quem tanquam dedita opera conſultoque conſilio nunquam exceſſit curioſa Horatii felicitas, qui non modo ſine controverſia ſummus eſt Romanæ fidicen lyræ, ſed & ſolus, nec quidquam ei viget ſimile aut ſecundum. Cur igitur permiſi mihi tantum licere non præeunte exemplo magni illius auctoris? Nempe modeſtiæ cauſa id factum eſt, ne viderer ad viri laudem aſpirare, ſi in ejus leges jurarem. & noſti Poëticam gentem legibus ſolutam eſſe perhiberi. Tum autem loquax res amor eſt, & huic licebit imputes hanc libertatem ac loquacitatem. non enim audeo ſperare ut de noſtris Poëmatiis tam favorabile ſuffragium ferant periti judices, quod olim de Archilocho perhibitum fuit teſtimonium, ejus longiſſimum quodque carmen optimum videri. Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum XXIII. Ianuar. cIↃ IↃC VI.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XVIII.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

PErfuſus ſum manifeſto rubore, cum ex literis Grotii herois intellexi eum tecum communicaſſe domeſticam fundi noſtri calamitatem, quam recens dolore depoſueram ejus taciturnitati. Nihil tamen peccavit quod te voluit eſſe participem hujus arcani, niſi magnitudine & abundantia quadam amoris, quo me dignatur. cui culpæ ſi ſuccenſeam, ferreus ſim & odio digniſſimus. Ambigua vox librarum quæ vobis impoſuit, utinam æque creditori fucum facere poſſet! ſed de libris Flandricis dictum oportuit, ut molem mali diſertius intelligere poſſetis. Quanquam equidem animum non deſpondeo, quin potius ſerio pertæſum eſt humilitatis & imprudentiæ, quod repente commiſerim chartis verba minora viro, & parum decora honorifico ordini quem hic ſuſtinemus. Verum commode cecidit, quod, ut ſpero, res non ultra dimanavit quam ad tuas aures, ſacras ſilentio & fide in myſteriis non evulgandis. Quærit ex me item Grotius, (non poſſum quin addam, heros) malimne Leges profiteri majore ſalario, an auctarium minuſculum minori labori acceptum ferre. Neutrum diſplicet, ſed illud prius movendum non eſt, niſi certa ſit ſpes obtinendi, ne incurram in invidiam collegarum, quos tamen non magnopere moror dum proſim bonis communibus, & par ſim oneri. magis me movet generoſa vox Hectoris,

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Tantum eſt. Raptiſſime ſcribebam, VI. Februarii, cIↄ Iↄc VI. Lugduni Batavorum.

EPISTOLA XIX.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ITerum ad te ſcribo, amice, compulſus ab hoc nuncio qui viam affectat ad notitiam tuam, & exiſtimavit primos aditus ſibi à nobis conciliari poſſe. Heri primum illum vidi, nec eum de nomine adhuc novi,

novi, ſed, quantum ex ſermone colligo, videtur in eo eſſe indoles ingenii. Referam in rationes meas ſi eum humanitate tua fueris complexus. Mitto tibi promiſſum carmen Iambos ad illuſtriſſimum Heroëm Mauricium cum appendice in mortem Regis Hiſpaniarum. multa ibi ſunt quæ potentius penetrare poſſint generoſas mentes in quibus ſpirat adhuc aliquid ingenui ſanguinis, quam tela vel haſtæ. Nobis in mundo non ſuppetunt alia genera armorum, quibus pro virili parte publicam cauſam propugnemus. Forte apud idoneos iudices & peritos æſtimatores gratiam & laudem merebuntur. Vellem etiam aliquid elicerent unde caput unctius referrem. Ea fine cepit me impetus, ut paululos verſus Hexametros effunderem, vix enim audeo Heroicos appellare repentes per humum, nec vires meas agnoſco in illis. Omnia tamen recte erunt, ſi Veneres noſtras intelligere poterit quinta pars eorum quibus iſta canuntur. Habeo in animo iiſdem nuncupare omnia mea Poëmata. quæ cum iis quæ ante edita ſunt ſuperant myriadem duobus millibus & quod excurrit. Iampridem publici juris facta eſſent, ſed terruit me & repreſſit metus offendendi partim magnates, partim quaſdam hominum nugas, in quos Iambus noſter more ſuo ſæpe procacius incurrit quam quieto & moderato civi convenire videatur. Sunt etiam nonnulla quibus Veſtales aures ſeſe violari ægre ferent. quæ ſi tollo, perierit magna pars Genii, qui vitalitatem ſcriptis conciliat.

Verſus de quibus locutus ſum non mitto per hunc nuncium. nondum enim eos exſcripſeram cum abiturel. Mittam à meridie.

Datum Lugduni Batavorum VII. Februarii, CIↃ IↃCVI.

Epistola XX.

Ioanni Kirchmanno Domin. Baudius S. P. D.

Roſtochium.

ALienæ negligentiæ labes eſt, quod ſerius & poſt pugnata bella venit ad te Epithalamium. Sed impoſuit minime vafro adoleſcenti Paulo Calenio mos non inuſitatus Poëtarum generi, quibus ſæpe

ſæpe magis in proclivi eſt præſtare quod rogantur, quam recipere in ſe factum iri. Cum primum literas tuas mihi reddidit, eram neſcio qua de cauſa præter ſolitum adductus & vultuoſus: plane averſus ab ineundis Muſarum ſacris, quæ (ut canit ingenioſiſſimus vates) proveniunt animo deducta ſereno. Τοῖαι γὰρ φρένες εἰσὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶν τε. Simul etiam experimentis didiceram, nunquam infelicius verſum procedere, quam cum precibus aut officii neceſſitudine extorquetur. οὐ γὰρ ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ ἡ ποίησις, quod de bello ait Thucydides: nec quemquam dominum agnoſcit extra ſacrum afflatum illum cujus vim ſolent imputare cœlo τῶν σοφῶν οἱ χαρίεντες καὶ πάνυ δόκιμοι. Noſtra nihil habent quod ſpiret tam ſublimem originem. abunde nobis tribuent amici, ſi non inhumana videbitur hæc qualiſcunque teſtificatio amoris erga te, cui omnia fauſta precor augurorque. Vale. Datum Lugduni Batavorum, XV. Februarii, CIↃ IↃC V,I.

Diſtichon anni index.

*La*V*r*I*gero* V*at*I C*on*IV*n*X *ſe* C*æ*LI*a* IV*ng*I*t*
KI*r*C*h*M*anno* : V*t f*æLIX *s*I*t pre*C*or* I*ſte d*I*es*.

Aliud:

AV*rea* LVX *orta eſt*, V*ot*I*ſq*V*e optata p*V*d*ICI*s*:
KI*r*C*h*M*anno* V*at*I C*æ*LI*a p*VLC*hra dat*V*r*.

Inter literas numerorum indices non refero D, quæ pleriſque imperitis videtur deſignare quingenta, ſed puerili errore id accidit ob affinitatem hujus notæ IↃ & D. Conſimili modo factum, ut Pandectæ ſignificentur per *ff.* quod Græci uterentur hac notula π͂. Vale, & ignoſce quod tam levia monemus. Vidi tamen non abſurdos homines, qui vulgarem hallucinationem defenſum irent auctoritate Martiani Capellæ, aliorumque ejus farinæ. ἀλλ' οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ, quid vulgus ſentiat.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XXI.

Adriano à Blyenburch Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

QVamquam non memini me tibi in mandatis dediſſe, ut meo nomine rogares N. ne concitandæ invidiæ cauſſa curaret edendas epiſtolas viri frementibus invidis optime de tota re literaria meriti Iuſti Lipſii: tamen acceptum mihi fuit hoc factum tuum, nec unquam defugiam auctoritatem. Neque enim ſum ex eo genere hominum, qui aliud ore promptum, aliud corde clauſum geram. Etſi hoc tempore non ſemper expedit amicitias & inimicitias in propatulo habere: tamen nunquam diſcedam ab ingenio, nec antiquam illam ſimplicitatem ejerabo, qua ſuadente bonos & generoſos viros eſſe decet φανεροφίλους καὶ φανερομίσους, * [*palam amicos, palam inimicos,*] quas notas recenſet Philoſophus inter ea quæ conveniunt homini magnanimo. Quod hominem per literas dehorter ab editione, non eſt ut expectem, nec me decet, priuſquam conſilium noſtrum ipſe inquirat. Video enim eum diſſuaſiones meas habere aut ludibrio, aut loco incitamenti, ut magis peragat quod inſtituit. Cæterum non poſſum quin te rogem, ut * moneas ut diligentius intendat animum ſcriptioni. Tanto tempore quo hinc abeſt non potuit epiſtolam elaborare ſi non abſque vitiis dictionis, ſaltem eleganti charactere. Quam culpam evitare non poteſt, niſi confeſſione incuriæ & oſcitantiæ. Non enim deeſt illi ars καλλιγραφίας, ſi curam & diligentiam adhiberet. Sed, ut ſæpe dixi, non poteſt animum ſuum à deſultoria levitate traducere ad ſerio agendum quod eſt præ manibus. De cubiculo, jam quidem uxor mea id alteri deſtinavit, ſed non antequam ὁ δεῖνα expleverit anni quadrantem, vacare debet, aut ſolet locus. Omnibus tuis officioſiſſimam à me & familia ſalutem nunciabis. Vale, & ingenium tuum, ut ferrum fore ſcito, quod rubiginem contrahit, niſi perpetuo uſu ſplendeſcat. Datum raptiſſime XXIV. Martii, CIↃ IↃCVI.

H EPI-

* *Hæc margini aſſcriptæ erant.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XXII.

Hugoni Grotio Dominic. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

REmitto tibi tanto poſt tempore Panegyricum carmen tuum, dictum honori Regis Britanniarum. Cenſuram exſpectas, & parum liber ſcilicet tibi videor. At ego ex animi ſententia profiteor, opus hoc extra judicii aleam videri, majuſque captu noſtro, ne dicam ſiniſteritate ſæculi. Quotuſquiſque enim, ſi pauciores excipias quam ſunt

Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili,

tales eximios ingenii theſauros digne æſtimare valet? Sed ultimus quaſi fabulæ actus ante cætera mihi ſumme placet. nimirum verba & rerum pondera quibus patriam facis loquentem, & agentem cum rege, ut cauſæ noſtræ ſuffragetur, neve ullam cum gente Hiſpana pacificationem iniiſſe velit. Immenſum eſt quod hoc nomine egregium publicum tibi debet, ſi bona ſua recte intelligat. ſed ſurdo canimus fabulam, & aut non capiunt iſta plerique, aut non capiuntur. Miſereat me felicium ut ſibi videntur, ſi domum alere poſſim miſericordia. Sed quærendum eſt unde rumen impleatur. Nam decus & virtus ſine re quid aliud, quam κόμποι καὶ λόγων εὐμορφία? Arbitror te non ignorare Lucam Trelcatium acceſſiſſe ordinibus ordinariorum? pene addideram heroum. ſed non ita profananda ſunt magni nominis inſignia, & tamen mirificum genus mortalium eſſe oportet eos ad quorum myſteria Baudio aditus patere hactenus non potuit, nec facile patebit, niſi *pallida mors*, quæ *æquo pulſat pede pauperum tabernas regumque turres*, *ô beate* Groti, τινὰ τούτων ἡρώων demiſerit orco, vel ſi malis δόμον ἄϊδος εἴσω. Iam enim collegium ſuos omnes numeros habet, nec fas piumque ſcilicet novæ inaugurationis ſpem imaginari. Verum ne ſibi magnopere placeant iſti Ioves humani, non enim audeo dicere cacantes, etſi verum didici fabulari, vix emerim caſſa nuce ut ſcribar eorum gregis, dummodo *gravior ære domum mihi dextra revertat.* quod pudenter poſtulo ſub lege gravioris oneris ſubeundi. Scaliger noſter, heros abſque

abſque controverſia, non ſatis belle ſe habuit per hoſce aliquot dies. Conflictatur tuſſi, nauſeat ad omnes cibos, ſitit ἀσβέστως. ſed ut perſpicere videor οὐκέτ' ἰατρὸς ἐὼν, præcipue hominem affligit μελαγχολικόν τι πάθος & vehemens triſtitia, ſed ſine ulla labe divinæ illius mentis. De venerando ſene Beza, vide ut memineris. Ego duplex penſum detexui, carmen Heroicum vel ſaltem Hexametrum & Trochaicum. Neutrum valde diſplicuit Scaligero, qui unus mihi eſt inſtar omnium, *niſi quid tu docte Trebati diſſentis.* Vale, juventutis ocelle. Datum Lugduni Batavorum, v. Nonas Mart. cIↄ Iↄc vi.

EPISTOLA XXIII.

D. Baudius Adriano à Blyenborch S. P. D.

Dordrechtum.

DE patris tui adverſa valetudine jam ante ex Nicolao noſtro vander Vechten inaudieram. itaque pendebam animi quorſum morbus evaderet, præſertim hac anni tempeſtate, qua majore periculo ſolent eſſe ægri. Quocirca beaſti me tuis literis, & ex gravi metu ac ſollicitudine in bonam ſpem erexiſti, poſtquam melius ei eſſe certior ex te factus ſum. Mira vero memoras & monſtri ſimilia de nefario iſto ſpiritu Mezantii, qui ſe Dei & religionis omnis contemptorem tam aperte profitetur. Non ſimplici cruce dignus fuit, niſi forte furens & morbo correptus talia effutivit. Nam tunc non eſſet addenda miſeria miſero, quia, ut ajunt Iuriſconſulti, ſatis ipſo furore cruciatur. Cujus vero fuit impudentiæ ſcitari ex concionatoribus ubi nam ſcriptum extaret *eſſe aliquem Deum?* hæc ſola quæſtio merebatur crucem, ſi Dei majeſtas & numen juſtis vindiciis aſſereretur. Quid enim aliud perſonant ſacræ literæ. Statim in veſtibulo Bibliorum nonne dicitur *Deum creaſſe cœlos ac terram?* Quod autem rex & Propheta David Pſalmo decimo quarto ait, *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus*, magno eſt argumento, neminem eſſe tam impium & ſacrilegum cujus mentem non imbuerit certa divinitatis perſuaſio. Sed perditi & profligati homines, quos Græci aptiſſimo vocabulo ἀπονενοημένους appellant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

eum ſenſum ex animo ejicere ſtudent, ne quid ſit quod eos à maleficio & improbitate deterreat. Proinde ſatis mirari nequeo, cur in tam atroci crimine puniendo, tam lenti & remiſſi fuerint Minoës veſtri. niſi forte putarunt genium hujuſce gentis non eſſe parem antiquæ ſeveritati. Peſſimo loco ſunt res ſitæ, cum vel ὁσίας χάριν vel diſputationis gratia dubitare licet, an ſit aliquod numen cujus providentia mundus adminiſtretur. Mihi tales quæſtiones non tam ocioſæ & inanes quam impiæ & abominabiles videri ſolent. Placet vetus ille Germanorum mos, apud quos, teſte noſtro Tacito, vitia non ridentur, nec corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur. Ἔχθραν σοφίας appellat Pindarus, *inſanientem ſapientiam* diceret Horatius, ſi quis de Deo vel ſerio vel per jocum male opinetur. Talis licentia tandem erumpit in atheiſmum, & convellit omnia fundamenta religionis. Deportari debuit hoc portentum in ſolas terras, & luſtro piari tanquam infandus naturæ abortus, qui dum Deum negat, hominem ſe eſſe vel indignatur, vel non agnoſcit. Sed mittamus hunc alaſtorem ἐκ ὀνομαστόν. Veniamus ad bona nomina. Damaſum heroëm ſalvum & incolumen iſthic eſſe gaudeo. Vtinam tandem ex diuturnis vitæ deſultoriæ erroribus redeat in viam bonæ frugis, & ſerio virtutem animo capeſſat! Sunt in eo præclaræ dotes ingenii atque induſtriæ, niſi turbulentus ille Tribunus Femorigena toties invaderet

Rationis arcem, Palladis ſacrarium.

Voſſii librum accepi, & nunc in eo legendo ſum. eſt opus ſane quantivis pretii, & hac utilitate maxime cenſendum quod digitum intendit ad fontes Ariſtotelis maximi virorum, quotquot unquam in artibus tradendis principes extiterunt. Si paulo liberalius civitas eam operam remunerata eſſet, ratio impenſæ non male ipſi conſtitiſſet. nec tamen eſt quod culpari poſſit. Plura non capit papyrus. Valebis & ſalvere jubebis meæ & uxoris nomine parentes, amitas, totamque veſtram familiam. Datum Lugd. Batav. Nonis Sextilibus. CIↃ IↃC VI.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XXIV.

Reverendo viro D. Henrico Rumpio Dominicus Baudius S. P. D.

QVod tantopere extollis noſtram ſcribendi aſſiduitatem, facis abundantia quadam humanitatis, ut etiam gratiæ apponas officia, quæ prætermittere non poſſum citra notam ἀχαριστίας. A Iohanne noſtro Neiburnio nihil literarum eſt ex parte tua mihi unquam redditum, cujus rei cum ex eo cauſam exquirerem, horribili ſacramento caput ſuum devevit ſe nullas accepiſſe ad me ſcriptas. De literis quas per Nicolaum à Vechta ad me miſiſti, ſecurum te animi eſſe volo. fideliter ſunt redditæ, eaſque diligenter aſſervo tanquam obſides noſtræ conſenſionis περὶ τὰ στοιχεῖα τῆς εὐσεβείας. Itaque magnus ex eo tempore cumulus acceſſit ad priſtinam voluntatem, qua te ceptus ſum amare & obſervare ut primum aditus mihi patefactus eſt ad tuam notitiam. Eum affectum ſpondeo me perlaturum ad extremum vitæ ſpiritum. de te idem fore confido. τέρατα non παράδοξα ſunt quæ memoras, & hoccine credibile eſt homines ita immutari poſtquam ſemel quo jure qua injuria temerarias opiniones propugnandas ſuſceperunt? tanta pervicacia & obſtinatione ferri, ut in prodigioſas blaſphemiarum abyſſos ultro præcipites ruant? Etſi una vox tua mihi tanti eſt quanti apud τοὺς περὶ Πυθαγόραν, αὐτὸς ἔφα, tamen ſi ex publicis monumentis mihi liqueret de talibus portentis, juſta indignatio extorqueret à nobis aliquod telum lucubrationis, quod forte non ſine ictu penetraret mentes eorum, qui communem humanitatis ſenſum non ejurarunt. Etſi enim alio me vocat Sparta quam hic ornare contendo, tamen & olim non indiligentem operam ſtudiis ſacrarum literarum navavi, & nunc ut maxime incendor cupiditate aſſerendæ veritatis contra verſutias improborum, præſertim adverſus pernicioſiſſimum genus hominum qui ſe ſocios Ieſu arrogantiſſima denominatione vocitari cupiunt. quos quia alio pacto refrænare non poſſum, ſtylo & calamo perſequar, ut habeant pudorem, ſi quid in fronte ferrea ſanguinis ingenui reſidere poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Sed magni voluminis res eſſet, οὐκ ἐπιστολικῆς ὑποθέσεως, ſi nunc evaporare vellem quæcunque mihi ſuggerit ſplendida bilis, contra gregem iſtum impuriſſimum. Verum his omiſſis venio ad negotium nepotis noſtri Iohannis Neiburnii, cujus equidem cauſam ſubſidio & patrocinio meo tutari nolo: ſed tamen nequitiam ejus nimis atroci invidia onerarunt, qui eum apud vos tanquam flagitioſum, & robuſtæ improbitatis hominem traduxerunt. ἔχει μὲν ἀκόλαστον καὶ ἀχάλινον γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον. Tum autem per comitatem, &, ut loquitur Comicus, animi cauſa magnam pecuniæ vim decoxit ſine omni gratia. Cæterum ſi hæc duo vitia demas, nihil eo fieri poteſt minus πονηροῦ κόμματος. Iuvenis eſt ad elogium illius boni Iſraëlitæ, in quo non erat dolus. Si me eſſet authorem & monitorem ſecutus, melius conſuluiſſet famæ & rei ſuæ. Sed quando facilitate ſua & imprudentia in eas plagas incidit, redimendus eſt quam fieri poterit optima ratione. Ego & uxor diligenter inquiſivimus, quantum & quidquid ubique alieni æris contraxerit. Ego fidem tuam ſecutus efficiam ut honeſte hinc diſcedat; vix autem id fieri poterit minore ſumma quam 300. Dallerorum Ioachimicorum. Toto autem tempore quo mecum fuit, non inſumpſit ultra novem aut ad ſummum decem Dalleros in extraordinariis expenſis. nec pro menſa & cubiculo quidquam amplius ſolvit, quam centum & duos Dalleros in annum, eam enim ſummam efficiunt quadraginta libræ noſtrates, ſeu Flandricæ. Non dicerem iſtud niſi ex literis tuis prioribus cognoviſſem, eum aliud vobis perſuaſiſſe. Si alibi diverſatus eſſet, ubi gratiſſimi ſunt hoſpitibus convivæ, qui profuſiſſimos ſumptus faciunt, non poſſet hinc omni ære alieno ſolutus abire ſexcentis Dalleris. Sed mihi cari ſunt qui bonam mentem amant, & contenti vivunt ordinaria quadra. Qui extra legem & boni moris diſciplinam vivunt, eos alibi quærere ſedes melius eſt. & hæc cauſa fuit cur domo mea exceſſerint quidam nepotuli nimis imperioſæ authoritatis. Neiburnium, ut ante dixi, non excuſo, ſed tamen falſis criminibus prægravari non patiar, per eos, qui forſitan præcipui fuerunt ad eum illiciendum in diſpen-

diſpendium. Illud etiam ex vero affirmare poſſum, eum abhinc quatuor aut quinque menſibus paulo frugaliorem eſſe factum. Mores autem, immane quantum immutati ſunt ex quo uſus eſt noſtro convictu. Nam, ut primum in hanc urbem venit, vix unquam ſol occaſus eum ſobrium vidit, habebaturque loco morionis, &, ut ille ait, *Ludus erat poſitis inter convivia menſis*, & poterat de illo quilibet eſſe loquax. Tandem aſſiduis meis & uxoris jurgiis adductus, cœpit paulatim animum ad meliorem mentem convertere. nunc ſacroſanctis affirmationibus dejerat, ſe fore bonæ frugis, ἀλλ᾽ ἐγὼ οὐ ταχυπειθής. Interim omnia quæ de illo atrociſſime dici poſſunt complexus fuerit, qui dixerit eum eſſe intemperantis linguæ, & ex eo genere hominum, qui rebus ſuis supereſſe non poſſunt. his demptis pauca ſunt in eo vitia, nec tamen adſunt eæ virtutes, unde Mercurii & heroës exſculpuntur. Quid tum? poterit inter medioxumos conſiſtere. nec in eam ſpem, opinor, educatur ut Socratem aliquem aut Catonem ſæculo donet. Ego illum patrio affectu amo, & ideo patrui ſeveritate interdum corripio, etſi ad eas partes minime aptus natura ſum. Si ſine exceptione commiſſus eſſet diſciplinæ noſtræ, non diffiderem eum progreſſu temporis evadere poſſe in mediocrem virum, quod voto tuo & optimæ fœminarum aviæ ejus ſufficere arbitror. Vxor mea cras profectura eſt Amſterodamum, ut ab Hans de Wolf accipiat dalleros 100. unde ſatisfiat iis quorum maxime favorabilis cauſa eſt, Medico, Chirurgo, Pharmacopæo, librariis. Cæterorum nomina in diem reponentur, & à ſingulis ſumentur apochæ, unde vobis appareat quid cuique & ex qua cauſa ſit ſolutum. Non ſtetit per me quominus rediret inſtructior iis artibus & ſcientiis quarum ſtudium profitemur. Sed οὐ παντὸς ἀνδρὸς εἰς Κόρινθον ἐσθ᾽ ὁ πλοῦς. Vale vir obſervande & me, quod facis, ama. Datum Lugduni Batavorum XVII. Iulii Stylo Gregoriano CIↃ IↃCVI.

Tuus ex animo Baudius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XXV.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HOdie octavus dies agitur ex quo Grotius heros nos auſpicato conſpectu ſuo beavit, & optatiſſimo nuncio, te ſuffragantibus votis bonorum omnium, Curatorem Academiæ noſtræ renunciatum. quæ res mihi incredibilem lætitiæ cumulum attulit: nec gratulandi officium tamdiu diſtuliſſem, niſi poſtridie ejus diei profectus eſſem peregre, nec reverſus ſum niſi præterito die ſabbathi. Quanquam non ſatis conſtitui apud me, utrum tibi gratulari debeam, cui non acceſſit honos, quin eum virtutibus & meritis exſuperes. ſed publico nomine gaudendum cenſeo, & privatim etiam meo, qui prorſus hac ſpe fruor, non mediocre mihi præſidium in gratia & benevolentia tua repoſitum fore. Iam enim (opinor) te patrono non erit amplius crimen, aut invidiæ metus Baudio, ſi totum ſe cupiat impendere publicis utilitatibus. Fidem memoriæ tuæ appello, nonne tu princeps, & auctor & hortator extitiſti, ut Iuris civilis profeſſionem una cum ea Sparta quam adminiſtro conjungere non detrectarem? Venerat quidem antea mihi idem iſtud in mentem, ſed niſi auctoritatis tuæ pondus acceſſiſſet, nunquam palam præ me tuliſſem ejuſmodi ambitionem. Nunc & rerum mearum anguſtiæ cogunt, ut ſerio in eam cogitationem incumbam, & amicitiæ tuæ fides efficit, ut felicem eventum honeſtiſſimæ prenſationis animo præſagiam. Porro ita jam ad multos dimanavit ſermo me tale quippiam aucupatum eſſe, ut, niſi compos voti effectus fuero, repulſam tuliſſe videar. Id quam parum honorificum futurum ſit homini generoſo & alta mente prædito, non te præterit. Si quam inde notam πολυπραγμοσύνης mihi aſpergit jejuna invidia malevolorum hominum, eam forti animo concoquam, & aſſiduitate ac diligentia vel placabo vel debellare conabor. Sed de his tantum eſt, & fortaſſis nimius ſermonis ſum in ea re quam tibi tua ſponte commendatam eſſe confido. Cupiditatem hanc meam etiam alia cauſa accendit, nimirum quod non

videor

videor magis regia via poſſe pervenire ad ſacrum illum & triumphalem clivum Ordinariorum Profeſſorum, quam ſi id conſieri poſſit. Neminem enim arbitror tunc fore tam inexorabilem, qui non eum honorem mihi habendum eſſe conſentiat conſciſcatque. Sed de inanibus iſtis nominum neutiquam laboro, niſi quod alia quædam commoda ſunt iis annexa quæ vir ſapiens, & exiſtimationis ſuæ curioſus non debet abhorrere. Quum animum ab errore imperitæ multitudinis ad rectam judicii normam traduco, facile adducor ut talia contemnam, ſed cum cogito me talia contemnendo vel contemni, vel non eſſe eo loco quo par eſſet, fateor me nonnihil, imo pluſculum quam ſerium & cordatum hominem decet, indignari. Sed iterum neſcio quomodo relabor ad eadem; nunc ad illud digredior cujus cauſa potiſſimum ad te ſcribendum eſſe duxi. Vacat, ut ſcis, locus Ethicæ profeſſioni, poſtquam Bertius in ſoceri locum ſuffectus eſt. eum forte ambiunt multi, ut aſſolet, ſed huic muneri vix quenquam tam idoneum repertum iri arbitror atque Iacobum Lettingium, nec cujus æquius ſit haberi rationem vel ob patriam. eſt enim natus in hac urbe, tibi à contubernio & ſtudiorum ſocietate olim notus. Audio, vel ſuſpicor, Iacchæum ad eandem provinciam adſpirare; ſed, quod Belgica ſimplicitate liceat, nec literis humanioribus, nec ſcientia linguæ Græcæ tam inſtructus eſt, nec etiam in hiſtoriarum monumentis ita verſatus, ut pro cætera ſua dexteritate provinciam iſtam ſuſtinere valeat. Longe aptior foret, mea quidem ſententia, qui Bertio ſuccederet. Vtrique ex animo volo, ſed ὅσιον προτιμᾶν ἀλήθειαν. Lettingius, quem dixi, apud me habitat, eſtque additus cuſtos erudiendo filio domini de Loqueren. Valde delector ejus conſuetudine, nec ſine fructu. Prorſus eum de meliore nota tibi commendo. Intereſt mea, ut ſciat, meas apud te preces non eſſe de nihilo. Plura non occurrunt, quæ ſcribam: niſi addam corollarium plane ridiculum, ſed quod me vehementer animi diſcruciavit. addam tamen, vel ut rideas. ὁ θαυμάσιος noſter Grotius ſuperiori die Lunæ ex inſperato interfuit recitationi noſtræ, cujus occurſu pene vox faucibus

hæſit : & quamquam tum habebam præ manibus materiem ac ſegetem uberrimæ diſſertationis, tamen ex quo in hac ſtatione profeſſoria locatus ſum, nunquam jejunior & aridior fui. Quum eo nomine ſatisfacerem homini, ille ſe derideri putabat. at nunquam mihi ſint propitiæ Muſæ,

Quarum ſacra fero ingenti percullſus amore,

ſi aliter locutus ſum quam ſentiebam. Sed jam tempus videtur deſinendi nugarum. Valebis, & nos tui obſervantiſſimos amare perſeverabis. Datum Lugduni Batavorum XIX. Septembris, CIↃ IↃC VI.

EPISTOLA XXVI.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HEri pene mihi dies periit, quod te non viderim, cujus conveniendi ſtudio iter occœperam. Eras autem, ut accepi, apud ſocerum: cujus humeris, ut Atlante cœlum, nititur ſalus Belgicæ libertatis. Hoc elogium auferet obiter, vir alias non in tranſitu, nec ὁδοῦ πάρεργον colendus. Erat mihi in animo gratias tibi ingentes agere propter inſignem erga me animum quem declaraſti Heinſiadæ noſtro. Gaudeo etiam te oſtendiſſe Lettingio, meas preces apud comitatem tuam nonnihil poſſe. adjungetur hæc ſumma cæteris officiis, quibus me nexu mancupioque tuum effeciſti. Vellem ſcire qua fronte accipias, quod gratiam tuam toties imploro ad impetrandam legatiunculam in Galliam. Forte putas me ſolennia inſanire. ego tamen ſerio hanc rem ago, nec erit dedecori Ordinibus, Baudium tali honore inſignire. quem licet nunc vetet magnum ſpirare *res anguſta domi*, tamen opima ſpes ſuſtentat, Deum daturum his quoque finem, & fore ut norint οἳ ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδουσιν, eum non vivere degenerem mundi incolam. Mea Poëmata ſunt jam ſub prælo. Non conciliabunt, ut ſpero, infamiam huic Academiæ, nec auctori malum nomen, niſi quod nimia forte verborum libertate, ſtylus noſter incurrit in Typhœos, Braſſicas, Hircimontios, ſimileſque nugas hominum

Quos gignit quoties voluit Natura jocari.

Sed

Sed magis formido magnatum offenſas, qui nimis ruſticè ſolent gladio ἀντιμυκτηρίσαι. Porro ſi de cumulo cæteri operis ea pars deruatur, minima noſtri portio noſcetur à poſteris, ſi ad poſteros fama nominis noſtri propagabitur. Verum jacta eſt alea, & prout ceſſerit hæc editio, aut continebo me inter fida ſilentii & inertiæ ſacra, aut ſi ſemel calamum ſumpſero, redigam ad languorem operas typographorum, illinamque chartis quidquid in buccam venerit. Quidni faciam? cum pleriſque hominibus jejuni ac ſterilis ingenii tam feliciter eveniat ejuſmodi temeritas. Neſcio, an ex eo valetudinario fuerit Meurſius veſter. multi in ea hæreſi ſunt ut ita credant, & multorum unus inſtar Scaliger heros prorſus id ſibi perſuadet. Sed, ut *amotis dicamus ſeria nugis*, forte hæc mihi cauſa erit iterum ad te proficiſcendi, ut norim quam in partem accipias quod doctor pene umbraticus legationes ad terrarum dominos ambiam & affectem. Cur non? cum te amicum talem habeam, & non inimico uter eo, cujus in manu ſitum eſt, ut voti hujus compos evadam. Negotium illud, cujus ergo ſi non publico nomine, privatus tamen meditor ire in Galliam, prope jam confectum eſt. Vtinam aliquid obtingat nobis unde oculi doleant iſti mendaciſſimo & mendoſiſſimo, * qui majeſtatem ſuam inſigni ſcelere lædi exiſtimabat, quod cum mortem obiiſſet, * & ipſe quoque inſtructus multis vitiis atque in arte mentiendi exercitatiſſimus, auſa fuerat noſtra temeritas ad eam provinciam adſpirare. Ego vero & petitionem iſtam inſtitui, & tantum abeſt ut me facti pœniteat, ut plerique illuſtres & ampliſſima dignitate viri, qui in Gallia me de interiore nota norant, demirati ſint cur quiſquam mihi ſit prælatus, nedum ille adoleſcens, & adhuc in incude ſtudiorum conſtitutus. Sed non ideo me dignitate ſuperatum eſſe judico, quæ ſita eſt non in titulis inanibus honorum, ſed in vera virtute, in animo ſibi recte conſcio, in approbatione bonorum. His ornamentis non tantum ei non ceſſero, ſed ipſe mihi ſim injurius, ſi ſecum componar. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Vt ante cœpi dicere, Poëmata mea excuduntur, quæ forte efficient ut ipſe

meæ fortunæ faber eſſe poſſim, mallem tamen hujus beneficii gratiam & gloriam penes Ampliſſimos Ordines reſidere, idque non eſſet illis indecorum. Statui ipſis dedicare univerſum opus. Libri duo Moralium Iamborum conſecrati ſunt Principi Britanniarum. non ingratam me rem ei facturum arbitror, utilem fore certe ſcio, ſi iis evolvendis aliquid ſeriæ curæ impartiri dignabitur. Audio commendatum eſſe vobis Gerardum Voſſium Dordracenæ pubis moderatorem, ut in Collegio gerat munus Regentis. Eſt mihi vir ille optime notus, nec quidquam tam magnificum dixero, quin id ejus doctrina virtuſque ſuperet. & dedecus fore puto, ***. Ex animi ſententia loquor, nec mos mihi & mens aſſentandi vel calumniandi. Sed quorſum de alterius cujuſquam honore aut repulſa laboro, cum ipſe patienter feram contumeliam vix ferendam in libera republica, quod me Pagonias heros præcedit, qui ſi hanc prærogativam conſecutus eſt luculentitate barbæ, mihi inſignem injuriam facit, cui tamen mercedem pro opera ſolvo. Sed ſatis nugarum effudimus, extremum erit ut te per ſacra noſtræ familiaritatis adjurem, ne licentiam iſtam ſequius interpreteris. Vale. Datum Lugd. Batavorum, XXV. Septembr. CIↃ IↃCVI.

EPISTOLA XXVII.

Petro Scriverio Dom. Baudius S. P. D.

Amſtelrodamum.

MVltum detrimenti dominatio veſtra capit, quod hoc tempore non adeſt. Vidiſſes enim quingentos Iambos & ſupernumerarium unum, quos protelo unius ſeptimanæ profudi, ut hoc pacto tandem eliceretur è ſitu Martialis tuus. Experimento cognovi, nihil eſſe feracius ingeniis bene natis & arte cultis, cum gnaviter excutiuntur. Quis putaſſet tantam vim carminum in eam ſententiam exſculpi poſſe, veluti ἀπὸ δρυὸς ἢ ἀπὸ πέτρης; Sed ut omittam quod amor πολύλογόν τι χρῆμα καὶ λαλεῖν ἄριστόν ἐστι, non pauca nobis ſuggeſſit deliberatio ſuper tuo nomine, & inde tanquam vento nimium ſecundo delatus ſum in editorem Amphitheatri Honoris, adverſus quem evomui partem aliquam τοῦ μελαγχολικοῦ πάθους.

Senſe-

Senſerunt etiam impetum ſtyli noſtri caperones & frontones iſti, qui cum ſibi privatim omnia ignoſcant, & ſecreti licentiam nacti, peſſima quæque facinora patrare non erubeſcant, caſtas ſcilicet & verecundas aures ſuas amœniori aliquo ſermone mulceri non ferunt. Præcipue autem velis remiſque invectus ſum in Samios illos Lucumones, qui tam ſervilem in modum ſtigmata inurunt ſcriptis, quæ per tot annos imo tot ſecula publico uſu teruntur. Ad ſummum, ut de me quoque more quorundam glorier, vix arbitror quidquam excogitari poſſe ταύτης τῆς ὑποθέσεως, quod non attigerim. Sunt quidem ſermones per humum repentes, nec *projiciunt ampullas & ſeſquipedalia verba*, ſed, ſi bene me novi, ſæpe caput ſcalpent & vivos ungues roſerint, qui hodie ſe regnare in omni genere Poëſeos imaginantur, priuſquam quintam partem naturalis illius minimeque affectatæ ſimplicitatis aſſequantur. Nunquam porro paſſus ſum tam intemperantem fluxum ſententiarum. Vt in ſuppellectiie pellionis, clavus clavo proximus eſt, ita in eo monumento, cui dolus malus abeſt, gnome alia aliam trudit. Vides ergo quantum damni diſpendiique tibi adferat intempeſtiva abſentia. Cave tamen, ne præ ſtudio inſpiciendi nugarum maturius revertaris: hoc enim boni conſequeris ex profectione, quod ſerius audis quæ jam ante triduum ex obſignatis literis heros noſter Scaliger reſcivit. Ante diſceſſum tuum acceperat epiſtolam à cive Antverpienſi Franciſco Swertio, ſi forte hominem noſti, quæ certiorem eum faciebat de afflictiſſima valetudine ſummi viri Iuſti Lipſii. Sed quia nimis ſane familiariter loquebatur homo, quem negat Scaliger ſe de nomine noſſe, nec unquam antea quidquam literarum ab eo ſe accepiſſe recordabatur, falſi ſuſpectas habuit eas literas, ſtatueratque ſi mendacium deprehenſum foret, eas primo quoque tempore ad ipſum Lipſium mittere, ut intelligeret quam otioſe nonnulli male feriati de ejus corio luderent. Sed ô triſtem & acerbum omnibus bonis caſum! etſi nonnemini gratum & optatum fore arbitror, qui gratis optimum mortalium oderunt. Hic mihi in mentem venit ſerio optare, quod per delicias & fictam clementiæ

ſimulationem vovebat impuriſſimus tyrannorum, *Vtinam literas neſcirem!* ne infelix noſter ſtylus interpres & delator eſſet tam triſtis & ſiniſtri nuncii. Nam, dicendum eſt, quid enim circumvehor omnia verbis? fuit heu! fuit illud immortalitate dignum ingenium, & ad ſedes beatas commigravit, *ſi qua pios reſpectant numina.* talis enim fuit, talem eum prædicabo frementibus omnibus invidis, nec me ab amoris conſtantia unquam demovebunt jejunæ ambitiunculæ, & gratuitæ pravitates quorundam, quos non neſcis. Tuum eſt etiam pro parte non deeſſe propugnandæ ejus exiſtimationi, quem de facie inviſum, amore non vulgari dignatus eſt. Nunc nihil aut parum cauſæ eſt, cur editionem meorum poëmatum ulterius ſufflaminare debeam. Nam, ut verum apud te ſolens fabuler, non erat inter minimas cunctationis cauſas, metus offendendi talem virum: cujus gratiam in præcipua parte felicitatis meæ deputabam. Nunc eum mors nobis exemit vigeſimo tertio die præteriti menſis Martii, hora ſecunda matutina. Sepultus eſt apud Minoritas ante divæ Virginis altare. Valde conſtanter eum obiiſſe prædicant ſecundæ Antwerpienſium literæ, quas continuo per famulum Ionam ad me miſit Illuſtris Scaliger, qui adhuc nonnihil dubitat de veritate nuncii; ſed ego Euangelium non credo eſſe verius, ἢ ταύτην τὴν κακαγγελίαν. Quod enim eſſet tam impudentis mendacii præmium? quæ tam effrons affirmatio? Etſi os non habent Lojolitæ, tamen adduci non poſſum, quin huic fidem habeam. Vale vir amiciſſime, & bene rem gere. Datum Lugd. Batavorum pridie Nonas Aprileis, cIↄ Iↄ cvI.

EPISTOLA XXVII.

Paulo G. F. P. N. Merulæ Dom. Baudius S. P. D.

Lugd. Batavorum.

DIu te multumque tenuit deliberatio, utrum recte & ordine facturus eſſes, ſi vitam magni Eraſmi, ut eſt ab ipſo conſignata literis, publico juri vindicares: an magis ex dignitate aut voluntate defuncti foret, ſi intra Veſtæ penetralia theſaurus iſte liberali cuſtodia aſſervaretur, communicandus tantum cum amicis

micis intimæ admiſſionis, ne, ſi ea res diſpaleſceret
n vulgus, aliquid detrimenti caperet fama & exiſtima-
io præſtantiſſimi viri, cujus nomen merito colunt,
uicunque rem literariam ſalvam cupiunt. Vtrimque
raves & magni momenti rationes interceſſiſſe non
ubito, quæ animo adferrent ancipitem curam cogi-
andi. ſed gaudeo tandem aſſenſum tuum in eam par-
em flexiſſe, qua bonorum omnium vota conſpiranti
ſuffragatione diriguntur. Nec eſt quod in eo pertime-
ſcas offenſam cujuſquam probi, quaſi ſcilicet invidioſa
roditione detexeris quædam arcana digna ſacro ſi-
entio, & ſpecie ornandi læſeris majeſtatem ejus,
quem omni honore amplificare cupiebas. Nam nec
pſe alio animo ſeriem vitæ ſuæ penes principem ami-
corum depoſuit, quam ut ſe rebus humanis exempto,
oſteritas hujus horribilis ſecreti particeps eſſet, & quæ
iniſtris mentibus pravam calumniandi materiem præ-
bent, ea ſi rectam anſam comprehenderis, faciunt exi-
mie ad illuſtrandam ejus gloriam & venerationem.
Nam quod illi ſors negavit ut ex legitimo conjugio na-
ſceretur, & quo pluribus incommodis ac difficultati-
bus jactata eſt ejus adoleſcentia, hoc clarius eniteſcit
egregia virtutis indoles, quæ per tot anguſtias eluctа-
ri potuit ad tantam nominis celebritatem. Quibus e-
nim fato contigit feliciter naſci, recte educari, abun-
dare copiis atque opibus, quæ facilem viam ad omnia
ſumma conſequenda munire ſolent, iis non tam glo-
rioſum eſt evadere ad frugem, quam turpe ac puden-
dum, ſi in tanta facultate rerum optimarum ſibi ipſi
defuerint. At vero qui fortunæ ſuæ faber eſſe cogitur,
& qui, ad exemplum Biantis, omnia ſua ſecum por-
tat, eum meo puncto præcipua quadam laude dignan-
dum cenſeo. Neque enim eſt noſtræ ſpontis & optio-
nis, ut legere poſſimus ad faſtum parentes: æquo ani-
mo non ſolum habendi, ſed & colendi ſunt quos Dei
benignitas nobis aſſignavit. Quanquam non video,
cur Eraſmum ortus ſui pudere an pœnitere debeat.
Nam mater ejus, ut optima Dido,

Huic uni forſitan potuit ſuccumbere culpæ.

In cæteris vitæ partibus ita ſeſe geſſit, ut ſingularis
exempli fœminam repræſentaret. Pater item probo
genere

genere natus fuit, nec expers humaniorum diſciplinarum ut ferebat captus ſeculi, tum autem moribus ita factus ad genium urbanitatis, & ad elegantiam jocorum, ut ab hominibus amœnioris notæ cognomen [*a*] Eutrapeli reportaverit. Quod ſi interiore affectu & animorum conjunctione jus matrimonii cenſeri debet, ſolennes tantum ritus abfuerunt, quos honeſtas induxit, non præciſe flagitat neceſſitas, at mutuus amor interceſſit qualem haud temere poſſis inter exempla fidei conjugalis invenire. Sed non eſt mihi decretum hanc cauſam agere, nec magnis auctoribus tueri ſententiam Tragici, cujus ſingulos verſus [*b*] Cicero ſingula teſtimonia putabat, [*c*] *νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες.* Matris patriam ipſe declarat, de patre ſiluit. nos pro comperto habemus eum fuiſſe civem & incolam urbis Goudæ. quæ loci amœnitate, cultu bonarum artium, ingenio gentis ad humanitatem compoſito, magiſtratus ſplendore & propenſione erga omnia honeſta, famam obtinet haud quaquam infimam inter primarias Bataviæ civitates. Quum autem propinqua partitudo matri appeteret, placuit eam Roterodamum mitti, quo res occultius tranſigerentur. Puero nomen ſuum pater indidit, vocatuſque eſt *Gerardus Gerardi*, more familiari apud nos, & olim etiam uſitato apud Græcos Latinoſque. Cæterum quia nomen iſtud in Belgico idiomate videtur habere cognatam ſignificationem cum verbo *Deſiderare*, adſcivit ſibi loco prænominis titulum *Deſiderii*, cui ſubjunxit Græcam vocem ejuſdem notionis, & *Eraſmus* agnominari voluit. Cur non fas mihi ſit haſce minutias conſectari, quum nunc & olim viri magna fama ingenii & eruditionis, tam intemperanter abuſi ſint otio, ut paginas implerint ludicris certaminibus, utrum princeps Poëtarum, *Virgilius* an *Vergilius* eſſet appellandus, & auctor Noctium Atticarum, *Aulus Gellius*, an *Agellius*? Sane non eſt in ejuſmodi nugis ſita ſalus Græciæ, ſed neque eſt in nulla parte felicitatis numerandum, ſi quis ſortitus ſit bonum nomen, nec ea cura poſtrema fuit Cenſoribus in populo

[a] *Voce Belgica* Praet *appellari ſolebat.* [b] *Epiſt.* 8. *ad Tironem.* [c] *Verſus ex Andromacha Euripidis*, Multi nothi meliores legitimis.

ulo luſtrando, Conſulibus in habendo delectu, ut uſpicarentur à bonis & fauſti ominis nominibus. Quocirca facis rem optimam & acceptiſſimam candidioribus ingeniis, quod opere hactenus inedito, memoriam naximi hominis non quidem vindicas ab injuria oblitionis, quæ tantam lucem obruere non poteſt, ſed rata tamen novi muneris largitione rurſus eum velut i Famæ theatrum producis, ut & plauſu excipiatur ab raſmiani nominis amatoribus qui bona ſua norunt, c malignitatem ſui tædeat quæ tantum heroem tam arvi pendit. Nam ne quid diſſimulem, ſerio indignor aulatim elabi de manibus doctorum hominum monuaenta ſummi artificis, atque iis anteferri nonnullos bortivos partus, eorum qui magno conatu ſæpe manas nugas agunt, & quorum præcipua virtus eſt ſaere ex indicibus atque inventariis. Porro, ſi recte alculum poſui, duo potiſſimum genera ſunt eorum ui de homine ſequius opinantur. Quidam ſtylum ejus c dictionem carpunt: alii (quod eſt longe graviſſinum) eum inſectantur tanquam ſubſannatorem omnis eligionis, & fautorem teterrimæ hæreſeos Arrianoum. Priores illi ſine populi ſuffragio tyrannicam dominationem ſibi arrogant, quod legem ſtatuere audent, ua quis loqui aut ſcribere debeat, quum Orator ille ummus, nec dicendi ſolum ſed & cenſendi auctor optinus, quæſierit, nec unquam invenire potuerit, quænam eſſet in vario ac multiplici eloquentiæ quaſi vulu, præſtantiſſima forma dicendi, magiſque animo & maginatione complexus eſt, quam facultate aſſecutus bſolutam effigiem eloquentiæ. Ad retundendam ejuſnodi dictatorum inſolentiam ſufficiet, ſi dicamus Eraſnum eſſe ſecutum venam & ideam ingenii ſui, quod onge conſultiſſimum arbitror, nec aliter æquabilias & uniformis tenor in ſtylo ſervari poterit. Quod i primaria dos ſermonis in eo verſatur, ut perſpicue enſa mentis evolvantur, hac laude nullus cum Eraſmo paria fecit: tam admirabili felicitate ac facilitate, vox & manus ſecuta eſt internas animi cogitationes, ut & unquam litura in ejus ſcriptionibus apparuerit, & tamen tanta lux eruditionis paſſim effulget, ut ſcires ex fœcundiſſimo pectore copiam iſtam lectiſ-

ſimæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſimæ orationis redundare. Spiritum & vitam ei debent renaſcentes literæ: nec ulla ejus ſcripta plus habent in receſſu, quam quæ minus illecebrarum & vanitatis fronte ac titulo prætexunt. A flagitio irreligioſitatis abunde hominem abſolvunt tot præclara meditamenta, quæ prorſus ſpirant veram & vivam pietatis indolem. Nam ut nihil urere poteſt niſi ignis, ita nullum artificium, nulla affectatio unquam exprimet tam nativas affectiones. aliud veritatis ingenium eſt, aliud ſimulationis figmentum. Facile cordatus judex deprehendere poteſt,

Quid ſolidum crepet, & picta tectoria linguæ.

Cur autem exiſtimetur faviſſe partibus Arrianorum cauſæ nihil erat, ſed inde arrepta eſt occaſio calumniæ, quod in Annotationibus ad Novum Teſtamentum ſæpiuſcule neget quidquam ad rem facere nonnullos Scripturæ locos, unde Orthodoxi æternitatem Filii Dei, & eandem cum Patre eſſentiam comprobari credebant. Quis vero tam hoſpes eſt in Patrum libris, ut non ſubinde animadverterit manifeſtam in iis ἀλογιστίαν καὶ ζῆλον ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. Omnibus armis præliabantur adverſus hæreticos, etiam plumbeis mucronibus, &c, ut olim augur Fabius Maximus dixiſſe fertur, ſalvis auſpiciis ea geri, quæ pro reip. ſalute gererentur, ita boni iſti Patres credebant, recte & ſapienter inſtitui, quidquid pro defenſione veritatis tentaretur. Non debuit autem ob acrius & accuratius judicium atque examen, vir optimus venire in tam atrocem ſuſpicionem, à qua ſatis ſuperque eum liberet explicatio primi capitis Euangelii ſecundum Iohannem. Salibus, & iis interdum aculeatis abundant nonnulla ejus opera, in quibus craſſos errores, & aniles quaſdam ſuperſtitiones orationis libertate perſtringit, unde orta eſt opinio contemptarum religionum: ſed norma Chriſtianæ charitatis ſuadere debuit humaniorem interpretationem. Videtur autem Eraſmus magis habuiſſe quid fugeret, quam quid ſequeretur. Vnus omnia pervidere non potuit, & rem haud exiguam præſtitit, quod in tantis ignorantiæ tenebris oculos attollere potuerit ad inveſtigandam lucem veritatis. Meticuloſior fuit, & timens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

imens offenſionum, atque hoc unice in vita ſtuduit, t omnium ordinum & generum benevolentiam colligeret. Id forſitan impedimento fuit quo minus cor-icum oculos configere auſus fuerit, & omnia iniqui-atis myſteria velo levato patefacere. Multum tamen, mo infinitum ei debet poſteritas, & forte non haberent reprehenſores ejus unde famam conſequi potuiſent, niſi ipſis dediſſet quod reprehenderent. Vale, c vive noſtri memor. Scribebam Lugd. Bat. XV. Kal. Novembris, CIƆ IƆC VI.

EPISTOLA XXVIII.

Τῷ πάνυ φιλτάτῳ Ioanni à Wouwer Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

NVnquam minus vacuo animo, nec magis impedita opera fui, tamen cogor ex negotiis undique aſſilientibus aliquid ſubſecivi temporis urripere, quod impartiar officio ſcriptionis. De * * * iniſteritate morum nihil novi nuncias. Novi quam præclarus ſit æſtimator magnorum virorum, & quam eligioſus cultor amicitiæ. Non poſſet magis idoneus udex reperiri, cujus fidei ac religioni committi poſſet, ne quid majeſtas reip. detrimenti capiat. Ille ſollicite cavet & anxie pavet, ne ſequius de ſe opinentur nautæ, caupones, ſtabularii & id genus omne, ſecurus unice quid ἄριστος Ἀχαιῶν ſentiat. Sed nec ocium eſt nec animus jocandi, ita miſere nos expilarunt ante paucos dies nocturni fures, ut vix trecentis florenis jactura reſarciri poſſit. Omnis mundus & uxoris & filiæ mutavit dominos, tranſiitque in altera jura. Me tutum præſtitit non illorum benignitas, aut Faunus Mercurialium cuſtos virorum, ſed diva πενία quæ facile habetur ſine damno. Nam, quod ad corporis induvias attinet, hoc quod indutus ſum, ſunt meæ opes oppido. Sed quod ad cenſum illum in quem furibus, & caſibus nihil licet, Craſſi vel Cræſi divitias me exæquaturum ſpero. & erit propediem forte cum reges & terrarum domini certatim hunc hominem ſibi vindicare conabuntur. Procedit editio noſtrorum poëmatium; ἀλλὰ βραδέως. Quid tum? ἀσφαλὴς γὰρ ἐστ᾽

ἀμεί-

ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης. Arbores facturæ ſeris nepotibus umbram, diu creſcere ſolent, & maxima quæque tardos habent progreſſus. Si mihi non imponit φιλαυτία, commune vitium humani ingenii, præſertim infirmiſſimi cujuſque, magnam famam aſſequemur; ſed vereor ne & malam, quia ſtylus noſter ſæpe licenter irruit per conſpectas domos magnatum, imo & monarcharum. In Pontificem Romanum forte ab orbe condito non eſt inventus qui vehementius impetum fecerit. vidiſti forſitan noſtros verſus in obitum Theodori Bezæ, quos Genevenſes ediderunt, ſed partim mendoſos, partim tractatos mala manu à Ludovico * * * qui majeſtatem Regis ſui parricidio violari putabat, quod inibi ſcriptum extaret eum auguſtos faſces decrepito ſeni ſubmiſiſſe. At ego illum jubeo res ſuas agere, & nihil majus homini optare poſſum quam bonam mentem. Certe extra territorium & ſupra juriſdictionem ſuam jus dixit, quod auſus fuerit contaminare majeſtatem noſtrorum carminum. Non ſic abibit. Sed ne animi gratia, & ob rem tantillam videar appetiiſſe ſimultates hominis non inofficioſi, nec aſpernandæ authoritatis in regno judiciali, in quo ſpes mihi metitur mille aureorum. Supprimam nomen aut honorifice circumſcribam, ne poſſit offendi. Sed quia forte hæc tibi erunt obſcuriora foliis Sibyllæ, rem paucis attingam. Dederam cuidam ſtudioſo Genevenſi reverſuto in patriam utrumque carmen, nimirum heroïcum & trochaicum. Is iter habuit per Lutetiam, ubi non malo quidem zelo ἀλλ᾽ οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν verſus iſtos oſtendit illi quem ante retuli, cujus mores & captum judicii non ignoras. Is ut oſtenderet ſe ſapere plus multo quam Thalen Mileſium, cum in humanioribus diſciplinis ſit inſipientior barbaro Potitio, ſumpſit ſibi cenſuram ſine populi ſuffragio, & pannum intexendum curavit noſtræ purpuræ. Scilicet veritus eſt ne ex Beza Papam facere viderer. quaſi regia majeſtas deſtrueretur, quum ſe ultro ſubmittit in officia familiaritatis. Sed nimis multa verba perdo in re nihili. Interim ubi ad eum locum pervenerint operæ typographicæ, cauſam hanc proſa oratione agam haud indiligenter; ut intelligat corrector, cauſæ non fuiſſe cur tam

tyran-

rannicam authoritatem ſibi arrogaret. Præſagit etiam ihi animus fore ut totam * * * manum infenſam haturus ſim. Inprimis monſtrum iſtud informe, ingens i lumen ademptum, Amphitheatri editorem. οὐ φιλὶς Ἱπποκλείδῃ. Sentient qui vir ſum, nec flebo ut ltus puer. Quod carmen noſtrum præfixum Euſebio aligeri tantopere extollis, amore peccas itidem ut ſaubonus. Videmini enim uterque de compacto eſſe, ut mihi palpum obtruderetis, adeo non judicia tum veſtra, ſed & verba conſpirant. Me quidem ejus ud pœnitet, ſed quum videbis pene quingentos heicos verſus ad magnæ Britanniæ regem, quos paucious diebus effudi, videbis multos quorum ne Virium quidem heroëm puderet. Putabam me effudiſſe idquid habebam generoſi ſpiritus in heroico carmi ad Reginam Elizabetham, at ubi cæpi excutere vires genii, nova ſe rerum verborumque facies obtulit, anquam in conſimili argumento. Dehortamur enim incipem illum, ne fœdus feriat cum Hiſpano: ſerius quidem quam decuit, οὐ γὰρ ἔτι αἰθαίρετος ἡ βουλία, l tamen minus intempeſtive quam umbraticus ille eror Iſocrates, qui plus temporis inſumpſit in connanda oratione ſua Panegyrica, quam Alexander agnus in ſubjugando orbe terrarum. Proſecutus ſum iam haud peſſimo carmine Everhardum Tweſtrenum, quum eſſet publice diſputaturus, in quo peronorificam patris mentionem inſerui. Faceret rem on indignam magnanimo conſule, nec ſibi aut poſte probro futuram, ſi vati, cujus ſacculus plenus t aranearum, mittendum curet ſcyphum argenteum l deauratum, utrum malit; ὅτι μοι κειμήλιον ἔςαι. uod habui ſummum pretium, perſolvi bono juve, nimirum immortale nomen, aut ſaltem diuturum:

——*Sui ſi qua eſt merito fiducia forti.*

itto tibi Odam ad communes delicias noſtras, & flom juventutis veſtræ Fredericum Bertramum, ut pater intelligeres & memorem me fuiſſe promiſſi, & on oblitum nominis tui. Non judicabis forſitan hoc onumentum de meliore nota; ſed ſi noris quam ſit duum, Odam componere, aliter ſenties. Vnus & unicus

unicus Horatius in eo genere regnat, & omnes infinito intervallo poſt ſe reliquit. Audeo dicere facilius eſſe aſſequi τὸ ὕψος καὶ τὴν σεμνότητα Virgiliani carminis quam illius curioſam felicitatem. Si inde aliquid obveniet, unde caput unctius reportem, penes te erit meriti gratia, nec indigni videmur quorum ratio habeatur. Quod de illuſtriſſimo Duce Brunſwicenſi ſcribis, vellem ut vis. Sed an non nimis pelluceret ærugo & ſuccus loliginis? Etſi meæ res ſunt pauperculæ, tamen inter anguſtias fortunarum ſemper ero retinens Baudianæ generoſitatis. Erneſtum ſperatum ejus generum, dabo operam ut conveniam, & è re nata conſilium capiam. Proviſa mihi ſunt in corde conſilia, quibus præclaram fortunam exædificare poſſim. Lantgravio Haſſiæ dedicaturus ſum duos Odarum libros. De tribus heroicorum carminum etiamnum delibero. Duos Iamborum moralium inſcribo principi Britanniarum. Supereſt materies unde quatuor ad minimum libri exſtruantur. Valde videtur μικροφιλότιμον καὶ μικροφυὲς tot exiguis voluminibus tam magnos Mecænates prætexere. Sed fama & favor ſæculi me forte abſolvent ab omni nota vanitatis. οὐ γὰρ ἀπὸ δρυὸς exſculpuntur ejuſmodi Mercurii. Sed tempus eſt deſinendi ineptiarum. Vale & nos ama. Datum Lugduni Batavorum 26. Novembr. cIↃ IↃ c VI.

EPISTOLA XXVIII.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HEri à cœna redditæ ſunt mihi literæ à D. Milandro cum adjuncto carmine. Cepi protinus impetum reſpondendi, & quidem mirifico genere carminis, quod tibi non injucundum nec prorſus inhumanum viſum iri confido. cujus hic etiam ſpecimen vides. Heſterno mane invaſit me hic morbus, quem inhibere non potui, nec tamen nimium indulſi. quia nunc longe altior me cura domat. hæreo inter ſacrum & ſaxum, nec tamen poſſum obliviſci nugarum. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν. Recte & ordine te facturum puto, ſi in tempore ad hominem veneris, quod rerum omnium eſt primum, ut nos docet Comicus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cus. Sed næ inſcitus ſum qui memorem moneo, & ctorem docere poſtulo. Nondum auſpicatus ſum nom Profeſſionem, nec id fiet ante proximum diem vis, quia deſidies noſtra timet omen diei Lunæ ſcilet, & proverbiis etiam plebis commovetur. Rogo exores optimum virorum D. Mylium, ne hanc ἀμελεργίαν ægre ferat. *Dimidium facti qui cœpit habet.* o tum etiam ſapere audebo, & ubi ſemel glaciem uero, non committam ut amplius in mora ſim, niſi ajor vis aut cauſa ſontica voluntatem meam imperit. Vale. Raptiſſime x. Martii, cIↄ Iↄc vII.

In librum quendam recens editum.

PRodiit horribilis liber εἰς φάος ἠελίοιο,
Quem ſatius fuerat δόμον εἰς ἀΐδαο περῆσαι,
Atque ibi cum domino κλαίειν τε καὶ ἄλγεα πάσχειν.
Non hominis facies, ἀτὰρ ἠεροφοῖτις Ἐριννὺς
Suſtulit hoc monſtrum δειλοῖς μέγα πῆμα βροτοῖσι.
Tale nihil videre οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι,
Condidit ut mundum κράτος ἀθανάτοιο θεοῖο.
Quid primum, quid deinde, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;
Stultitiæ ne prius μεμνήσομαι ἢ κακότητος;
Hæc meret acre odium, ταύτην θέμις ἐστ' ἐλεαίρειν.
Vtraque paret ubique μεσημβρινὸν ἠΰτε φέγγος,
Sed magis improbitas καὶ ὑπέρβιος ὕβρις ἐναργής.
Peſtis & atra lues, πᾶ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι;
Quis te ferre queat, σὺ γὰρ μαίνεαι οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς.
Si genus humanum καὶ ἐπιχθονίους ἀνθρώπους
Nil metuis maleſanus, ἐμεῦ τ' ὄπιν οὐκ ἀλεγίζεις,
At ſuperos verearis, ἔχει Θέμις ἔκδικον ὄμμα.
Iuſtitia haud fruſtra μεγάλου Διός ἐστι πάρεδρος,
Supplicia expendes ſcelerum, τὰ σὺ ὦ μέγ' ἀναιδὲς
Evomis in cunctos ὅσοι εὐσεβίην φιλέουσιν.
Vtque alios taceam, τῶν οὔποτε κῦδος ὀλεῖται,
Quid te impurius eſt, τίς ἀτασθαλίην σοὶ ἐρίζοι;
Qui non es veritus κακ' ὀνείδεα μυθήσασθαι,
Et violare probris τηλέκλυτον εὖχος Ἰούλου
Scaligeri herois, τοῦ μή τινα φημὶ γλύεσθαι
Majorem virtute virum σοφίῃ τε νόοιο.
Nec patre degenerat μεγάλου μέγας υἱὸς Ἰωσὴφ,
Quos duo devenerantur, ὅσοις τὰ σεβαστὰ μέμηλε.

Sed

Sed tua jam pueris λαοῖσί τε πᾶσι τέτυκται
Facta nefanda palam, καί σε στυγέουσι φίλοι περ.

EPISTOLA XXX.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HOdie conveni Syndicum noſtrum, ut ab eo impetrarem actum quo ſum allectus in ordinem Profeſſorum Iuris. Ille tanquam rem novam auribus meis & atrociſſimam nunciaret, ſignificavit mihi certo certius futurum ut exploderer. Reſpondi verſu Virgiliano,

Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi:

nec me tam eſſe degeneris animi, ut terrerer vaniſſimo ſtrepitu imperitorum adoleſcentum; præſertim quum non ementitis auſpiciis aut emendicatis ſuffragiis perveniſſem ad eum honorem, ſed enucleato veſtro judicio, quod ſummo conſenſu ſecutus eſt hujus urbis Senatus. Malo me onere officii opprimi, quam munus tali auctoritate firmatum vel per ignaviam abjicere, vel turpi prævaricatione deſerere. Sed pleriſque perſuaſum eſt, ubi in rem præſentem venietur, deſtitutos à præcipiti concilio ſatellites ſeditionum. Multo enim plures & honeſtiſſimi quique ſtant à noſtris partibus, ex gente Germanorum, Polonorum, & Gallorum nullus, ut audio, adſcribi ſe paſſus eſt in eum numerum.. ſed oppugnor præcipue à Batavis, Phryſiis, Geldris. Objicitur mihi peregrinitas, & intermiſſio ſtudiorum Iuris. nam iſtiuſmodi ſcilicet dictatores vitio creati, ſeu potius turbulenti tribuni, permittunt ſibi licentiam, ut etiam, de majeſtate noſtrarum curarum ſententiam ferant. Verum nemo eorum palam præ ſe fert animum obſiſtendi meis utilitatibus; ſed hæc opinio animis eorum inſedit, fieri atrocem injuriam iis qui tot per annos inſtitutionum libros in orbem circumegerunt, quorum ſcilicet artificium peribit, & omnis ſpes ad altiora contendendi decollabit, ſi illis collega Baudius adjungitur. Sed nimis exorbito à ſemita priſtini ſermonis quem habui cum D. Seiſtio. Quum inſtarem ut traderet mihi inſtrumentum lectionis, de quo ſupra retuli, & quidquid periculi aut invi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nvidiæ impenderet, id nobis exedendum relinque-
ret. dixit viſum Conſulibus, ut tantiſper ab ea provin-
ia ſuſcipienda ſuperſederem, dum veſtram ſuper ea re
ententiam cognoviſſent. Quamvis hæc dilatio nonni-
il incommodæ opinionis adferre poſſe videbatur exi-
timationi noſtræ, & *tardum eſt differre quod placet*; ta-
nen parendum eſt iis, quorum fidei ac curæ permit-
itur, ne quid reſpublica detrimenti capiat. Ego ſi mihi
onſcius eſſem me jure cuiquam bono eſſe inviſum,
on tantum non paſſus forem nova me Profeſſione im-
licari, ſed veteri potius renunciarem. Verum D. D.
onſules, quantum ex eo intellexi, verentur ne res
rumpat in capitales rixas aut pugnas. Ego interim
unquam deſciſcam ab ingenita morum indole ac ge-
eroſitate: nec objectis precibus paciſcar, ut mihi au-
es impartiri dignentur. De tota re ſollicite exſpecto
uid decreturi ſitis: jam enim eo ventum eſt, ut non
t mihi integrum referre pedem ſine conſcientia imbe-
llitatis, vel nota inconſtantiæ, ne quid dicam de ve-
ra auctoritate, quæ per meum latus ſauciatur. Vale
ir obſervande. Scribebam raptiſſime VII. Kal. April.
Iↄ Iↄc vii.

EPISTOLA XXXI.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

ETſi non ſit ſine periculo facinus magnum & me-
morabile, nec quiſquam nihil audendo immor-
talis factus eſt: tamen ſi animo auguratus eſſem,
ore ut præ demerendi ſtudio tantas invidiæ tempeſta
es ſubeundas haberem, non deſcendiſſem in campum
etitor novæ acceſſionis laborum, ut pro mercede ge-
eroſæ voluntatis, incurrerem in odia imperitorum
doleſcentium, quibus omnino decretum eſt me explo-
ere, nec video qua ratione placari poſſint. Nam ad
e quod attinet, emortuum me malim, quam ut iſtiuſ-
odi ſtolidæ mentis aſellis palpum obtrudam, nec vo-
is eo nomine quidquam moleſtiæ exhiberi cuperem,
ſi periculo veſtræ auctoritatis & exiſtimationis meæ
lia turbellarum molimina ſtruuntur. Ajunt etiam
ſum N. affirmaſſe, ſibi eſſe in animo poſt ferias Pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

chatis repetere priſtinam conſuetudinem quater in ſeptimana legendi. quod tamen vix adducor ut credam: nam, niſi me credendi facilitas decipit, homo eſt minime duplex, qui aliud in lingua promptum, aliud in ſinu pectoris clauſum gerat. fuit autem multus mihi cum eo ſermo pridie ejus diei quo Hagam ſum profectus. nec vocem ullam elicere potui quæ huic ſuſpicioni materiem præberet. Quidquid eſt, video longum mihi fore certamen cum collegis, quorum benevolentiam omni artificio demereri ſtudeo, ſed nolim placare invidiam virtute relicta. Proponebat Syndicus Seiſtius hoc emplaſtrum ad leniendam animorum acerbitatem, ſi anteſtarer, me nulla in re velle ipſis officere, nec impedire ſperata commoda longinquæ militiæ. Paratus ſum quidlibet aſſentiri, nec video quid inde detrimenti nobis metuendum, aut emolumenti illis ſperandum ſit. Ea enim pactio nihil derogabit de libertate veſtrorum ſuffragiorum, ſi ſucceſſu temporis liventem divam officii aſſiduitate & conſtantia pervicero. Ad ſummam, auribus lupum teneo, niſi quod me ad audendum hortatur εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης, mihi pro fide ſatis animi eſt, ſed naturæ meæ lenitas & mollicies non feret ut diu vivere poſſim vitam inviſam iis, quorum uſibus & commodis munera noſtra devoventur. Scio optimum eſſe beneficentiæ genus invitis ac repugnantibus prodeſſe; ſed fruſtra ſurdo narratur fabula. Neſcio quis etiam rumor mihi ad aures accidit, eos aut libello ſupplici, aut vivæ vocis oraculo preces perlaturos ad vos, ut dempto onere novæ Profeſſionis, idem tamen honorarium haberem, quod eo nomine decreviſtis. Id quidem me non illibente fieret, ſed vereor ut perſuadeant. Verum nimis longo ſermone patientiam tuam demoror. Extremum erit, ut meminiſſe digneris miſeri illius captivi, Lombardi quidem, ſed tamen hominis minime mali, nec unquam meriti, hoc præſertim morum ac temporum ſtatu, ut ob æs alienum tamdiu carcere retineretur. Obtinuerat ante annum literas ab Ordinibus, ne cuiquam eſſet in eum manus-injectio intra menſes duos. pendente eo tempore tranſegit cum creditoribus. quo facto putabat ſe eſſe extra periculum incar-

incarcerationis: ſed ex tranſverſo ſupervenit Curia Provincialis, cujus juſſu & mandato pene jam per annum caret libertate. Socero tuo tota res nota eſt, nec abhorret ab humaniore ſententia. ſi acceſſerit tuæ commendationis cumulus, ſpes eſt confieri poſſe, quod dudum optant multi boni viri. inter quos Tuningius, Pinackerus, & ego. Vale, vir eximie, & libertatem ſcribendi noſtram æqui bonique conſule. Datum Lugduni Batavorum, VI. Kalend. Aprilis, CIƆ IƆCVII.

Grotii literas accepi, indices tenerrimi erga nos amoris, cui immenſum me debere fateor.

EPISTOLA XXXII.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ANimi incertus ſum, quid agam. Sunt qui omnes tergiverſationum moras abrumpendas eſſe ſuadent, & horſum tendit θυμὸς ἀγήνωρ. ſed tamen αἰδέομαι Τρῶας, ſi quid immutem de ſolemnibus. nec enim ſalvis auſpiciis ad rem aggreſſurus videor, niſi prius ad manum præſto ſit præclarum iſtud Inſtrumentum. Plerique cenſent optimum factu ἀναβάλλεσθαι εἰς τ' αὔριον εἰς τ' ἔννηφιν. ego vero vel ad Kalendas Græcas rejicere paratus ſum exploſores meos, dum uſuræ currant. per me certe non ſtat quo minus incipiam. Putant tempore & mora refrigeratum iri ardorem juvenum leviſſimorum, & omnia in tranquillo futura, ſi auſpicer ſtatim à feriis Paſchalibus. tunc enim pleroſque turbarum principes abfuturos. neque enim oppugnamur niſi à popularibus tuis, qui peregrinitatis incuſant Baudium. forte, quia loquela eum manifeſtum hujus criminis facit. Hoc mane ſtrinxi in eam manum paucos hoſce verſus μιξοβαρβάρους, quos ideo mitto ut ſcias me etiam tali meo tempore jocari poſſe.

Corde nefas meditantur ὑπέρβιον ὕβριν ἔχοντες,
Conjurataque turba νέων ὑπερηνορεόντων
In caput hocce ruent, ἐθέλουσι τε μῶμον ἀνάψαι.
Quorum Therſites στάσεως ταγὸς εὔχεται εἶ),
Militiæque caput, τῷ δ' ἀφρονέοντες ἕπονται.
Non pudor, aut probitas, οὐ σφὶ νόος ἐστὶ θεουδὴς,

Sed vigor inſtrepitu, καὶ ἐπὶ ποσὶ κάππεσε θυμός.
Quid faciam ſuades, φέρε Γρώτιε κῦδος ἀοιδῶν;
His ego ſim ſupplex? θανέειν πολὺ κέρδιον εἴη.
Talis enim fuit ira μίνυνθά περ οὔ τι μάλα δήν,
Nec metuenda viris οἷς ἀγλαὰ ἔργα μέμηλε.
Ibo animis contra, τολμᾶν δ' ἐμὲ θυμὸς ἀνώγει.
Certus enim jubet auctor ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης
Magnanimus Mylius οἰωνοπόλων ὄγ' ἄριστος.

Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavor. IV. Kalend. April. cIↃ IↃC VII.

EPISTOLA XXXIII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

IS qui haſce literas tibi reddet homo eſt bonarum partium, mihique amiciſſimus, cui tuto credi poteſt ſi quid exiſtimabis è re noſtra eſſe ut ſciamus. Hodie miſit ad me D. Syndicus inſtrumentum, pro quo mihi ſunt tanta bella pugnanda. quæ quidem prompto & paratiſſimo animo ſuſciperem, ſi aperta petitione nos invaderent ii, quorum invidia & periculo ſeditiones iſtæ ſtruuntur. ſed quia per cuniculos res geritur, hebeſcit acies noſtræ generoſitatis. Decreveram prorſus vel auſpicandi cauſa ſuggeſtum adſcendere ante ferias Paſchales: ſed Syndicus auctor fuit ut breve tempus iſtud effluere ſinerem, idemque tibi & collegæ tuo videri aſſeveravit. Iam, ut audio, detepeſcit impetus noſtrorum Turbonum, & à conſilio exploſionis traducti ſunt in eam ſententiam, ut ſperarent vos gravi ſcilicet rationum pondere & conſenſu tot heroum adduci poſſe, ne novam provinciam inirem, ipſique decreta veſtra reſcinderetis. Ajunt me non idoneum, nec parem futurum huic muneri. tum autem more novum & exemplo pernicioſum eſſe, duas ſimul profeſſiones ſuſtinere. id ne quidem in D. Iunio (at quali viro!) potuiſſe tolerari. Quid multa? quotidie comitia fiunt de capite & fama noſtri nominis ab iſtis præclaris cenſoribus: & ut quiſque intemperantius in nos debacchatur, ita inter eos rerum potitur, & totam plebem facit ſuam. Nemo tamen è Germanis, Polonis, & Gallis ab eo-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rum parte ſtat, ſed palam hæc militiæ flagitia aſpernantur. Oblitus eram annotare egregiam clauſulam, quæ me conſentiente inſerta eſt actui, de quo ſupra retuli. nimirum, Curatores Conſuleſque nulla in re quidquam velle præjudicatum juri primæ ſedis, quam hactenus Inſtitutionum profeſſores obtinuerunt. Si quid haberent ingenui ſanguinis, deberet illos pudere & jejunæ ambitionis & contumelioſi honoris. Nos contenti vivimus vera virtute, quæ non eſt ſita in titulorum inſignibus, ſed in conſcientia cujuſque, ſed in judiciis bonorum. Mihi pluris eſt tua unius benevolentia, quam quidquid uſquam eſt æmulorum laude aliena dolentium. Vt ille vetus aulæ cliens & purpuræ cultor, rem difficillimam & paucis datam aſſecutus eſt, nimirum Senectutem, injurias accipiendo & gratias agendo: ſic ſpero me conſtantia recte faciendi tandem invidiam debellaturum. Hoc & Heinſio noſtro videbatur, nec aliter ſentire ſcio Hugonem Magnum. quem, ſi commodum eſt, plurima ſalute rogo impertias. Vale, pridie Kal. April. cIɔ Iɔc VII.

EPISTOLA XXXIV.

Danieli Heinſio Dom. Baudius S. P. D.

Lugd. Batavorum.

DVlce periculum eſt, aut, ut cum Heſiodo tuo loquar, ἀγαθὴ ἔρις ἥδε βροτοῖσιν, officio & benevolentiæ ſtudiis inter ſe contendere. Nam in eo genere certaminis qui victoriam reportat, immortalem gloriam aſſequitur, & à bono vinci nullum eſt probrum, imo laudi apponitur, ſi is qui receſſit inferior, ſibi conſcius ſit nihil eſſe ab ſe prætermiſſum, quominus aut par aut ſuperior evaderet. Quum igitur ex uberrimo proventu Poëmatum tuorum, eam mihi partem dedicaveris, in qua præ cæteris viſus es omne myrothecium Veneris, omnia Cupidinum pigmenta conſumpſiſſe: geſtiebam & ipſe hanc tuam liberalitatem remunerari quam ſimillimo munere. Sed quum diligentius excuterem vires patrimonii, quod vatibus dono Muſarum obvenit, non reperiebam in bonis quæ functionem in ſuo genere reciperent unde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nomen expungere poſſem, ſi ex lege mutui mecum experiri in animum induceres. Verum ut in beneficio tuo non tam κτήματος δόσιν, quam τιμῆς σημεῖον ſpectari oportere judico: ſic tu quoque animum noſtrum referendæ gratiæ cupidum metieris, non indicatura & æſtimatione muneris, ſed propenſa tribuentis voluntate, quæ in ratione officiorum utramque paginam facit. Viſum eſt itaque pro Nuptialibus tuis Mortualia rependere, hoc eſt, ut Romane loquar, vere nugas. Sed quantum ab elegantia ſtyli, & à genio feſtivitatis noſtra deſeruntur, ultroque faſces tibi ſubmittunt, tantum forte gratiæ merebuntur apud ſeverioris notæ judices ob argumenti & ſerietatem & utilitatem. Quid enim in univerſo vitæ curſu contentius meditari decet, quam conditionis humanæ fragilitatem, cujus extremum mors occupat? ut non ſine gravi cauſa videantur majorum gentium philoſophi ſapientiam definiiſſe, perpetuam mortis commentationem. Non quæro jam curioſius, qua mente quove ſenſu pronunciarint hoc effatum. Illud liquet affirmare, nullum eſſe ſtudii genus æque neceſſarium mortalibus, ut eſt moriendi diſciplina, quam qui per totam vitam imbibit, huic optima conſtat & temporis & impenſæ ratio, licet ad Tithoni aut Neſtoris ſenectutem hoc ſolo inſtructu paratus devenerit. Quocirca quum in annalibus geſta moreſque clarorum virorum intueor, nullam actionum partem accuratius examinare ſoleo, quam noviſſimum tempus ætatis, & illum decretorium diem, qui de ſumma vitæ fert ſententiam.

—— Mors ſola fatetur
Quantula ſint hominum corpuſcula.

In cæteris actibus mimum & hiſtrioniam exercet fallax Iapeti genus: in hac cataſtrophe cuncta velo levato geruntur, nec ullus eſt ſimulanti locus. Sed jam nec otium datur nec animus fert ut ſententias loquar, etſi larga materies ſe aperit in qua nemini deeſſe poſſit oratio. Verum hæc dies aliam vitam, alios mores poſtulat, &, ut rem natam intelligo, repudium mihi renunciandum erit deliciis atque amoribus Muſarum,

Et quantum eſt Venerum Cupidinumque.

Non enim te præterit, quanta nunc huic homini ſurgat

gat inopina facies laborum, quanta tempeſtas invidiæ ſubeunda ſit ob nimis benignam Curatorum noſtrorum Conſulumque hujus urbis de nobis opinionem, à quibus recenter ſum novæ profeſſionis honore oneratus. Scio quam difficile factu ſit, duas ſimul eaſque perquam graves perſonas ſuſtinere: ſed quando nunc jacta eſt alea, τῷ παρεόντι τρέχειν ἀνάγκη. nec alio genere februorum decrevi placare κακὴν ἔριδα, niſi conſtantia recte faciendi, & ſuccumbam potius ſub injuſto faſce delegati muneris, quam ut ῥίψασπις ἢ λιποτάκτης argui queam, nec, quod in me erit, patiar hebeſcere eorum auctoritatem, quorum curæ & fidei permittitur, ut provideant ne quid Academia noſtra detrimenti capiat, utque optima lege muniatur ſalus ac dignitas ſtudiorum.

Hoc Iovem ſentire Deoſque cunctos
Spem bonam certamque domum reporto.

Addicit pulcherrimum auſpicium,

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Cui ſuffragatur Maximus ille, qui cunctando reſtituit rem, quum obnuntianti collegæ reſpondit, Salvis auſpiciis ea geri quæ pro communi utilitate gererentur, quæ contra rempublicam fierent, contra auſpicia fieri. In hac generoſa voluntate perſeverabo, donec uſurpabo oculis (nam videre pervulgatum eſt nimis) γλυκερὸν φάος ἠελίοιο. Vides me tam eſſe defæcato animo tamque ex conſcientiæ fiducia ſecurum, ut etiam ridere & jocari libeat in re capitali mea. Quid vis faciam? languori me dedam ſcilicet aut mœrore conſeneſcam?

Hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ.

ἐγὼ δέ τις οὐ ταχυπειθής. Vt olim Miltiadis trophæa exſuſcitabant è ſomno Θεμιστοκλέους λάσιον κῆρ, ita mihi θῆκε μένος καὶ θάρσος mens recte ſibi conſcia. Nec vero turpe eſt fateri nos etiam dulcedine quadam gloriæ permulceri, qua mentes ſapientium etiam fatigantur. Τὴν γὰρ κενοδοξίαν ὡς τελευταῖον χιτῶνα ἡ ψυχὴ πέφυκεν ἀποτίθεσθαι. Ergo ut hortatur vetus Poëta, ποιεῖν τι δεῖ οἷς γόνυ χλωρὸν, ſi non amore ipſius honeſtatis & ſola conſcientiæ mercede, ſaltem ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. Novo ſum & inuſitato genere ſcribendi uſus, ut vel hinc colligeres, minime vulgarem eſſe

benevolentiam qua te amo æſtimoque. Metam votorum attigero, ſi etiam poſteritas ad curam & cogitationem ſuam pertinere judicaverit, ſcire quanta inter nos exſtiterit & ſtudiorum ſocietas, & naturæ ſimilitudo, & conſenſio conſpiratioque animorum. Si non ingenii dotibus aut operum monumentis famam extendere potero, ſaltem ingenuo animi candore ſpero me conſequuturum, ut bonum nomen haberi debeam. cui titulo nullum honorem, nullam lauream anteponent, quicunque expreſſam virtutis ſpeciem, non adumbrata ſigna, complectuntur. Te ſcio in eadem eſſe ſententia, nec alia mens eſt Grotio noſtro, quem tecum ſalvere & bene rem gerere ſpero voveoque. Vale. Scripſi VI. Eidus Apriles, CIↃIↃCVII. quo die quadrageſ. ſextum vitæ annum explebam.

Diſerte vates, cura corque Muſarum,
Clarum Lycei lumen ac decus noſtri:
Quem fama cœtus inter eruditorum
Solvi dolente fert in arduum penna;
Si noſtra ſcripta, ſi labos diurnabit
Perennitatis auſpicante ſucceſſu;
Agnoſcet ætas genſque conſecutura,
Nos invicem vixiſſe mutuo nexu
Vinctos amoris, nulla quem dies rumpet.
Non exoleſcit morte ſanguis heroum,
Nec anima tradux illa cœlitis flammæ
Lethi vias inſiſtit & domum Ditis.
Corpus beatæ mentis hoſpes anguſtus,
Terræ ſolo debetur, unde concrevit.
At ingeni monumenta non vident manes.
Hac lege ſancta fœderatus, hoc pacto
Probri carente, me tibi dico totum.

DANIELI HEINSIO,

VIRO DIVINIS ANIMI, INGENII, VIRTVTIS AC DOCTRINÆ LAVDIBVS EVECTO SVPRA SORTEM ÆTATIS ET GENIVM SÆCVLI, COLLEGÆ CONJVNCTISSIMO, DOMINICVS BAVDIVS HOC MANVS AC MENTIS SVÆ PIGNVS AD AMICITIÆ ARAM DEPOSVIT LVGDVN. BATAV.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Epistola XXXV.

Nobiliſsimo Iuveni Friderico Bartramo ab Alefeld Dominicus Baudius S. P. D.

ETſi graviorem teſtem mei propenſiſſimi erga te ſtudii, atque amoris non habeo, quam θείαν κε-φαλὴν καὶ φίλτατον ἐμὸν ὄνομα Ioan. Wouwe-ium, qui unus optime omnium novit, quantum te nuoſo in pectore fixerim: etſi etiam excludor ſpaciis iiquis, quo minus longos ſermones texere poſſim; amen nefas & piaculum me facturum putavi, ſi ſine nearum literarum commeatu comitatuque ad vos re-ertteretur. Omnino tibi confirmo, & ex animi ſen-entia conceptis verbis jusjurandum dare paratus ſum, eminem vivere in terris ex flore nobilium, cui magis elim. Vtinam majus aliquod pignus & monumen-um hujuſce flagrantiſſimi affectus offerre poſſem, uam tralatitias verborum formulas *& pictæ tectoria nguæ*, ut loquitur Satyricus: Forte aliquando illu-eſcet ille dies, qui me ex parte voti compotem faciet. arentis tui viri honoratiſſimi & omni laudis exemplo ingularis obitu vehementer indolui. Quanquam nil oſtulas, tamen tanto magis obſtrictum me ſentio, ut erois famam memoriamque licet ſua luce fulgentiſſi-nam, aliquo Muſarum noſtrarum teſtimonio conſe-rem poſteritati. Cujus rei ſyngrapham eſſe cupio ianc Epiſtolam, non quod gratiæ mihi apponi poſtu-em ejuſmodi operam, virtutibus ſuo jure debitam, ſed ie dilati officii moram ſequius interpreteris. Vale Iu-venum nobilium decus, & nos ama. Prid. Non. April, cIↄ Iↄc vii.

Epistola XXXVI.

Incomparabili amico Danieli Heinſio Dominicus Baudius S. P. D.

ET munus tuum prorſus eſt πάσης χλιδῆς ἀντάξιον ἀντερύσασθαι, & adjuncta muneri epiſtola auro contra non cara. Quod me judicem recu-ſares non erat opus. ipſe enim novi vires meas, & uſu meum facere cottidie meditor illud in omni vita ſalu-berrimum, ne ſutor ultra crepidam. docent etiam nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ICtorum παῖδες ſupra juriſdictionem ſuam jus dicenti
impune non pareri. Nonnihil aliquando vel impetu
profudimus, vel cura ſtuduimus expolire, ſed cum di-
ſpares partus noſtros cum fælicibus monumentis tuis
comparamus ἐπὶ ποσὶ κάππεσε θυμός Cæterum beni-
gne facis quod ut forum noſtrum declinas ita amicum
non excludis. Nam admiratio quæ tuis operibus de-
betur, ad omnes quidem in univerſum pertinet ὅσοι
ἐπὶ χθονὶ μούσαις καὶ χάρισι θύοντες διατελοῦσι, ſed præci-
pui quodam jure potior eſſe debet eorum ratio qui te
propiore gradu amicitiæ contingunt. inter quos tan-
tum mihi de præſtanti humanitate tua polliceor, ut
ſperem locum non humilem ac degenerem huic homi-
ni aſſervari. Non eſt periculum ne nimius ſim in eo
quod ſummum eſſe debet. cum omnia maxima puncto
meo virtutibus tuis detulero, minus tamen præſtitero
quam mente complector, quamque excellens inge-
nium tuum poſtulat, cui nihil ad ſummam deeſt quam
ſæculum capax & intelligens tam rari muneris quod
terris contulerunt θεοὶ δωτῆρες ἐάων. Habes non judi-
cium meum neque enim pateris, nec ipſe mihi tantum
arrogo, ut de majeſtate laudum tuarum ſententiam fe-
ram, ſed teſtimonium religioſi & minime duplicis a-
mici, qui te ex animo obſervat & veneratur.

EPISTOLA XXXVII.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hag. Comitis.

IVre gloriari poſſum cum Solone, quem ſcis fuiſſe
& unum è ſeptem ſapientibus, & legum ſcripto-
rem ſolum ex ſeptem: Γηράσκω αἰεὶ πολλὰ διδα-
σκόμενος. Hodie plurima imperii arcana didici, quæ
heſterna die me latebant. Huc ſumma ſummarum re-
dit, ut non ſit mihi fas auſpicari novam profeſſionem
ante adventum D. D. Curatorum, ne fruſtra te in viam
des. οὕτως δέδοκται τῇ βουλῇ in qua non eſt nobis jus
ſuffragii, ſed neceſſitas parendi decretis, niſi videri ve-
limus infractores pacis & perturbatores publicæ tran-
quillitatis. Reſcivi τὰ καθ' ἕκαστον ex Magnifico Re-
ctore, qui vir minime eſt τοῦ πονηροῦ κόμματος, nec no-
bis inimicus auras vitales carpit. Acceſſit & Conſulum
auctori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

auctoritas, qui ſibi ſummæ curæ futurum ſpondent, ut & noſtra exiſtimatio nihil detrimenti capiat, & ſanetur vulnus invidiæ: quam nullo merito conflavi, niſi crimen eſt prodeſſe publicis utilitatibus, & nolentes etiam repugnanteſque afficere beneficio. Videntur noſtri Conſules haud difficulter adduci poſſe, ut nihil deradatur ex honorario jam decreto, & tamen decedat invidiæ irritamentum, labor novi muneris. Ad eam rem obtinendam & Magnificus, & D. Arminius, certatim ſtudia ſua pollicentur. Ego non tantum ratum habebo, ſed gratum, frui commodis ſine onere. Quis enim aſpernetur beneficium ſine cura, θεῶν τ' ἐρικυδέα δῶρα; niſi cui aliquid ſit in ſincipite cognatum cum IC. Iaboleno? *Si tantus amor caſus cognoſcere noſtros*, rem omnem audire poteris ex Syndico, qui nunc eſt apud vos. nam me quidem nunc tædet longæ ſcriptionis. heri enim ut à vobis diſceſſi, delatus ſum comitate D. Præſidis in epulonum collegium, aut potius ſtrenuorum combibonum. erat enim ibi ** eximius cum ſuo ſibi fratre. Multus mihi cum ipſo Præſide ſermo fuit, non ſolum de lite ex qua nobis optima ſpes prædæ metitur, ſed de veteri familiaritate quæ mihi cum illo interceſſit. Omnino juſſit me confidere, hac aut proxima hebdomade rem judicatum iri. Si præpotens ἐνδεοπλεσίων collegium veſtræ juriſdictioni attribuerit cognitionem noſtrorum carminum, partiemur manubias, & faciemus bonum cherubim in camera caritatis. Vale, & ignoſce ſcribendi incuriæ. alias erimus diligentiores. Dat. Lugdun. Batav. VII. Kal. Majas, cIↃ IↃc VII.

Salvere plurimum jubeo omnes convivas veſtros; jure præcipui autem Borelium.

Epistola XXXVIII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ET cauſam illam tibi commendo, quam ſuſcepi adductus officio humanitatis, ſed inprimis rogo te & obteſtor per genium familiaritatis, quam mihi tecum eſſe pateris, ut D. Præſidi Veenhuſio de meliore nota commendes cauſam, in qua nobis meti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tur ſpes trium millium florenorum. Iampridem eſt in ſtatu judicandi, nec quidquam obſtat quominus ſententia feratur, ſi ſerio in eam curam incumbat affinis tuus. Is, cujus præcipue res agitur, heſterna die mihi pollicitus eſt trecentos florenos, ſi lis terminari poſſit ante feſtum Pentecoſtes. Vir ſapiens non abhorrebit ejuſmodi ſummam: mihi certe nihil poſſit oportunius evenire. Res non erit difficilis ad impetrandum, ſi gratiæ tuæ vim effundas in exorando D. Præſide, à cujus arbitratu negotium pendet. Adverſæ partes, quarum omnis ſpes ſita eſt in fugiendo & tergiverſando, moverunt nobis controverſiam attentati ob manus injectionem factam Pariſiis, ſed ea res non debet remorari principalis cauſæ deciſionem. Iterum te rogo, ut ſedulo hoc agas. Si confit quod opto, non alii quam tibi debitor ero præſtantis beneficii. Forte cras aut perendie iſthuc excurram, ut præſens hanc cauſam promoveam. Rumor eſt Legatos è Gallia veniſſe in Zelandiam, & hodie aut cras futuros Hagæ. Noſter heros Scaliger forte certiora novit. quem hoc veſpere conveniam Deo volente. Tu vale, & nos tui obſervantiſſimos amare perſevera. Datum Lugduni Batavorum XII Maji, CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA XXXIX.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

PRæterito die Saturni, quum multa minime neceſſaria effutirem, quæ melius tacuiſſe foret, ita eram incenſus dolore & iracundia, ut non recordatus fuerim id quod maxime te oratum cupiebam, nimirum ne grave eſſet humanitati tuæ rogare meis verbis D. Præſidem, ne patiatur diutius prorogari expeditionem illius cauſæ, de qua toties & tecum & cum illo ſum loquutus. Scio per eum non ſtare quo minus terminetur, ſed intercedere votis meis malignum aliquod ſidus. Verum ſi ante ferias caniculares, quæ cis paucos dies appetunt, finis huic negotio non imponatur, non tantum periculum eſt ne excidam opima ſpe millium aureorum, ſed ne miſer Stapelius damno litis ſumptibuſque mulctetur, in cauſa tamen adeo juſta ut nihil poſſit

poſſit ultra. Audio duos è Collegio, nempe D. Franconem & Van Santen, morbo conflictari ſontico, alterum etiam abeſſe. Vnde fit, ut ob infrequentem Senatum res confieri vix poſſit. Ignoſces impatienti deſiderio, & ſi quid nuper licentius effudi, fida taciturnitate obſignabis. quanquam talium improborum nec gratiam uno aſſe æſtimo, nec offenſas expaveſco. Vale. Datum Lugduni Batavor. IX. Iulii, cIↃ IↃC VII.

EPISTOLA XL.

Reginaldo Brederodio Veenhuſio Dominicus Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

MAgno me & ſingulari honore affectum arbitror, quod exiſtimaſti meam operam & gratiam tuis uſui atque adjumento eſſe poſſe. Quocirca nihil prius ac potius habui, quam ut continuo mandatum officii munus implerem. Poſtridie ejus diei quo tuas literas accepi, Hagam ſum profectus, & meas tradidi cognatæ tuæ, matri juvenis ejus quem cupiebas à nobis commendari. Vellem preces meas tantum poſſe apud inſignes illos virtute, doctrina & fama viros, quantum amici jucundo mihi graviſſimoque opinionis errore arbitrantur, ſed tamen ad eam rem quam poſtulas, ſpero, vel confido potius, eas magnum pondus habituras. Quod te non immemorem fore declaras cauſæ Stapelianæ, multum me curæ & humanitati tuæ debere profiteor. Quod ſi intra tres hebdomadas lis veſtro ſupremo judicio terminari poſſet, augeret beneficii magnitudinem gratia celeritatis, & aliquid inde commodi etiam in rationes noſtras redundaret. Adde quod periculum eſt in mora. Nam adverſarii, quorum omnis ſpes eſt in prolatando & tergiverſando, ni obviam eatur eorum fruſtrationibus & veteratoriis artibus, obtinebunt in Gallia liberationem ab Arreſto, ſeu manus-injectione. quod graviſſimæ fraudi eſſet optimo virorum Stapelio, & mihi ſpes opima periret. Cauſæ bonitatem non commendo, ſatis eam inſtrumentorum fides religioni veſtræ inſinuabit. Nihil aliud te rogo atque obteſtor, quam ut negotii expeditio, quoad ejus fieri poteſt, maturetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

retur. Vale. Datum Lugduni Batavorum XVII. Iunii, cIↄ Iↄc VII.

EPISTOLA XLI.

Amico cuidam S. P. D.

NOndum adhuc auſpicatus ſum lectiones Iuridicas. idque non mea culpa fit (cui nihil moleſtius evenire poteſt his procraſtinationibus & comperendinationibus) ſed eſt mihi negotium cum hominibus mirè triconibus, qui diem ex die ducunt, & hoc ipſum imputant, quod tantiſper ſcilicet dum ferior, commodis tamen fruor. præſertim autem

Vir gregis ipſe caper
Qui pecori imperitat, quem tota armenta ſequuntur,

nodum in ſcirpo quæſivit, & quum ei exhibuiſſem priorem actum receptionis in numerum Iuris Profeſſorum, ut auſpicii diem ab eo ſumerem, dixit, nihil ab Academico Senatu poſſe ſuper eo actu ſtatui, qui poſterioribus comitiis eſſet immutatus. Oportere igitur exſpectare adventum Syndici, ut aliud inſtrumentum ab eo conficeretur, ſecundum poſterioris decreti ſententiam. Ego quanquam ſatis ſciebam, hanc litem ad eorum jurisdictionem non pertinere, atque ideo declinatoriâ fori tueri me poteram, tamen quia non videbatur multum eſſe periculi in mora modici temporis, ſimul etiam vitandæ offenſionis ſtudio, ne crabrones irritarem, ſi patricias artes intelligere viderer, nihil ſum oblocutus, ſed nullam intermiſi lectionem in Tacito. Nunc paſſim oriuntur querelæ meorum auditorum, qui & numero ſunt non pauci, & pleriſque ætate aut progreſſu ſtudiorum tales, ut eorum ratio merito haberi debeat. Hi admodum ægre ferunt, ſibi dimidiam tantum partem Hiſtoricarum prælectionum relinqui, idque eo dolent impenſius, quod jam abeſt D. Merula, nec reverſurus eſt ante ferias caniculares. Hodie mihi in mentem venit non degeneris nec abjecti hominis cogitatio, quam protinus retuli ad D. Rectorem: nimirum, ut quamdiu aberit Merula, utar ejus hora, & quater legam in Tacito, ſed anteſtato me id facere ad tempus, & in diem, donec ille ſit reverſus, ne perpetuum mihi laboris onus jumento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

meo conſciſcam. Eo pacto medebor querelis hominum mihi amiciſſimorum, & profeſſio Iuridica nihil detrimenti capiet. Nam & eam, cum Deo, ſimul implebo. Non arbitror hanc rem mihi denegatum iri, niſi repulſam merentur, qui ſtudio publicæ utilitatis majora pene aggrediuntur quam vires ferre poſſunt. Eventus erit optimus controverſiæ judex. De his tantum eſt. Accepi ante aliquot dies epiſtolam à D. Præſide Veenhuſio, qua rogabat me ut Lancelotum Brederodum cognatum ſuum inſinuarem in notitiam Ampliſſim. viri Iac. Aug. Thuani, & ſi quem alium familiarius noſſem, cujus opera poſſet magnis viris innoteſcere. Nihil antiquius habui, quam ut ejus deſiderio morem gererem. Literas ipſe de manu in manum tradidi matri ipſius juvenis. Sed quorſum plura? Dum hæc ſcribo, venit mihi in mentem rectius me facturum, ſi ad ipſum Præſidem literas dem. non quod abundem otio, ſed hoc officium vel negotio præferri debet, & peccaſſe fateor, quod tamdiu in mora fuerim. Vale. Datum Lugduni Batavorum XVII. Iunii CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA XLII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

HOdie ex Reigerbergio pro certo comperi tibi decretam in Gallias legationem. Vtinam rei noſtræ publicæ ſtatus & ratio temporum tuliſſet, ut in ferias Auguſtales profectionis tuæ dies prorogari potuiſſet! Vſus eſſes me comite, ſi non facundo, qui in via pro vehiculo eſt, ſaltem non elingui nec indiſertiſſimo Romuli nepotum. Nunc reſtat ut ſecure tibi gratuler, & preces meas interponam pro honeſtiſſimo juvene, qui tibi haſce litteras reddet. is jampridem ardet cupiditate viſendi terram Galliam, & inibi inſinuandi ſe in notitiam clarorum virorum. Eſt in eo virtutis & modeſtiæ indoles, nec infeliciter promovit in ſtudio literarum, quibus ingenuæ mentes ad humanitatem conformantur. Maximi muneris loco deputabit, ſi mea commendatione fretus meruerit, ut in comitum tuorum numerum adſcribatur. Vehementer

id

id te rogo, ſed hac lege & conditione, ſi commodo tuo fieri poſſit. Non enim dubito quin multis idem ſit in voto, nec expleri poſſunt omnium deſideria. Verum, ut parciſſime de homine loquar, ſpondere poſſum eum nec tali beneficio imparem, nec indecorem futurum. Si hoc ad rem attinet, D. Præſidem, affinem tuum aliquo gradu propinquitatis contingit. ſed aſſentior Iſocrati, qui in amicorum commendatione plus valere vult naturam quam legem, mores quam genus, electionis arbitrium quam telum neceſſitatis. Vale. Datum Lugduni Batavorum XXV. Iunii CIↃ IↃC VII.

Craſtinus dies dictus eſt auſpicio utriuſque lectionis, itaque ignoſces, & indiligentiæ & brevitati literarum.

EPISTOLA XLIII.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVod officii genus ipſe non gravate uſurpaſſem ſi ſalva fide nunc abeſſe liceret, id comitati tuæ reſigno, nimirum ut honeſtum hunc juvenem concilies τῷ πάνυ noſtro Mylio, quem hodie ex te auditum retulit mihi Reigersbergius pro certo eſſe iturum in Galliam, & quidem propediem, forte antequam abſoluta fuerit noſtrorum Poëmatum editio, quod ſi fit, non quidem perii funditus, ut ille adoleſcens apud Comicum, ſed tamen magna ſpe decidam, nec facile ſine ejus opera ad noſtrum Larem accedet

ὁ πλοῦτος ἄτερον, καὶ πονηρὸς καὶ τυφλός.

Interim nunquam oportuniore tempore daret ſe mihi obviam, ita nunc plenus ſum inaniarum. Sed deſino mollium harum querelarum, & hoc iterum te rogo, cujus cauſa cepi impetum ſcribendi, nempe ut primos aditus, *& quæ molliſſima fandi Tempora*, velis patefacere huic modeſto juveni, & hactenus pudorem ejus ſublevare. Si eſt ut impetrare poſſit ab humaniſſimo virorum Mylio, ne ſe in comitum numerum aggregare dedignetur, immortalem gratiam uterque inibitis, & ego non mediocri me beneficio devinctum putabo. Vale, & nos dilige. Raptim ut vides, Lugdun. Batavorum, XXV. Iunii, CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA XLIV.

*Viro Nobili *** Dom. Baudius S. P. D.*

HOdie me repentinus & improviſus hoſpes in prandio invaſit Stephanus Douza dominus Nordvici, una cum lectiſſima conjuge. Multus ›bis ſermo fuit de rebus variis, ſed nihil æque gene- ſum pectus meum acri dolore exſtimulavit, quam ›uod narrabat homini ſacro & inteſtabili (quem hoc ›ogio ſatis noſti, etiamſi non adſcribam,) data eſſe quæ ›llem. Ego nemini cedo, ut quiſquam ocium & quie- m malit, quam hoc diuturnum bellum, & hunc tur- ›dum rerum ſtatum: quo minime ſunt in pretio ea ›dia, quorum cenſu cenſemur, ******. Talia flagi- › ſic me diſcruciant, ut deteſter ſæpe omnes artes in- ›nuas, & humanitatis ſtudia quibus hactenus inſu- ›vi. Non poſſum ſatis mirari ** qui eſt vir anti- ›ıa virtute ac fide, connivere ad ejuſmodi labes, qua- ›m fructus in alium, pars invidiæ in ipſum redun- ›t, ut qui majeſtate ſupercilii poſſet horrorem incu- ›re talibus reipublicæ naufragiis ac peſtibus. At et- ›m Romanorum & Græcorum auctoritate ſcelus ›um tueri audent homines, quorum ne nomen qui- ›m laudandum eſſet, ſi viveremus digni Belgico no- ›ine & antiqua nobilitate. Niſi me rectæ volunta- › conſcientia & officii fiducia bonæque famæ ſola- ›um ſuſtentaret, conferrem me in ſolas terras, ubi ne- ›ıe Pelopidarum nomen neque facta audirem. Sed ›ondum occiderunt omnium dierum ſoles, & forte ›rus veſper aliquid olim nobis haud inauſpicatum ›lvehet. Etiam illud me non mediocriter animi an- ›t, quod de præſtantiſſimo ſæculi noſtri ſplendore & ›namento Hugone Grotio inaudivi. illum aſpira- › ad munus Advocati Fiſci, ſed unum hoc illi ob- ›ſe, quod competitores ejus plures autumnos vide- ›nt. Virtus igitur æſtimatur annis, ut video, & bar- › viros facit: quod ſi ita eſt, miſere operam perdit ›oddæus, vel, Pagonius heros, quod inter umbrati- ›os doctores deliteſcit, & tremulo cantu ſubſellia fran- ›t, quum poſſet barbæ beneficio & luculentitate ad ›mmas dignitates pervenire. Sed non eſt mihi animus jocan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

jocandi : ſerio enim ringor ac doleo, quod, quum plus exhauriam laborum quam mulus perpetuarius, tamen ægre non dicam dignitatem tueri, ſed vitam tolerare poſſum. Hæc ſcripſi, ut vides, indignabundus, nec ſine gravi cauſa. Sed non deprecor offenſionem ; tu enim ipſe mecum hoc fœdus pepigiſti, ut ad te non libere ſolum ſed & licenter perſcriberem, ſi quid animo male eſſet. Miſer daniſta ſemper eſt in carcere, tametſi non ſtat per Ordines quo minus liberetur, & ab hoſte dona non accepit. adeo intereſt non quatenus, ſed à quo peccetur. Datum Lugduni Batavorum VII. Iulii, cIↄ Iↄc VII.

EPISTOLA XLV.

Nomen in autographo aſſcriptum non eſt. Neque ſcio quis liber ſit quem è Gallico Latinum fecit Baudius.

N. N.

CVm hinc in patriam proficiſceretur Dominus du Tiſly, adverſa valetudine prohibitus ſum quo minus abituro valedicerem, eique literas ad te perferendas darem. Cæterum ſuſtentabar ſpe maturi reditus ejus. Ajebant enim eum animo revertendi diſceſſiſſe. Sed cum res in longum protraheretur, nec quidquam certi de ejus reverſione comperirem, viſum eſt faciendum ut te certiorem facerem, penſum iſtud quod exorſus eram jam ad exitum perveniſſe. Longe majus & laborioſius opus experiendo reperi, quam opinione præceperam. Sed utilitatis fructus incitabat amorem, & laborem amor mitigabat. Simul ipſo progreſſu creſcebat quantulumcumque eſt in nobis ingenii atque induſtriæ. Quod legendo melius animadvertes, ne domeſtico præconio vanitatem prodam, & judicii tui libertatem impediam. Præfationem etiam Latine reddidi, doctam illam ſane, & refertam gravibus ſententiis. Nunc te monitum cupio, ut aut iſthinc mittendum cures, aut hic aliquem deleges qui tuo nomine expendat quod ex ratiuncula reliquum ad nos redit. Iam aureos viginti à Domino du Tiſly accepi, ſuperſunt totidem ad explendam ſummam de qua inter nos convenimus. Equidem libenti animo laborem iſtum publico bono gratis condonaſ-

ſem

n, ſed rerum mearum anguſtiæ cogunt me ut ſim in-
recundior quam genii mei generoſitas patitur. Igno-
s & me tibi deditiſſimum amare perſeverabis.

Epistola XLVI.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

HOnorifica nominis noſtri mentio, & amiciſſima ſalutatio quaſi legitimæ acceſſionis jure toties inſerta tuis literis πρὸς φίλτατον Μέσαι-Ἑινσίου κάρα, verecundiam meam tacito pudore vel memoris animi, vel negligentiæ perfudit: quod icii mei partes optimo quidem nomini, ſed tamen eri cuiquam delegare ſuſtinui, quum in tali genere igationum nulla præſtatio functionem recipiat, aut oluti cauſam imputetur, niſi ab ipſo reo fiat numeio. Decuit igitur me vadimonio ſancti amoris obctum, per ceram, & linum, literaſque interpretes loquar cum Plauto) in rem præſentem venire, ac ut judicio ſiſti, non autem per pararium aut procuorem excuſari. Cujus deſertionis tanto latior & mis ignoſcenda culpa eſt, quod non ſolum famæ prænio & ob merita virtutis atque doctrinæ mihi optie cognitus es: verum etiam ab ingenuo vultu & mone ὃς ὁμοῦ τὸ κέντρον ἐγκατέλιπεν, ut de Pericle edicabat olim Comicus Eupolis. Si inter graves cu, & (ut invitus audio) inter moleſtas lites, juvat meoria repetere ſpatium præteriti temporis, recordari tes Anno cIↃ IↃ LXXXIII. Lambertum Daum hominem Gallum, nec obſcuri nominis Theoum, habitaſſe in ædibus Domini de Borlut, ſive de ucle. Vtebatur ejus menſa & convictu virgo hones parentibus orta, & ornata bonis moribus, cui noen Iſabella Hardewinia, nunquam delendum ex anio meo. Neque enim meminiſſe pigebit ejus, quam re mihi conſortem divini humanique juris auguria ulta portendebant, ἀλλὰ μοῖραι κρατερώτεραι τῶν ἀνθρωπίνων βουλευμάτων ἄλλῳ ἐτήρουν μοι γυναῖκα. *Fam eſt* enim *etiam in partibus iſtis*, *Quas ſinus abſcondit*, credimus Satyrico. Ne longis ambagibus te morer, ſi garrula res eſt amor, ibi te primum vidi, & proti-

nus

nus magni æſtimare cœpi vividam atque erectam indolem mentis tuæ, licet in cauſa religionis vehementer diſſentiremus. Sed quo magis ætate progredior eo minus humanum arbitror, quenquam frigidius amari aut fieri minoris, quod in ea re, quæ non eſt volentis nec currentis, ſed unius Dei miſerentis, aliud aliis videatur. Porro ad priſtinum meum de præclaris tuis dotibus judicium magna facta eſt acceſſio, poſtquam & poëmatia tua inſpexi, quæ feliciter aſpirant ad laudem antiquitatis. Sed nihil æque me tuum nexu mancupioque fecit, quam illa generoſa boni civis ingenuitas, quæ paſſim in tuis ad Heinſium noſtrum literis eniteſcit. Gratulor ipſe mihi & tacitus gaudeo, quod in me ſine arrogantia & ambitione videor agnoſcere quandam cum tuis moribus germanitatem & amicam conſpirationem; niſi quod interdum vis naturæ meæ paullo intemperantius efferveſcit, quam tutum ſit hoc rerum ac temporum articulo. Sed tu pro cætera humanitate facilem huic errato veniam dabis, forte & laudem aliquam tribues, quippe qui probe noſti quid ſit ἡ ἀπὸ μουσῶν κατοχὴ, καὶ ὡς οὐκ ἄνευ μανίας οὐδεὶς ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἐφικνεῖται. In poſterum enitar diligenter, ne quid foras eliminem quod magnates & rerum potentes offendere queat, ſed vereor ut nimis tardum ſit aucupari gratiam moderationis, poſtquam conſumpta eſt omnis acerbitas ſcripturiendi. Maximam tamen culpæ partem ſuſtinent amici, qui nihil mearum ineptiarum ignorari patiuntur, & ipſi ſumus à natura proclives ad amandum vitia noſtra potius quam ad corrigendum. Habes igitur heic abunde nugarum qui otium oblectes tuum, ſi quando nihil agere voles, aut horas bonas collocare non bene. Cæterum de auctore noli ſequius ſuſpicari, quam de eo qui ſe & hominem meminerit, & affinem multis vitiis: ſed quo nullus unquam gratias majores egerit libero reprehenſori. Poſſum errare vitio humanæ fragilitatis, ſed poſſum & corrigi. Nemo me magis exſecratur hæc inteſtina bella, quibus per tot annos affligimur. nemo fervidius exoptat & precibus ambit auream illam pacem quæ nihil habeat inſidiarum, quæ talis ſit in receſſu, qualem frons promittit. Servator humani generis nihil

nil diſcipulis ſuis præter pacem & mutuam caritatem legavit. hoc uno fidei commiſſo utramque teſtamenti paginam implevit. Mihi certe æternum amicitiæ fœdus & ſanctiſſimæ neceſſitudinis vinculum intercedet tecum, & cum tui ſimilibus, in quibus ubertim ſpirare agnoſco divinæ particulam auræ. Cæterum ne quid diſſimulem, hactenus me pœnitere non potuit quod in progeniem Loiolæ ſæpiuſcule ſtylus noſter incurrit. Nam ad editorem quod attinet, habui literas ab illuſtribus viris, iiſque addictiſſimis Romano Pontifici, quibus me adjurant per quidquid in rebus humanis ſanctum eſt, ut ejus horribilem librum juſto volumine refutandum ſumam Sed præter quod hoc tempore duplicem Spartam publice gero, Iuris atque Hiſtoriarum, nec multum otii reſiduum eſt quod ſcriptioni elargiri poſſim, tædet ludere tali luto. Scoppium vero furiæ ſuæ ſatis ulciſcuntur, ut ejus me quidem ſerio miſereſcat, quem plane perſuaſum habeo à dæmonibus exagitatum fuiſſe, cum tam immania portenta parturivit. Plura volebam, ſed hoc ipſo temporis puncto ſignificatur mihi ab Heinſii puero finem eſſe imponendum ob feſtinationem tabellariæ. A qua petere licebit ejuſdem ſummi noſtri amici Epiſtolam Priorio inſcriptam, apertam ſcilicet, ut legas. Quod ubi feceris, quæſo ut Duacum quamprimum perferatur. Verum noſtra intereſt ut eam legas. Pulchrum enim laudari ait ille, noſti cætera. Vale, Vir præſtantiſſime, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum. IX. Kal. Quintil. cIↃ IↃC VII.

EPISTOLA XLVII.

* *Luchtmaeckero Domin. Baudius S. P. D.*

HVmanitatis tuæ recordatio aurem mihi vellit, ut quando majoribus officiis in præſentia teſtari non poſſum memorem animum, ſaltem orationis munere & gratiarum actione defungar, quod & verbis coram feci, & repeto nunc per literas. Tuus labor erit diſpicere, qua tandem in re tuis commodis & rationibus opera mea prodeſſe poſſit. ego nullum

* Illius meminit Autor Epiſt. ad Wouverum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nullum officii ac ſtudii genus defugiam. Ita poſtulat antiqua noſtra neceſſitudo, quam recentibus meritis adeo ſplendide cumulaſti, ut referendæ gratiæ par non ſim, niſi ex æquo & bono gratam voluntatem in ſolutum accipias. Vellem tuliſſet rerum mearum ſtatus, ut per biduum, aut triduum iſthic commorari potuiſſem, quemadmodum à me poſtulaveras. Sed quia cum paucis, imo cum uno duntaxat communicaveram conſilium profectionis meæ ad vos, non ſine cauſſa verebar, ne ſi in tempore non redirem, *in levitatis reprehenſionem incurrerem*; vel, *ſiniſtris rumoribus anſam præberem.* Cæterum vanus fuit iſte timor: nam adventus meus totis quatuor diebus antevertit finem feriarum. Cæterum ſi exiſtimas me aliqua ex parte mederi poſſe domeſticæ curæ & ſolicitudini tuæ,

Quæ nunc te coquit, & verſat ſub pectore fixa,

ſcis me non eſſe rogandum. Quidlibet jure tuo impera; nihil æque promptum & paratum tibi erit, quam officium meum ad omnia quæ voles, quæque noſtræ fidei demandabis. Nomen filiæ tantum aberit, in cæteris efficiam ut paternum erga ſe affectum in nobis experiatur. Difficulter quidem expelli poſſunt tam prævalidi, & penitus inſiti ardores; ſed tamen ætas flexibilis eſt, & ſi ulla medicina ſanare poteſt hunc morbum, dies & abſentia magnum ad eam rem momentum adferre ſolet. Iterum te ſerio hortor ut paternam indulgentiam in conſilium advoces, & benigne deliberes, utrum quod inconſulto lapſu peccatum eſt, prudenti moderatione ratum haberi ſatius ſit (quando facta infecta fieri nequeunt) quam intempeſtiva ſeveritate exaſperari. Salutavi tuo nomine optimam fœminam veterem hoſpitam tuam Van Oſtroom: quæ mirifice exhilarata eſt mentione nominis tui. De negotio quod diſcedenti mandaveras, nihil adhuc effeci. Arnoldus Buſius eſt in exercitu. Cras excurram Hagam-Comitis, & ſi res adhuc integra eſt, curabo ſignificandum fratri, ne quid ſolvatur Georgio Pfauffet.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Epistola XLVIII.

Puteanis fratribus Dom. Baudius S. P. D.

Pariſ.

Cvm abiturirem ex Anglia, monui vos per literas quæ ratio ineunda foret ut tuto ad me ſcribere poſſetis. Ex quo transfretavi ad inſulas ...nores, diu incertis ſedibus vagatus ſum per omnes ...ne confœderatarum provinciarum oras, nec jam ad-...c uſpiam ſtabile ſtabulum, ut ait Plautus noſter, aut, ...pragmatici homines loquuntur, domicilium elegi. ...tis mirari nequeo qui factum ſit, ut nihil à vobis in-...ibi inaudierim. Flagitium foret longe maximum, ...quidquam ſequius de diligentia veſtra ſuſpicarer, ...m tam illuſtribus documentis teſtata ſit fides veſtræ ...ga me benevolentiæ. Labor itaque ut credam hanc ...pam imputandam aut caſibus itinerum, aut infideli-...i tabellariorum. D. Gillotus me bis per literas ad ...gati ſecretarium miſſas conſalutari juſſit: poſtula-...t hæc viri ampliſſimi humanitas, ut obſignatis tabel-... teſtificarer quam ei & hoc nomine & compluribus ...is devinctus ſim; ſed (ne quid diſſimulem apud tam ...ndidas mentes) fatalis quidam veternus omne genus ...ficiorum mihi excutit, dum in dubio eſt animus, nec ...ile in viam reverti poſſe videor, priuſquam ὁπόσον ... μοι τοῦ βίου λοιπὸν ἐκ ζάλης καὶ κλύδωνος εἰς εὔδιόν ...α λιμένα παρελεύσεται. Tu major juvenum (qui ...n ut voveo & ſpero cum laude in foro verſaris) ad-...catus mihi eſto apud æquiſſimum judicem, dum lo-...or cauſam obtinebis. Sin duriorem experieris, lice-... tecum adducas fratrem qui te ſpatiis propioribus ...ſequitur, ut ſimul blanda vi expugnetis facilem ſæ-...tiam hominis. Non erit vobis meditanda oratio ...cunde ex ſolo loco. Vultu ipſo detergebitis omnem ... animo ſcabitudinem, ſi virum perſpecte novi. Ne-...o an alias ad vos ſcripſerim fuiſſe in Anglia incly-...m quendam ſycophantam, qui ſe nepotem Cardina-... Baronii eſſe gloriatur, odioque Romanæ impieta-...s, ut præ ſe ferebat, & cupidine pie tranquilleque vi-...endi, conceſſiſſe ad partes meliores, ſpecioſo prætex-..., vel potius impudenti mendacio, ſimul quia verſu-

tus

tus nequam & ab omni fraude paratiſſimus norat addere dignitatem nugis, exſculpſit è Dominis Ordinibus grandem auri ſummam. Apud Anglos non tam feliciter illi ceſſit iſta negotiatio: niſi forte feliciſſimus in eo fuiſſe cenſendus eſt quod retulerit vaſa ſalva, ſeque mature diſcrimini ſubterduxerit. Non enim ſolum imposturæ nomine ſuſpectus eſſe cœperat, ſed flagrabat infamia eorum criminum quæ vivicomburio expiari ſolent. Certa porro peſtis & pernicies homini in mundo erat, ſi diutius iſthic obhæſiſſet. Sæpe ſenſi credulitatis meæ labem, nunquam majore pretio atque malo quam cum iſti furcifero tantam fidem habui, ut eum & in interiorem amicitiam admiſerim, & ſumma ope propugnarim apud utrumque Regis Legatum. Abſque hoc fuiſſet, jam noxio ſanguine parentaſſet aſſeſtrici Iovis. Nam ne videar paratragœdiare in re comica, ſcitote nihil eſſe facilius quam eum παιδεραστίας manifeſto convictum pœnarum indagine circumvenire. Sed nimis multa de homine nihili. Volo nunc vobis optabiliorem nuntium adferre, nimirum eſſe nobis in animo, mihi inquam, & unanimo ſodali Damaſo à Blyenburch, collectori Venerum, in Galliam proficiſci ob negotium περὶ πλέονος ποιητέον. Magna meſſis ex eo agro proveniet, niſi qua calamitas ſperatam fœcunditatem interceperit. Valete, & meis verbis quam officioſe ſalutate D. Caſaubonum, & vicinum veſtrum Chriſtianum, cIↃ IↃC II.

EPISTOLA XLIX.

Ioanni Kirchmanno Domin. Baudius S. P. D.

Roſtochium.

GRatiam me tibi & habere & debere profiteor, quod non ſolum per literas renovaſti memoriam veteris noſtræ notitiæ & amicitiæ, verum etiam optimæ ſpei & indolis adoleſcentem nobis honeſta ſuffragatione conciliaſti. Quem omni ſtudio & benevolentia complectar, tum ob ejus merita, tum ob acceſſionem tuæ commendationis. Nullo genere officii impenſius capior, quam ſi cura & induſtria noſtra juvare poſſim juvenum impetus, ad ea ſtudia quibus honos & vera gloria comparatur. Itaque ſi quem alium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

filium habes ad iſtud exemplum, fidenter eum huic homini trade, faxo nuſquam ſentias benignitatem noſtram claudere. Mitto ut petiſti auſpicalem noſtram orationem, quam legi velim cum venia: Nunquam enim minus compoſito animo ad ſcribendum fui, quam, quo tempore illam meditabar. Ita metu præpediebar, qui multum officere ſolet ingenio, ne primum illud tentamen parum proſpere eveniret. Sed ſi communi famæ credendum eſt, ex temeritate laudem inveni, adeo ut ſeculi decus Scaliger non dubitaverit ſerio me hortari ad editionem. Id quod declarandum in limine, ut eſſet, qui cum invidiæ partem communicarem. Mortualia tua, quæ nomini tuo (ſic voveo & auguror) immortalitatem parient, ede tandem ξωὶ θεῶς. nimis diu protelat ſpem noſtram ἀμβολιεργὸς ἔτος. Meurſius noſter neſcio quid commentatus eſt. vidi ἐκ παρέργου, nec certe quidquam agnovi ob quod viator properus inhibere deberet feſtinationem. Permitte igitur vela ventis, & felici auſpicio nomen tuum crede perennitati. Vale, vir amiciſſime, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum cIↄ Iↄc IV. XVII. Maji.

EPISTOLA L.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ETſi obſervantior ſum amicitiæ qua nos dignatur tua benignitas, quam ut eam velim promiſcuis commiſſionibus obſoleſieri ac veluti profanari, tamen cum hic nuncius vehementer urgeret pudorem noſtrum, & blanda prece cogeret, ut ſe tibi commendarem ante non inviſum nec incognitum, non habui os ad excludendum ejus deſiderium, præſertim cum affirmaret cauſam illam, quæ ſibi apud Ordines agenda eſt, eſſe facillimæ & expeditæ impetrationis, ſi vel perfunctorie καὶ ὁδοῦ πάρεργον eam auctoritate & gratia tua adjuvare non gravaberis. Mihi abhinc aliquot menſibus cum eo notitia & mediocris uſus amicitiæ intercedit. Is eſt qui haud ita pridem ſatis facunde & vehementer, ut audio (nam eram tum peregre profectus) Papam cum toto myſterio iniquita-

tis in facie Eccleſiæ abjuravit. Quod igitur commodo tuo fiat, per mihi gratum fuerit, ſi hominem nonnulla parte favoris tui fueris complexus. Auſpicatus ſum ab alterius commendatione. nunc memet ipſe obtrudam, non diffidentia promiſſi tui, ſed tamen ſcis Amyclas ſilentio periiſſe. Grotius heros ampliſſimis verbis per literas teſtatur quam tibi ſim curæ, nec ſe dubitare quin proximis comitiis noſtri ratio habeatur. Sed quoniam utrumque eadem opera confici poteſt, effice quæſo, ut ad κτήματος δόσιν accedat etiam τιμῆς σημεῖον. Sane uſurpabo cum honeſta fiducia, quod olim Catonem dixiſſe ferunt, malle ſe ut homines mirentur & indignentur cur ſibi ſtatua negata ſit, quam cur conceſſa. Sed tamen publicum dedecus eſt Senatus Academici, quod nondum in eum ordinem allectus ſim. Ridebis, ut ſoles, jejunam ac pene pædagogicam μικρο-φλοτιμίαν noſtram, quaſi aliquod ſingulare & ſecretum bonum in iſtis glorioſis inſignibus repoſitum eſſe cenſeam. Ego vero ciccum non interduim, ut ait Comicus, utrum habeam in eo cœtu jus ſuffragii nec ne, nec me minus curat Hippoclides, ubi ſedeat. cujus animi mei ut ſpecimen habeas, ecce tibi verſus profectos ab intimo ſenſu,

Non curat alta mente præditus Cato
Qua ſede ſedeat, quam thori partem premat.
Nihil coloſſo demit aut addit baſis,
Nihil cothurnus adjuvat nani ſtatum.
Prætura mœret orba cum Strumæ ſedent
Sella in curuli, Conſularis dignitas
Patitur repulſam cum repellitur Cato.

Hæc mea mens eſt, cum ad illud ſincerum ac ſubtile judicium momenta rerum examino, ſed quoniam conſilia noſtra etiam ad famam & opinionem hominum dirigenda ſunt, ſerviendumque eſt populo ac ſcenæ, non poſſum nec debeo ſine prævaricationis nota aſpernari jampridem promiſſum munus. Idque eo magis mihi faciendum eſſe judico, quod ab amico fideli & minime mendaci certior factus ſum, nonnullos ex ordinariis, quos parum abeſt quin vere ex veterum ſenſu homines ordinarios appellem, palam aſſerere & tanquam de Baudio triumphabundos gloriari, fruſtra me

ſperare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſperare hanc ſcilicet auguſtam dignitatem, non quod auſint dicere nos tanto honori pares non videri, ſed quia ſacro ſancto (ſi diis ita placet) decreto certus numerus eſt definitus, idem nimirum qui patriarcharum & apoſtolorum, quem nefas & piaculum ſit velle ulterius extendere. Ego vero ſi iterum iſtam Camerinam movero, melius non tangere clamo, configam cornicum oculos, perficiamque ut omnibus pateſcant arcana injuſtæ authoritatis, quam malo more, ſine ullo jure niſi noſtra ſocordia & voluntaria ſervitute per tot jam annos ſibi arrogarunt. Statuta Academiæ nullum ſtatuunt diſcrimen inter ordinarios & extraordinarios. ac ne nomen quidem iſtud inimicum æqualitati uſquam ibi comparet. Tum autem quid in libera civitate inter honeſtas perſonas minus tolerabile eſt, quam collegas dici ſine ſuffragio, ſenatores ſine conſilio? quæ quouſque cæteri ferent ipſi viderint, quanquam interdum ſubit illos tædium & pudor nimiæ patientiæ, mihi ſane certum eſt, non quidem publicam omnium cauſam ſuſcipere nulla vel levi gratia ſingulorum, atroci vero invidia quamplurium, ſed hujus hominis famam & exiſtimationem non deſerere, cujus periculum aliqua ex parte vertitur in hac mora & procraſtinatione. Compertum enim eſt multis me pridem hoc ſaxum volvere. Nullus porro color alius obtendi poteſt, quam frigidum illud ſchema, quod ſupra retuli, de numero lege definito, ſed ego hanc legem ſine populi ſuffragio de noſtro corio latam, vitio & adverſis auſpiciis latam eſſe contendo, non more & inſtituto majorum. Adhæc, ut procedat illis quod volunt, unum adhuc caput ſummæ deeſt. at hoc, inquiunt, auget difficultatem adſciſcendi quenquam, quia dubium eſt egone an D. Trelcatius præferendus eſſe videatur, & ne præteritus contumelia incendatur. Ad hanc jocoſam litem dirimendam nimis ſane vellem tantum eſſe optimo virorum Neoſtadio animi ad exequendam, quantum minarum. Sæpe enim audivi cum diceret à principio non fuiſſe has graduum diſtinctiones, & ſi ſibi bilem moverent, nihil obſtare quo minus omnes fierent ordinarii. Plura lubebat nugari, ſed nolui diutius producere eum qui tibi haſce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

reddet. Datum Lugduni Batavor. VI. Kalend. Sextiles cIↄ Iↄc V.

EPISTOLA LI.

Ioanni Rutgerſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

QVo tempore mihi redditæ ſunt tuæ literæ, eram occupatiſſimus in ſcribendis literis ad ampliſſimum Galliarum Regis Legatum qui eſt in Anglia, vel (ne peccem adverſus novi Regis edictum) in magna Britannia. Miſi eadem opera carmen de legibus Bellimontiæ domus, quod opinor me tibi oſtendiſſe. adjunxi & epitaphiolum in obitum filiolæ. cujus honori & memoriæ columnam in æde quadam Londinenſi exſtruendam curavit. Grata mihi eſt tua ſcriptio, niſi quod laudum immodicus es. in quo quidem peccas culpa benignitatis, ſed peccas tamen, & in poſterum cupio, ut ſegreges ejuſmodi encomia quæ nullo modo cadunt in noſtram mediocritatem. Interim non poſſum, quin amem exceſſum illum amoris & benevolentiæ, cujus impulſu talia verba funditas. Optabat olim (ni fallor) Plinius Iunior, cum amicus eum laudibus in cœlum extolleret, ut ita poſteri vel errarent vel judicarent. At ego errorem iſtum non expeto. recte factis enim ſufficit veritas, & qui falſo prædicantur, ſi quid ingenui ſanguinis habent, neceſſe eſt ut teſte conſcientia ſuis ipſi laudibus erubeſcant. Porro

Falſus honos juvat aut mendax infamia terret
Quem niſi mendoſum ac fallacem?

huic numero aggregari minime ſtudeo, etſi ἥδιστόν ἐστιν ἀκρόαμα ἔπαινος, & optimus quiſque gloria ducitur, ſed gloria, quæ ſolido veritatis fundamento nititur, non errore imperitæ vel nimium amantis turbæ. Beatus ille octernio, ut vocas, diu mihi quæſitus tandem repertus eſt: deferam eum ad typographum. De adventu meo quis vobis ſpem fecit, niſi blanda quædam credulitas ad exemplum Sabinorum, qui (ut ait verbum vetus) quod volunt ſomniant? Nihil mihi decreti eſt ante adventum Curatorum in neutram partem. magis tamen puto fore ut brevi vos inviſam, & album tuum una mecum feram, ſi tamen veniam. Literæ quas hiſce incluſi,

incluſi, fac ut tuto perferantur, & quidem tradantur ipſi de manu in manum, ne eas alius reſignet. Id commodè fiet opera & induſtria tuæ vel amitæ vel materteræ, quam illic habitare dixiſti. Salvebunt à me & uxore omnes tui, pater, frater, avunculi. Datum Lugduni Batavorum V. Auguſti cIↄ Iↄc v.

EPISTOLA LII.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ARbitrabar me reducem Dordraco iter per Hagam habiturum. ſed obſtiterunt temporis anguſtiæ huic propoſito non Stoico, ſed ambulatorio, ut loquuntur noſtri pragmaticorum pueri. Interea puto tibi curæ fuiſſe rem amici noſtri Franciſci Petit, neque enim tuum eſt niſi confecta re conquieſcere. Si quid intererit eum ſcire, inſcribes literas tuas ** Habes egregium carmen, ne forte tua ſponte loqui præſumas. Porro autem quid agunt Muſæ tuæ? noſtræ jam exituriunt in publicum, modo id tuto fieri poſſit. Duplici præfatione ſtudui placare lectorem; ſed breviore compendio ſilere poteram, ne Catoniano ſcommate excipiar ad exemplum illius equitis, qui culpam deprecari quam vitare malebat. Noſti os Iambici carminis. ſed non omnes hanc monetam in ſolutum accipiunt. Et cur ego quenquam offendam in nugis? Terreor authoritate exempli tui, qui præſtantiſſima quæque tua mavis domi aſſervare liberali cuſtodia, quam edere cum cujuſquam offenſione. Tamen expugnabo tuum illud decretum, ne ſolus in licentiæ regno luxuriari videar. Vale & nos ama. Datum Lugduni Batavorum XXV. Auguſti cIↄ Iↄc v.

EPISTOLA LIII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

HEſterna die cum ad te literas perferendas dediſſem, nuncio nos perquam læto & optabili compotivit Paulus Merula, nimirum detectos eſſe triginta Hiſpanos participes nefariæ illius & profligatæ conjurationis in caput Regis Britanniarum.

niarum. Mihi quidem jam tum, cum prima ſceleſtiſſimi facinoris indicia literis ac rumoribus huc delata ſunt, minime dubium fuit, quin mali labes profluerct ex illo

Nido di tradimento ove ſi cova
Quanto mal per lo mond' hoggi ſi ſpande.

nec quenquam repertum iri tam prodigum ſui, tam venalis animæ, qui talia patrare inſtitueret, niſi magnis autoribus niteretur. Ac rebus licet adhuc dubiis Rex haud abſque prudentì ratione edixerit, ne quem exterum ſuſpicione criminis inſimularent, tamen ut opinor, hoc ingenti periculo edoctus, tandem fatalem veternum excutiet, & regnare diſcet, alias quid ſupereſt, quam ut vita & regnis æquo animo careat? Porro ſic mihi perſuadeo, tali occaſionis articulo è re ac dignitate harum provinciarum fore, ut quiſpiam illo legetur ab ampliſſ. Ordinibus, qui publico nomine gratuletur Majeſtati ſervatæ ex tam immani diſcrimine. Multo minoribus de cauſis ſæpe inſtructæ fuerunt magnificæ & ſumptuoſæ legationes. Valde opportuni ſunt tam inopinati caſus rebus feliciter gerendis. dum ægritudo eſt recens, dum in fermento eſt animus, paulo momento huc illuc impelli poteſt. Rumor, qui ſemper aliquid veris affingere amat, ſpargitur, ſignificatum eſſe ex parte Regis, Legatis Hiſpaniarum & Archiducis, ut intra triduum finibus regni excederent. ſunt qui dicant bellum indictum utriſque. neque nihil, neque omnia credo: ſed hoc inſtar articuli fidei penitus imbibi, caput crimenque malorum eſſe inſeſſorem ** cum ſemiviro comitatu, qui ſcilicet veritus eſt, ne ſe parum, hoc eſſe crederemus, niſi tale parricidium deſignandum curaret, cui nihil ſimile tulit ulla gens Pelopidarum. Tum autem nefas eſt dubitare quin huic portento parturiendo Lojolitæ operam navarint. qua colluvione non vivit deteſtabilius hominum genus, nec efficacius inſtrumentum Hiſpanicæ dominationis. Inquiſitores vero non admittere in hujus conſilii ſocietatem, id eſſet ignorare principia, nec Philipporum diſciplinam tenere, qui non aliis dictatoribus utuntur. Sed modus ſit ineptiendi. Illud quod ante jeceram, iterum inculco, videri mihi pro bono & commodo Reip.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Reip. facturos Ordines, ſi tali rerum cardine legatio inſtituatur ad ſignificandam publicam lætitiam ob ſalutem & incolumitatem Regis, ereptam velut ex orci faucibus, ſimul ad impellendum ejus animum, ut ſpiritus ſumat vindices Majeſtatis, & ultores tam atrocis injuriæ. Nunc illa vana cogitatio mihi veniebat in mentem, ſi tale quid futurum eſt, haud facile quenquam repertum iri, qui forte melius his partibus defungi poſſit, quam is qui hoc ſomnium tibi proponit, niſi ea provincia tibi decernatur, qui cum nõn ita inſanio ut veniam in certamen dignitatis. Hæc nihil ad interpretationem Taciti facere videntur, ſed tamen ex iſtis fontibus haurimus, quæ & animum nobis faciunt, & poteſtatem ſuggerunt, ut ad ſublimes ſpes aſſurgamus. Eſt mihi in mundo munus literarium jam deſtinatum Regis filio. quo munere non deſpero quin merear admitti in ordinem interioris notæ amicorum; & ſi mihi Mecœnates deſint, ipſe mihi Mercurius ero: ſed ſi voti res ſit, optarem publica authoritate munitus viam ad ejus patriſque amplitudinem affectare. Vale. Datum Lugduni Batavorum, XVIII. Decembris, CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA LIV.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HEſterno mane conveni noſtrum Quæſtorem, quem lætitiæ datorem appellare ſoleo, niſi quod tam parce oleum nobis affunditur, ut vix defæcato animo lætari poſſumus. Adde quod ſpes augendi peculii decollavit, certe in aliud tempus prorogata eſt. Inſpexi enim ratiunculas ærarioli noſtri, ne teruncio quidem factus ſum gravior ac propenſior. Cauſam hujuſce frigoris conjicere nondum potui. forte offenſionis anſam arripuêre ſiniſtræ mentes, unde bonæ copiæ frugem ſperabam, nimirum ex literis Illuſtriſſimi Principis, quas fieri poteſt ut ſuſpicentur emendicatas ambitioſis precibus per obreptionem & ſurreptionem, ut pragmatici loquuntur. aut quod hoc pacto viſus ſim eorum viribus indubitare. Mihi omnia prius adimant ſuperi, & quicunque oculis hæc aſpicit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

æquis, quam ut ad miſeras preces decurram, & votis paciſcar, ne mihi infamiæ ſit atque invidiæ prodeſſe bonis communibus, & qua poſſum arte juvare ſtudioſam juventutem. Quocirca omnes anguſtias Spartana nobilitate concoquam potius, quam iterum eo nomine cuiquam ſupplicem. Sed ignoſces juſtæ indignationi. Non enim ut fucus immunis ſedere poſtulabam ad aliena pabula, ſed cum ſpe novi commodi volebam adjungi operæ & laboris acceſſionem. Hoc ſi improbum votum eſt, quid fieri poteſt nobis ineptius, qui in hoc ſudamus & algemus, ut placeamus pueris & declamatio ſimus? Me quidem tædere incipit hujuſce nonnullæ mediocritatis, quam benigna æſtimatione amicorum in literis ſuſtinere videor, cum ejus uſu mihi tantum non interdicit imbellia & ignavitas eorum, quorum curis vigiliiſque committitur, ne quid res noſtra detrimenti capiat. Si credunt hunc hominem non imparem fore utrique muneri, quin mihi relinquitur exedundum quidquid inde tandem exiſtet invidiæ? Mecum erit iſte labos, nec unquam in animum inducam placare lividam iſtam luem virtute relicta, ſed aſſiduitate potius & vigilantia perficiam, ut vel ultro deſinat irarum, vel ægra ex dolore contabeſcat. Quod rumorem ſparſerant hac hebdomade actum iri de rebus ad Academiæ ſtatum pertinentibus apud vos ob invaletudinem D. Neoſtadii: minus eſt nihilo. ſaltem Quæſtor noſter tale nihil inaudivit, quem iſta forte non fugerent ſi vera eſſent. Audio quidem quoſdam è magiſtratu hujus urbis jam iſthuc miſſos aut miſſum iri, ſed ad alia comitia ubi de publicæ rei ſumma certamen & deliberatio inibitur. tali tempore mentionem inſerere Academici negocii, præſertim eorum qui nullum caput habent in ordinariorum numero; id foret barbariſmum & ſolœciſmum committere, ne dicam peccare in publica commoda. Quis enim ex iis qui aſſident clavo patriæ, ſerio unquam mentem inſtituit ad cogitandum, & nos aliquod nomenque decuſque in publicis muneribus gerere? Tecum hæc liberius expoſtulo quam conſultum ſit apud aures ignaras veræ laudis. Novi enim quam ſit tibi generoſus & ingenuus ſanguis, compertumque habeo te hæc noſtræ

militiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

militiæ flagitia inprimis aſpernari. quanquam humanitatis officio adductus, vel forſitan ipſa rei mole ac difficultate invitatus non denegaſti patrocinium Præfecto quondam urbis Leidenſis. Vtinam cum virtute fortunam exæquare poſſis! Et patria dignitas & nos meliori conditione eſſemus.

νῦν δ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοὶ κακὰ μητιόωντες.

Quanquam τὸ τῆς σῆς ψυχῆς γενναῖον καὶ ἐπιεικὲς στέργει τῇ μοίρᾳ ἧς ἔλαχες, tamen ſæculi convitium eſt quod non ampliora contingunt. Dedi heſterno veſpere Iohanni Rutgerſio libellum de quo eram locutus. non libuit eo uti gerulo literarum quia non poſſum eum ex animi ſententia commendare, niſi ſub exceptione quá multa continentur, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. nimirum quod οὐ δύναται μέγαν ὄλβον καταπέψαι. ſcio eum dedita opera iſthuc ivisse, ut ab avunculo Prætore urbis Dordracenæ imperet veniam alio commigrandi bona ipſius cum gratia. Quanquam ejus amicitiam magni æſtimo, tamen verbum non faciam unde confidentiam hanc in pectore ſumant imprudentes adoleſcentuli, me eos invitos ſervare velle, etſi optimum miſericordiæ genus eſt, ἀλλ' οὐ πρέπει τῷ Νέρωνι. πάρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι, οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς. σὺ δὲ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων ὅσσοι νῦν βροτοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδοντες. Ἔρρωσο καὶ εὐπράττε, λαμπρὸν φάος καὶ μέγα κῦδος τῆς νεότητος. Datum Lugduni Batavor. XV. Februarii cIↄ Iↄc VI.

Salvebit à me γεννάδας Mylius. cave tamen cum eo communices has literas, quas expreſſit liberrima indignatio.

EPISTOLA LV.

Gerardo Voßio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

Quaſi in ipſo commoditatis articulo redditæ mihi ſunt literæ à ſpectabili viro Iac. Blyenburgio, quibus ſignificat ſibi eſſe in animo ac pene decretum, ut filius alibi diverſetur quam apud nos. Me quidem perlibente id fecerit, qui jampridem ſtatueram bonum parentem per literas aut coram in ſermone commonere, ut filio proſpiceret aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

hoſpitium. Neque enim ad eum progreſſionis gradum evectus eſt, ut capere diſciplinam noſtram poſſit, nec ego huic rei auſpicatus ſum, ut Manliana imperia & patrui ſeveritatem exercere velim. Sæpe damnavi facilitatem naturæ meæ, ſæpe ſenſi credulitatis labem, quæ licet irrepat in optimi cujuſque mentem, & argumentum præbeat hominis οὐ διπλοῦν ἔχοντος τὸν νοῦν, tamen minime decere videtur noſtram ætatem, &, quam longo uſu adepti ſumus, rerum humanarum experientiam. Non poſſum tamen deſciſcere ab ingenio, quamquam toties deceptus, quin facile mihi imponi patiar ab iis qui multa & præclara minantur, quo in numero fuit noſter Blyenburgius. Is enim ut à manu tua mitti poſſet, magnidicis pollicitationibus, ſpem mihi faciebat adoleſcentis mox evaſuri in aliquem Socratem, aut ſuperaturi laboribus invictum Herculem.

Quæ cuncta aërii diſcerpunt irrita venti.

Non hæc ideo queror, quod de ejus indole male ſperem, ſed opus eſt ut ſevera lege contineatur ſub incude ſtudiorum, καὶ ὡς λόγος, ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς. Noſti enim ejus captum, atque utinam tua conſilia prudentiæ & candoris plena, plus apud parentes valuiſſent, quam adoleſcentuli præceps & immatura prenſatio, meæque ſuffragationis ſtulta acceſſio. Potuiſſem tamen clementi via reducere eum ad officii viam, niſi quidam licentiæ alumni pravo ſodalitio & praviore conſilio bene natas mentes perverterent. Hi recentes à ferula pueros, ſimul ac pedem in hanc urbem intulêre, peſſimis imbuunt perſuaſionibus, &, ut ait Lyricus vates, peccare docentes hiſtorias monent: nimirum non eſſe dignos libertate Academica, niſi quibus libeat & liceat nihil eorum agere quæ velint parentes, quæ flagitet officii munus, & in quæ ſolemni ſacrâmento adiguntur, qui in eum ordinem recipi ſeſe poſtulant. quaſi vero ſervi ſint qui ſerviunt officio, cum contra, legum omnes ſervi eſſe debeamus, ut vere liberi ſimus. Sed iſta myſteria non percipit aut intelligere non vult *pravi docilis Romana juventus.* Verum quid me ineptius, qui hic ſine populi ſuffragio cenſuram morum exerceo? Vt eo revertar unde ſum digreſſus, recte & ordine feciſſet pater, ſi paruiſſet tuis monitis, & ſolidæ potius

tius utilitati filii ſui conſilium applicaſſet, quam incon-ſpectæ voluntati. ἀλλ᾽ ἐπεὶ νοῦ οὐκ ἔπι ἐστὶν αὐθαίρετος ἡ εὐβουλία, ſupereſt ut diſpiciatur quid in poſterum è re & commodo adoleſcentis fore videatur. Mihi prorſus placeret eo remitti unde nimis mature dimiſſus eſt. ſed quia ſiniſter & præpoſterus pudor, qui ſpecie falſæ generoſitatis implet *inanimentis pectus imperitorum*, & moram objicit veris proceſſibus, vix unquam adduci poterit, ut concoquat talem contumeliam (loquor cum inſanientibus) hoc ſaltem agendum erit, ut alicui cohabitet à quo privatim erudiri, & ſicubi licentius exerret, autoritate magiſtrali coërceri poſſit. ἥδε γέ μοι κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή. *niſi quid tu, docte Trebati, Diſſentis.* De tota re poteris cum patre deliberare, nec intercedo, quo minus ſignifices ei meam mentem levato, quod ajunt, velo, more majorum. Non eſt quod timeat, ne in ſequiorem partem interpreter, quod à contubernio noſtro filium avellit. idem illi author fuiſſem. novi porro ſinceritatem hominis in cujus naturam non cadit ulla ſiniſtri ominis interpretatio. Cuperem tamen ſcire cauſam intimam hujuſce conſilii. ſi quid ſit, quod meæ exiſtimationis intereſſe judicabis, facias me quæſo certiorem. Vale & nos ama. Datum Lugdun. Batav. VI. Nonas Martias CIↃ IↃCVI.

EPISTOLA LVI.

Adriano à Blyenborch D. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

NOn ingratum mihi fuit quod cum D. Lydio egeſti, ne literas publicaret, quas olim vir fremente invidia magnus Iuſtus Lipſius ad patrem ejus miſit. Laudo factum. nec tamen recordor me id tibi in mandatis dediſſe. Perſtat in incœpto, ut ſermonem tuum audio. ſed quia ſibi ſumit eam licentiam ut faciat quæ ſunt contra morem bonorum, contra fas gentium, contra jus humanitatis: faxo dicat ſe nactum, qui hac in parte cauſam amici & quondam doctoris indefenſam eſſe non patiatur. Non quod ejus Divas ullo colore defendi poſſe cenſeam, ſed interim non eſt tollenda è vita vitæ ſocietas, quod faciunt qui lite-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

literas, hoc eſt amicorum colloquia abſentium, foras eliminant. Etiamſi multum in concionibus valeat, vereor tamen ut hic ſtare poſſit. fervida ingenia plerumque violentiam naturæ & profundam ambitionem velare ſolent præclaro ſchemate zeli, quod eſt everriculum & mantile multarum fraudum. ſed non deſunt nobis rationes quibus ſæculo planum & perſpicuum fiet, *Quid ſolidum crepet & pictæ tectoria linguæ.* Latus hic patet campus in quo vel tardi hominis exſultare & luxuriari poſſit oratio. Quod ait ſe in conſilium adhibuiſſe viros doctos, & (ut eum dicere ſolitum ſcribis) eruditorum Deum Scaligerum, mihi quidem non diſplicet figura rhetorum, qui Deum appellare ſueverunt, quicquid in aliquo genere ſupra invidiam excellit, ſed quam hoc conveniat Theologis, qui verba aucupari, & effuſa per jocum in Idololatriæ crimen maligne ſæpe detorquent, ipſe viderit. Si olim Deus ille non fuit ipſi author, imo (ut ipſe fatetur, ſaltem hoc ſignificant literæ tuæ) diſſuaſor exſtitit, antequam Divæ prodiiſſent in publicum: cur jam idem oraculum non conſulit, niſi quod ſua cuique Deus ſit dira cupido? ut ait Niſus apud Poëtarum Deum. nam & ego figurate loqui poſſum, & fas eſt peccare exemplo talium authorum. Hortaris ut illum per literas moneam, non eſt mihi tantum ab rebus ſeriis ocii, nec libet diſſuadendo magis accendere deſiderium editurientis. Si me, qui & coram obnixe hominem rogavi, ne id faceret, & per amicos dehortandum curavi, non habet dignum quem compellet, ne illum quidem tali dignabor honore, ne tollat longa ſupercilia. Faciat quod illi ſuggeret ſplendida bilis, *fragili cupiens illidere dentem, Impinget ſolido,* ut loquar cum Horatio. Non diſſimulo, nec unquam diſſimulabo, intercedere mihi cum Lipſio, extra cauſſam religionis & libertatis, ob quam publice bello decertamus, omnia jura ſumma neceſſitudinis, quæ cum ullo mortali eſſe poſſunt. Nunquam litarunt Gratiis, & ignorant quid humaniores literæ, quid humanitas ipſa flagitet, qui ob eam rem teſtatas inimicitias promiſcue omnibus indicendas eſſe arbitrantur. In eo cenſu non erit Baudius, quamdiu ſanam animi mentem obtinebit, Si tanta prurigo ſcripturiendi &

qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quacunque via graſſandi ad famam tentat hominis ambitionem : quin audet aliquod ſeriæ meditationis telum ſtringere in profligatiſſimum illum editorem, ſacri & horribilis libri, cui titulus Amphitheatrum Honoris. quo furioſi lucumonis excremento nihil unquam vidi illaudatius, execrabilius, monſtroſius. Deeſt ſcilicet hoſtis, & ſeges ac materies metendæ gloriæ non ſuppetit, niſi ex labe & ruina celebratiſſimi in literis viri, & honorifice à bonis nominandi, tametſi famam ſuam miſere decoxerit duplici illa publicatione Virginum, quibus ſæpe incolumi authore lumbifragium exoptavi. Præterito die Sabbathi venit ad me Georgius Tomſonus vir egregie doctus gente Scotobritanus, mihique obtulit recens à ſe Londini editum libellum, hac, ni fallor, inſcriptione, (nam alii utendum dedi) Vindex veritatis contra nefariam ſententiam Lipſii de fato, de fraudibus, & ſacrilegam opinionem de miraculis Idoli Sichemienſis. Opus eſt ſane non ineruditum, & quod arguat ſcriptorem multæ lectionis : niſi quod ſupra modum modeſtiæ effervefcit. quo nomine etiam ſerio reprehenſus eſt ab heroë Scaligero. Magna ingenia difficulter reprimi poſſunt, ſed interim *μηδὲν ἄγαν ἄγαν με τέρπει*. Adverſus colluviem nefariam Lojolitarum, qui velut Harpyæ contactu omnia fædant in mundo, nihil poteſt eſſe nimium aut immodicum : ſed Lipſius veteribus in rem literariam & in juventutem noſtram officiis meritus eſt, ut ejus potius miſereri debeamus, quam relevare nuditatem. Ita ſentio, nec arbitror legem caritatis Chriſtianæ aliter ſuadere, quicquid dicant improvidi zelotæ, quibus equidem zelum conceſſerim, *ἀλλ' οὐ κατὰ γνῶσιν*.

Epistola LVII.

Gerardo Voſſio Dom. Baudius S. P. D.

NE mireris, amiciſſime Voſſi, me ſuperiorem epiſtolam inſcripſiſſe Adriano Blyenburgio, paucis rem cognoſce. Statim ut literas ejus accepi, proſilui ad reſpondendum, & currente calamo profudi quæ vides. ea cum viderentur non evulganda paſſim, nec eſſe ad captum illius adoleſcentuli, propoſitum

inter ſcribendum mutavi, teque deligendum cenſui, cujus fidei & prudentiæ tuto talia deponi poſſent. non quod verear in cauſa plena humanitatis reprehenſionem cujuſquam mortalium, ſed tamen nolo animi cauſa provocare offenſiones. Quod ſi illis, (quibus redemtor generis humani legavit pacem, quæ utramque paginam facit) licet ſuo arbitratu odiſſe quem velint, mihi etiam concedant ut amem quem cupiam. Nullus enim liberior eſt affectus amore, nec qui minus aut imperari poſſit aut imperio deponi. Diem unum in his regionibus non viverem, ſi ea libertas mihi præcideretur. Sed de his tantum eſt, & fortaſſe plus ſatis. Injeciſti nuper ſpem tui adventus, quem avide exſpecto, paciſcorque ut recta ad nos venias, & in hoſpitio noſtro diverſeris, licet inde avocentur adoleſcentuli parum intelligentes ſuæ felicitatis. ἀλλ' οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Cottidie precibus ambiunt ἀρτίφρονες, καὶ οἷς νόος ἐστὶ φρενήρης, quod licentiæ alumni περὶ μηδενὸς ποιοῦσι. Subibit olim forte pœnitentia. Plura non addam. Datum Lugduni Batavorum XXIV. Martii CIↄ Iↄ C VI.

Eo ipſo puncto temporis, quo proficiſci ſolet nuncius, accepi tuas, eaſque fugitivo oculo luſtravi. non licet per anguſtias reſpondere. gratias ſaltem habeo affectui tuo, nec eſt quod labores ut revertatur, qui hinc eliminavit. conferam in eum etiam nolentem & ingratum officia. ſed de contubernio gratiam facio. lætor eum alio migraſſe.

EPISTOLA LVIII.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

SOleo ex levibus cauſis aucupari occaſionem ad te ſcribendi, quia ſcio te non indelectari noſtris literulis etiam inanibus & nullius rei. Nunc autem cepit me impetus effundendi in ſinum tuum, fide & prudentia ſpectatum, juſtam indignationem conceptam adverſus κακοήθειαν cujuſdam è fratribus. & cur non addo nomen Lydi iſtius barbari? jam conjicere potes, quem hoc elogio deſignem. Superiore anno quum in convivio ſimul eſſemus, incidit ſermo de magno viro, & nunquam dicendo ſine honore, Iuſto Lipſio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſio. Ille continuo ingenti verborum volubilitate & plutiloquentia qua valet plurimum, plauſtra convi- orum in ejus caput effundere, & palam minitari ſe in icem editurum quidquid olim epiſtolarum miſiſſet ad atrem, virum hac in parte diſſimillimum filio. Ad anc iniquiſſimam declamationem paucis reſpondeo, t meus eſt mos, ne ſacra menſæ & hilaritatem epula- um conturbarem. Diſſuaſi lenibus verbis ne id facere animum induceret, rem eſſe mali moris, & perni- ioſi exempli, imo contra fas humanitatis. Ille viola- as religiones, omnia jura ſacra & humana nefario ſce- ere & capitali transfugio polluta queri, nihil vulgare c uſitatum ab iſto impuriſſimo commiſſum dicere, ed omnia directo peccari in ſpiritum ſanctum: & quæ lia ſuggerere ſolet iracundæ fratrum genti ſpecioſus eli color. Mihi non libuit ulterius velitari maledi- ctis, ut qui didiceram honorificum eſſe victoriæ genus n eo certamine ſuperari. Sed & Heinſius noſter, & quem primore loco dictum oportuit, ocellus & deli- ium ſæculi, Scaliger, quem ipſe, de quo mihi ſermo ſt, appellare ſolet eruditorum Deum, vehementer um dehortati ſunt ab hoc inhumano incœpto. Sed, t intellexi per literas Dordraco ad me miſſas, omnino pſi decretum eſt id facere, & jam pactus eſſe dicitur um typographo. Mihi, &, ut opinor, omnibus bonis, qui humanitatis jura norunt, hoc tale videtur, ut pu- blica authoritate coërcendum eſſe videatur. Sed quia vivimus hic non ſolum in regno libertatis, verum etiam licentiæ, profiteor polliceorque me publico et- iam monumento effecturum, ut authorem, ſi quid in- genui ſanguinis habet, pudeat pigeatque ſui facino- ris. Id eo juſtius mihi conceſſum iri ſpero, quod cum mortuis non niſi larvæ luctantur. Iam enim pro certo intelleximus, illud immortalitate dignum ingenium è vivis exceſſiſſe, hora ſecunda matutina vigeſimo tertio die Martii ſepultuſque eſt apud Minoritas ante D. Virginis altare. Significavit hoc triſte nuncium per literas Franciſcus Sweertius. infelix avis *καὶ μάντις κακῶν*. neque enim alias unquam ſcripſit ad heroëm Scaligerum, quam quo tempore magni viri terris ere- pti ſunt, ut ei jure poſſimus occinere carmen, quod Calchan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Calchanti Agamemnon Homericus occinit, ἀεί τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι. Initio ſuſpectas habuit falſi priores tabulas D. Scaliger quibus tantum ſignificabat Lipſium quidem eſſe depoſitæ ac pene conclamatæ ſalutis, ſed tamen adhuc vivere. Verum poſteriores literæ dubitationem omnem ſuſtulerunt, ita definite omnia & ſigillatim indicabant. Quamvis omnia cadere poſſint in ſacram illam cohortem, ** quæ in homines ab omni pudore & pudicitia derelictos; tamen non eſt credibilis tantus in ullo furor, ut gratis & animi cauſa tam ſplendide mentiri velit. Ad ſummam κεῖται Πάτροκλος. Porro in re mea nihil eſt actum, quod quidem ſciam. Non ſtatui unquam amplius tam liberaliter operam meam & omnem Baudium devovere publicis utilitatibus, quando mercedis & gratiæ loco video mihi eſſe ſubeundas offenſiones & tempeſtates invidiæ. quibus non tantum non cederem, ſed contra audentior irem, niſi generoſis meis conatibus intercederet τὸ μικρόψυχον καὶ ὀλιγοδρανέον τοῦ Ἀδράστου, ut Grotii herois vocabulo deſignem optimum quidem hominem, ſed cui æque languet animus atque corpus. Plura volebam nugari, ſed μηδὲν ἄγαν ἄγαν με τέρπει. Vale vir eximie, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum III. Nonas April. CIↃ IↃCVI.

EPISTOLA LIX.

Gerardo Voſſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

NOn eſt, amiciſſime vir, quod ullo modo labores de exquirenda cauſa, quamobrem alio migrarit Blyenburgius. me non illibente fecit, & patri forte conſtitit facti ratio, quæ ſi conjuncta eſſet cum aliqua famæ noſtræ deprecatione, tum demum cura & ſollicitudo tua vel neceſſaria, vel ſaltem utilis nobis foret. Nunc autem nihil præter imbecilles ſuſpiciones & inania ſermunculorum nos perſtrinxit, quæ adeo me non lædunt, ut potius iis utar ad ſegetem & materiem gloriæ. Sola recti conſcientia munitus, frangere poſſum minutos iſtos adoleſcentulorum rumores, ut à ſcopulo fluctus eliduntur. Agnoſco neſcio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

io quid ſequius inculcatum eſſe artificio ejus de cujus dole antehac opimas animo ſpes concipiebam. Sed hil mihi rerum divinarum humanarumque credas, ίνυ μοι ἀτυχεῖν δοκεῖ ἐν τοῖσι σπουδαίοις, καὶ βλάπτεσθαι τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα. Non cupio eſſe μάντις κακῶν, 10 vehementer opto ut fallar, ſed multa non ſolum μεῖα, verum etiam τεκμήρια faciunt augurio fidem, quibus coram, ut ſpero, fabulabimur. neque enim benter tracto hanc chordam. Audiſti, ut opinor, V.C. ſtum Lipſium è vivis exceſſiſſe. multum detrimenti pit res literaria; & magnum ſeculi jubar extinctum t. Integriore tamen fama deceſſiſſet, ſi nunquam rem abuiſſet cum Divis illis ſuis virginibus. Non magnoere nunc repugno, quo minus literæ ejus ad D. Lydii atrem edantur, etſi res eſt mali moris & pernicioſi xempli: ſed nihil iſta ad defunctum, cujus oculis parendum eſſe arbitrabar. tamen meminerit, non niſi rvas cum mortuis luctari ſolere. Raptiſſime Lugdui Batavorum XXI. Aprilis CIↃ IↃC VI.

EPISTOLA LX.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HEſterno veſpere ad me venit vir nobilis & veteri amicitia mecum junctus Balduinus à Roon, qui mihi pro certo ſignificavit Broncnorſtium heroëm & G. F. P. N. hodie aut cras ituros Hagam, ut Curatoribus noſtris & ſocero tuo, qui plus inus quam cæteri omnes poteſt polletque, commenlent quendam antehac penitus mihi ignorabilem, cognomine Buſium, ut ſcilicet locum Principem juridicæ profeſſionis impleat, idque ſibi compertum ex nobiliſſimo Stephano Douſa. Mihi etſi parum veriſimile videbatur, tamen certiſſimum habeo neutrum mentiri. Faciendum itaq; exiſtimavi ut ea de re te commonerem, non quod cuiquam bono & bonis artibus inſtructo cupiam intercludi aditum ad bene de rep. literaria merendum: ſed vix adducor ut credam hunc novitium terræ filiolum, cujus hactenus ne nomen quidem fando audieram, parem fore tanto muneri. Quid tum poſtea? dices. Nunquid ille qui rem tantam preſtare poſſit, tu es? Equi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Equidem mihi non ſum tam Suffenus, ſed tamen ſi unquam veſtigium fixero in cathedra ſanctæ Themidos, cujus ſacerdos clueo jam ante annos amplius viginti, perficiam ut luſcus inter cæcos regnare videar. Audio Attalicis conditionibus evocatum fuiſſe à Franekeranis D. Godofredum, hominem editionibus celebrem, ſed, quod inter nos pereat, cætera infelicis ingenii judiciique, probum tamen & proborum amantem. Mihi magis libet altum ſtertere, quam tali genere monumentorum poſteris ſæculoque monſtrari. Interim hic limes eſt & ad nominis celebritatem & ad ſpem compendiorum. Quam vere effatus eſt olim noſter Lipſius, quoſdam famam habere, alios mereri! Noſtra ambitio non altius aſpirat, quam ut amoliri poſſit duris urgentem in rebus egeſtatem, quæ mihi pedum viam aperiet cum exprobratione publicæ ingratitudinis, niſi alia noſtri ratio habeatur. Hæc libere apud te queror, quem ſcio hæc militiæ flagitia in primis aſpernari. Cras, ut ſpero, te videbo. eſt enim mihi Hagæ negotium, unde doloſi nummi ſpes opima nobis affulget, ſed non oculata. vale, & nos ama. Datum Lugdun. Batav. v. Maji cIↃ IↃc vI.

EPISTOLA LXI.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ITerum ad te veniunt deprecatrices literæ in gratiam miſeri illius, qui jam amplius anno vitam agit in carcere, ſi vita eſt vocanda quæ caret bono libertatis. Commune hoc votum eſt omnium creditorum, ut liberetur, niſi forte unus aut duo ejuſdem gentis per cuniculos eum oppugnant ut in vacuam poſſeſſionem faciant impetum, quorum inhumano propoſito & capitali fraudi non eſt ſubſcribendum. Leidenſis Magiſtratus fere omnis inclinat in benigniorem ſententiam. ſolus, ut audio, Actuarius, ſeu Secretarium malis, paulo duriorem & minus exorabilem ſe præbet, non aliam ob cauſam, ut ſuſpicor, quam quod argenteo palpo non eſt delinitus. Fratrem quoque viri ampliſſimi ſoceri tui, ferunt inclementius efferri adverſus totum hoc genus Daniſtarum, quod quidem improbum eſſe

ſe non diffiteor & ab omni Chriſtiana charitate aver-
n, ſed quando ita mores & tempora ſunt, ut eo ne-
ſſario malo civitates carere non poſſint: haud æquum
novæ & intempeſtivæ ſeveritatis exemplum ſtatui,
jam pares non ſumus. Si removeris communem
idiam qua merito laborat tota natio fœneratorum;
hoc reo liquet mihi affirmare, haud facile repertum
hominem minus verſutum, magiſque pro captu ſuo
penſum ad colligendam bonorum gratiam & ſub-
andam tenuiorum fortunam dum fata Deuſque ſine-
nt. Atque adeo (ſed rogo ne diſpaleſcat hoc horri-
e ſecretum) mihi ante iſtam calamitatem oportu-
ſimo tempore auxilium tulit. ut præter illud latiſſi-
e fuſum jus officii ac neceſſitudinis, quo homo homi-
propter conſortem naturam prodeſſe debet, etiam
culiari lege devinctus ſim ut ejus cauſa laborem, ne
mine immemoris beneficii caput adſtringam, quo
hil pejus terra creat. Vt omnia quam acerbiſſime au-
antur in majus, nihil ei magis vitio verti poteſt,
am quod parum diligenter rationes confecerit, &
mis bene ſperarit de patrimonii ſui viribus, tum au-
m facilitas fide jubendi, præcipuus fundus eſt calami-
tis & potiſſima mali labes quæ hominem ad incitas
degit. Interim cum ſub præſidio fidei publicæ tran-
giſſet cum creditoribus, & nihil hoſtile metueret,
preſſit eum improviſa tempeſtas, miſſa à conſeſſu
rovincialis Curiæ. Forte quod nonnulli ex eo colle-
o tacti ſunt aliquo bolo, & ſpecie juris publici priva-
s offenſiones ac ſimultates ſequuntur. Equidem ſu-
icor, nec ſine probabili cauſa, non aliunde proficiſci
ntam odiorum acerbitatem. Si aut hunc captivum,
t ejus affinem, quem per contumaciam condemna-
nt, in ipſorum manus incidiſſe contigiſſet: nunquam
columi capite dimiſſi forent. Neſcio quæ implacabi-
a Edicta Cæſaris obtenduntur, quæ non magis unquam
n uſu fuerunt, quam illa lex horrendi carminis qua
Decemviri concedebant creditoribus, ut debitoris, qui
on eſſet ſolvendo, partem ſecarent, & quidem cum
ac ridicula clauſula, *Si plus minuſ-ve ſecuerint ſine fraude
ſto.* Non fuit neceſſe obrogari tam immanes & barba-
as edictiones, quas uſus nunquam approbavit. Sed
hujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

hujus cauſæ longe diverſa eſt ratio. nam, ut dixi, univerſi creditores hoc agunt, hoc vovent & exoptant, ut alter eximatur è vinculis, alter veniam ab optimo principe, aut ampliſſimis ordinibus impetrare poſſit. Obtundor quotidie creditorum ipſorum precibus, ut te, apud quem nonnihil meam gratiam poſſe perſuaſum eſt omnibus, exorem, ne miſeris hominibus auxilium humanæ commendationis denegare velis. Sed hoc tempore tantum preces meas interpono pro captivo. alter ille qui incertis ſedibus vagatur, forſitan, ubi commodum erit, utetur etiam me ſequeſtro, ut beneficia beneficiis cumulare non graveris. Neque enim tuum eſt ceſſare in officio benemerendi de hominibus, ſi non hominum cauſa, ſaltem humanitatis. Vale, & nos ama. Datum Lugd. Batavor. VIII. Maji cIↃ IↃ c VII.

EPISTOLA LXII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

EST hoc ingenium ſollicitudinis, ut nunquam ſibi acquieſcat, nec niſi perfecta re ſtudium intermittit ſuum. Id adeo experior in optima fœminarum uxore miſeri illius captivi, quæ hoc mane ſummis precibus mecum egit ut cæteris officiis adderem cumulum, teque per literas orarem ac venerarer ne grave tibi ſit adhuc piam operam impendere marito ejus, viro minime omnium malo, cujus nullum in vita majus crimen exſtat, quam quod pluſculum æris alieni contraxit, innata hominibus bona ſpe rerum ſuarum, & facilitate ſuſcipiendi alienas obligationes. interim creditores in eandem curam incumbunt ut liberetur è carcere, ne majori bolo tangantur ſi nemo ſit qui negotia curet. Video per cuniculos hoc agi per nonnullos ejuſdem nationis & factionis homines, ut duobus iſtis mortalibus (quorum unus deſerti vadimonii damnatus incerta ſede divagatur, alter certam ſedem ſed in carcere habet,) omni ſpe reliqua everſis ipſi in eorum locum invadant: cui malitiæ non eſt indulgendum, ſed potius acriter reſiſtendum. Placabiliores effecti ſunt ii qui plumbeas iras gerebant, è quorum numero in primis erat **. qui ſi (ut hoc obiter addam) recordaretur deliquia

liquia juventutis ſuæ, quæ tanta fuerunt ut populo
ritim potuerint diſpertirier, juxta jocum Comici mi-
s ſe inexorabilem præberet humanis erroribus. Sed
natura comparatum videmus, ut nemo ſit ad veniam
ndam tardior, quam qui eam ſæpius meruit. Nunc
c ſibi perſuadet bona mulier, cujus officioſa poſtula-
 me ad ſcribendum incitavit, hoc aut craſtino die
n ex animi ſententia ſucceſſuram, ſi columen patriæ
ſtræ, & vindex publicæ libertatis, ſocer tuus, cau-
piæ, & (ut verbo IC. utar) miſerabilis meminiſſe
netur. Quod ut faciat, etſi ſua ſponte ſatis incitatus
, tamen, ne multitudo negotiorum cogitationem
iſce rei ſupprimat, communiter te rogamus, ut ca-
ito commoditatis articulo virum admonere ne gra-
ris. Nam niſi confit ante adventum Legatorum, aut
ciſa eſt res, aut in longum tempus prolatabitur. Ea-
m opera per genium humanitatis te adjuro, ut ex
æſide cognoſcas an aliquid ſpei ſit reliquum, cauſam
rmani illius & noſtram ante feſtum Pentecoſtes ter-
natum iri. Nam niſi hoc fit, quid ceſſo lamentari fu-
s trecentorum florenorum, qui mihi in mundo pa-
i erant? Porro ſoli quatuor aut quinque dies feſti
perſunt, itaque non diu animi pendebo, ſpemque
etumque inter dubius. tamen ſi forte jam ſcis quid
 futurum, pergratum mihi feceris, ſi huic qui tibi
s tradidit, ſignifices me aut periiſſe aut divitem fore.
unquam inoportuno tempore veniet ad Larem no-
rum impurus iſte plutus, ſed tamen nihil fieri poſſet
portunius quam ſi nunc ſupplementum aliquod rei
immariæ nobis obvenerit, ad inſtruendum biblio-
ecam Bartholis & Baldis, cum quibus mihi deinceps
lenda erunt jura propinquioris amicitiæ. Sed dudum
putor tua dignitate quod ſic licenter nugor. Vale. Da-
m XXI. Maji cIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXIII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

PRæterito die Iovis eram in ſolennibus epulis trium Medicinæ Doctorum recens adlectorum in eum ordinem. Proxime mihi aſſidebat collega Otho

Otho Heurnius, qui ſollicite quæſivit ex me quænam eſſent molliſſima tecum fandi tempora, quis rebus dexter modus, quaſi ſcilicet eſſes

Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli.

ſimul etiam rogavit, ut, quandoquidem in ſermone jeceram me die Sabathi iſthuc iturum, ſe tibi commendarem. quod prolixe, ut adſolet in convivio, & ſicut meus eſt mos, illi ſum pollicitus me curaturum. Quin & ipſo mane quo te conveni, ſubjeceram iſtud mandatum & receptum officii munus memoriæ meæ: ſed neſcio qua ſupina oblivione factum eſt, ut ne verbum quidem ea de re fecerim. Senſi protinus latam negligentiæ labem, quum hoc ipſo temporis articulo ad me venit, rogitans ecquid ſui meminiſſem, puduit fateri culpam, itaque fiducia tuæ facilitatis fretus haud dubitavi correpere in latebras ſubiti mendacii, quod tamen valde abhorret à naturæ meæ generoſitate. retulique me cauſam ejus egiſſe diligenter apud te, & id ex parte tua renunciavi, quod moribus tuis maxime conſentaneum eſſe judicabam, nempe te non immemorem vivere antiqui convictus. Eſt illi in animo tibi & collegæ tuo D. Matheneſio dedicare librum à patre conſcriptum & antehac ineditum de Morbis ventriculi. Nunc illud te ſupplex oro, ut ſi forte te alloquatur antequam rurſus ad vos eam, non deprehendat me mendacem. ſi quid præterea benignius addideris, id humanitati tuæ referam acceptum. Ignoſces confidentiæ noſtræ, nec indigne feres ingenuam turpitudinis confeſſionem. non heic ſitæ ſunt fortunæ publici ſtatus, ut in flagitioſiſſima & impudentiſſima δωροδοκίᾳ **, quæ non potuit habere aliud propoſiti, quam evulgationem arcanorum noſtræ reipubl. Res heic mirifice exagitatur non ſolum vulgi rumoribus, ſed eorum etiam qui muneribus adminiſtrandis præſunt. Nec expiatur crimen quod à picatis manibus reglutinavit ingentem illum bolum. ſi ſperaſſet fore clam, horribiliori ſilentio per eum obſignata res eſſet quam quo myſteria Cereris aſſervari conſueverunt. Porro in talibus cunctatio vel ad momentum probationem habet impiæ molitionis, &, ut cum Tacito meo loquar, qui deliberant deſciverunt. Sed improbi iſtius capitis, & totius proſapiæ, pudet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

det pigetque, cui ſi ſupplicandum eſt ut muſæ no- æ liberalitatem Ordinum elicere valeant, malim æ- nem ægrotare, quam eſſe tali ſalute ſanior.

Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum.

le vir obſervande, & nos ama. Dabantur raptiſſi- xxii. Iulii cIↃ IↃc vii.

Epistola LXIV.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

SPero me proximo die Saturni ad vos reverſurum Muſis comitatum, ſed non Homerum. Interim honeſta cum fiducia gloriari poſſum, ex eo tem- re quo fundata eſt hæc Academia, forte nullum o- s in lucem exiiſſe, quod clariorem famam longe la- que diſperget. Vtinam non eſſet conjuncta cum mul- rum præpotentum offenſionibus! Sed ut prudenter e admonuit noſter Magnus, aut initio plus provi- ndum erat, aut nihil non audendum fuit poſtquam mel aleam jacere cœptus ſum. Si quid unctius ab Or- num largitate in authorem redundabit, id ex magna rte tuis nominibus imputabo, cujus amor & bene- lentia præcipuus eſt fundus meæ felicitatis. Cæte- m eſt mihi in animo his Auguſtalibus feriis transfre- re in Britanniam, ut Regi φιλομούσῳ & filio ejus of- ram donarium, ne fraudem faciam legi Perſarum, æ vetabat principem adire ſine munere. Ibo iis opi- s & copiis inſtructus, quas ſecum magnanimus Bias rtabat, quum ejus patriam cepiſſet hoſtis, & nihil liqui feciſſet victis. Tamen ſi ampliſſimi Ordines quid huic mortali mandare dignarentur quod noſtra x deferret ad aures Regis, forte nihil admitterent jus eos pœnitere poſſet, & mihi tum gaudio tum ho- ori eſſet reip. cauſa legari, nec Baudii negotium omit- re. Quis iſtud vitio vertat mihi, quod à veteribus omanis toties uſurpatum eſt, etiam cum frugalitas & ncti mores florerent? Quis enim ignorat rerum pri- atarum cauſa legationes liberas & ambiri ſolere & npetrari? Si ea de re ſerio cogitationem ſuſceperis, c Atlanti noſtro ſocero tuo cauſam iſtam diligenter ommendaveris, non deerunt ſpecioſæ rationes ho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

mini ad excogitandum ſolertiſſimo, ad perficiendum maxime actuoſo & efficaci. Sin fruſtra mecum hæc blanda ſomnia meditor, ibo à me legatus tanquam aliquis non degener incola mundi ad alium civem ejuſdem civitatis. Induam frontem Stoicam, & ſi rex eſt qui recte facit, regem me eſſe opinabor rege Perſarum auguſtiorem, ſalvo tamen ſuſpectu majeſtatis, ne ſæculo ludibrium debeam, ſi ſapere poſtulem ſupra quam mores publici patiuntur. Hæc liberius jocati ſumus. vellem tamen ut hæ nugæ ſero me voti compotirent. Vale. Datum Lugduni Batavorum VIII. Kalend. Sextileis CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXV.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

CVm hic honeſtus juvenis εἰς ἔργα φιλομαθὴς καὶ εἰς μέτρια πολυμαθὴς unus è convictoribus meis, iter iſthuc haberet, una fidelia, quod ajunt, duos parietes dealbare viſum eſt mihi: nimirum ut eadem opera & eum humanitati tuæ inſinuarem, & ſimul refricarem per literas memoriam cupiditatis meæ & ambitionis, ut opinor; non reprehendendæ, quam penes fidem taciturnitatis tuæ depoſui, cum poſtremo tecum ſum locutus. Omnino propediem futurum auguror & ſpero, ut mihi ſit proficiſcendum in Galliam, ad cernendam, ſi qua fata ſinant, hæreditatem mille aureorum. Quanquam hæc etiam incerta ſpes ſatis idonea & gravis cauſa eſt homini meæ ſortis ad iter iſtud inſtituendum, tamen amicitiæ tuæ & gratiæ fiducia fretus, videor mihi non improbus aut nimius voti, ſi ſperem te adnitente poſſe interea ſubnaſci occaſionem, ut illuc publico nomine legari queam. Nihil magnificentius de me loquar, ſed tamen animo imperare non poſſum, quin liberam vocem effutiam. Quid eſt qua in re nobiſcum ſit comparandus is qui per tot annos eam Spartam adminiſtrat? niſi quod Ioves habuit magis propitios, & potior eſt hoc tempore nutus fortunæ, quam ſapientiæ cadus ad obtinendas dignitates? Etſi conſpectiore loco eſt, tamen non adeo me famæ pœnitet, ut ab eo me dignitate & vera

era laude ſuperari exiſtimem. Illum oblivio manet, os forte loquetur poſteritas, & eſt in manibus monumentum unde ſpem ejuſmodi ſperare poſſim. Non iraſceris, ut ſpero, juſtiſſimæ indignationi meæ, ſed, ſi bene te novi, facilem veniam dabis, quippe qui forte non minus quam nos hæc militiæ flagitia aſperneris. Vale. Datum funeſta die Bartholomæi cIↃ IↃC VI.

EPISTOLA LXVI.

Viro Nobili Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

SErius quam opinabar ad te venit editio noſtrorum Poëmatum, quia ſperabam me ad vos iturum hiſce feriis Auguſtalibus, ſed opinione diutius hæſi in hac inſula, idque ſine ullo moræ pretio, niſi quod ſumptu & periculo meo didici, quam ſit parum prudens conſilium, inſiſtere famæ, & fidere Regum liberalitatibus. Inpoſterum cautius mercari diſcam, nec incertam ſpem præſenti pretio emam. Interim fruar hoc ſolatio, quod vix hac virtute ſterili ætate reperietur quiſquam qui in eo genere plura præſtabit. cujus rei incorruptiores teſtes erunt, *Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.* Nunc liberatus editionis hac moleſtia, decrevi gravioribus ſtudiis animum intendere, & Poëtæ nomen, quod neſcio qua oſtentatione traducitur, meditamentis civilium quæſtionum obumbrare: non quod carminum gloriam aſpernandam putem, ſed tamen pars ſapientiæ eſt furere cum inſanientibus, & ſeculi moribus morigerari. Neceſſe eſt ut oſtendam me in alio diſciplinarum orbe non eſſe hoſpitem, aut ut ludibrium auditoribus debeam: quippe cui nunc duplex Sparta eſt ornanda, Iuris nimirum & Hiſtoriarum. quam ſi non re & facultate tueor, ſaltem feliciter cedit temeritas, & aſſequor ſtudia multorum, quibus conatus noſtri non improbantur. Præbitor Amphitheatri per me ad ravim clamet licet, vix poſſum adduci ut ceritum & lymfatum iſtud caput dignum æſtimem indignatione. ne tamen ſe præteritum eſſe queratur, bis terve à nobis obiter perſtrictus eſt. Alter ille alaſtor Scoppius, quo fœdius monſtrum ſol non videt, exterminari debet

 è fini-

è finibus humanæ naturæ, aut culeo inſuendus eſt, tanquam publicus optimi virorum parricida. Non poteſt illum noſter heros deprimere, quin extollat. hoc enim agit, ut glorioſis inimicitiis inclareſcat furcifer omnium bipedum nequiſſimus. Contemptu & ſilentio puniendum cenſeo. tamen ἡμέτερος ὁ γλυκάδας aliquod telum lucubrationis in eum acuit, ne taciturnitas ſpeciem conſentientis præbeat, ut ſunt plerique mortales proni in ſequiorem ſuſpicionem. Initio aliquantum animi ſeſe angebat ob tam impotentem & effrænem audaciam, nunc erectus amicorum monitis, & ſua virtute atque innocentia fretus, nebulonem habet pro oblectamento. Sed me talium vomicarum pudet pigetque. magis mihi curæ eſt, ut proborum benevolentiam candore & ingenuitate demereri poſſim, quam aſperis dictis ſcriptiſve inſectari ſacros atque inteſtabiles authores, quorum maledicta, ut ait noſter Tacitus, ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcaris agnita videntur. Vale. Datum Londini XXVII. Auguſti CIↃ IↃC VII. Stylo veteri.

EPISTOLA LXVII.

(Conſtat tota Epiſtola ex Iambis.)

Κυριακὸς ἀνδρῶν ὁ κάκιστος Βαύδιος Ὑγῶνι
χαίρειν εὖ τε πράττειν Γρωτίῳ.

Hagam-Comitis.

SEcundus ille qui mihi cognatus eſt, ut ſcis, & ære dives olim, nec fide fuit minore : non Apoſtolicam fidem loquor, ſed illam quam Cracharpages colunt. Qui non adorant nec putant quenquam Deum, præter Monetæ numen & Plutum patrem. Sed ut revertar ad Secundum Luſſium, ut cœperam, is eſt redactus pene nunc ad incitas. Nam filius, quem ſapere credebat pater pluſquam Thaletem prædicant Mileſium, bono Chremeti jecit ingentem bolum, non alea, non Venere, non luxu gulæ, ſed credula ſpe captus indignis modis, ab inclyto nepote Vanderhagio. Quo nemo tempeſtate noſtra doctius corvos hiantes ludit & ductat dolis. ni Moucheronem forte compares planum iſti tribuno vapulari. ſed nimis longe petitis te moror ſermonibus, venuſte Groti. rem tibi paucis dabo. Secundus ille dives olim nunc egens, repoſcit

æs quod mutuum dedit mihi, quum re fideque provocabat Attalum magnoſque reges. & colore ſcilicet hoc utitur, quod ex relatu teſtium graviſſimorum comperiſſe ſe refert mihi Euclionis eſſe theſauros domi, quos à Britanno Rege pro Poëmatis velut è ſepulchro aut promptuaria penu exenterarim, ſed vafre celem malus ut creditores debito evertam meos. Ridebis hæc, an potius indignaberis? id jam mihi reſtabat Ædili novo præbere ludos, atque differri jocis per ora plebis. hoc tamen fruor lucro, quod & monarchas habeo debendi reos. Sed iſta ſcire ſacculus negat meus, qui cum Catullo plenus eſt araneis, nec in ſolutum ſpes inanes accipit Daniſta, quod ſcis eſſe peſſimum genus mortalium. ſed unus è tota tribu ſejunctus eſſe poſtulat Ferrerius (καὶ δ᾽ Πλάτωνα δέον ἐξαίρειν λόγου) pro quo mihi tot evocati milites, tot bella ſunt pugnata, nec facti piget. Tamen colonus carceris diu fuit, ut ipſe noſti, & nunc abeſſe cogitur, aut exulare, ne figurate loquar. Porro ede ſodes, ô Poëtarum decus, quid eſſe facto cenſeas opus mihi. Quod ſi optionis indigere rem putas, nec explicare ſolus hanc litem potes, tibi advocandum ſuadeo Borelium, ὃς οἶδε πολλὰ καὶ παλαιά, καὶ μάλα πλάγχθη, όσον τε καὶ πόλεις ἀνδρῶν ἴδεν. Vt quondam Vlyſſes ille Laërta ſatus, quem dia nobis mens Homeri protulit exemplar utile & ſalubre, quid queat virtus, ſagaxque pectus haud cedens malis. Huic fide, ſi quid rite curatum voles. Nam Regis uti munere arbitri, foret nimis ſuperbum, quanquam in ære ſunt meo Reges, nec amplis eſſe Satrapis minor te fretus audet gloriari Baudius. Sed ille magnam aut regit Britanniam, ecquid videtur exſoluturus fidem? ecquid Dianæ ſtudia permittent, uti Phœbo vacare poſſit, & noſtras velit reſpicere Muſas? ſic opinor, ſi ſtudet famam tueri, qua per orbem clarus eſt. Ajunt enim qui propius obſervant virum uno ore, nullum vivere in terris caput, quod largitatis laude conferri queat cum rege Iames, experiri geſtio, rumor-ne mentiatur an verum ferat. * Barclaius imbre totus aureo ſcatens dimiſſus, atque in An-

 glicam

* M S. habet: *Barclaius ille, cujus in ſinum aureus defluxit imber, teſtis haud inanis eſt, quanto opere Princeps ille literas amet.*

glicam terram brevi redire juſſus, non inanis author eſt quantopere Princeps ille literas amet & literatos, in quibus non infimum parare nomen tuque egoque poſſumus, ni vana me titillat aſſentatio, quæ veritatis lumen obſcurat ſolens. Sed cur, quod ante deprecari cœperam, te tædioſis demoror ſermonibus? huc tota ſumma tendit, hoc in cardine fortunæ ſpes opeſque noſtræ ſunt ſitæ. Secundus ut ſe comiter flecti ſinat prece aut favore, ne petaces literas ad me remittat uſque, donec in vado ſit conſtituta lis Stapelionidæ. Quod obtinere ſpero cis paucos dies. Sic auguratur animus. interim jubet Κυριακὸς ἀνδρῶν οὐ κάκιστος Βαύδιος Ὑγῶνα χαίρειν, πολλὰ κλαίειν Σκώππιον. VII. Octobr. cIↄ Iↄc VII.

Hæc ſunt non nugæ, non enim mortualia.

EPISTOLA LXVIII.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam Comitis.

HAbeo illud commune cum M. Bruto interfectore Cæſaris & ultimo Romanorum, quod cupio, vehementer cupio. Quapropter ut primum ex ſermone veteris amici & fortiſſimi ac liberrimi civis D. Bielii propoſita mihi ſpes eſt de adipiſcendo munere Hiſtoriographi ampliſſimorum Ordinum, tanta me cura cupiditaſque inceſſit, ut ex quo à te diſceſſi ſomnum non viderim. Nullo remedio efficacius ſanari poſſet tertiana febris, quæ heſterno die tertium me invaſit, quam ſi ea conditio nobis obveniret. Et ſane ſi ſecluſo patriæ aut neceſſitudinis reſpectu Domini noſtri, quorum fidei cuſtodiæque concredita eſt dignitas publica, circumſpicere velint, quis ex univerſo ordine literatorum eo potiſſimum honore ſit dignandus; non ſpero, ſed confido, neminem nobis prælatum iri, quod ex honeſta potius fiducia quam cum arrogantia dictum eſſe cupio. Si quiſquam eſt mortalium qui digna æſtimatione norit & poſſit prædicare ingenium Grotii, ſine exemplo ſummum, & majus captu pene hujus ſæculi, in eo cenſu nomen in primis profiteor meum: quin & ejus amori tantum tribuo, ut quanquam ex lege etiam bene ordinatæ

caritatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

caritatis quiſque ſibi eſt proximus, tamen falcem in ejus meſſem immittere nolim. Sed quod tamdiu ne verbum quidem ea de re tecum fecerit, magno argumento eſt eum alio petitionis ſuæ ſcopum direxiſſe. Si communi famæ tuto creditur, omnibus fere perſuaſum eſt eum ambire provinciam Advocati Fiſcalis. Habet ingenium flexibile & ſequax in omnes partes, nec ullum officii aut dignitatis onus eſt, cui ferendo par non ſit. ætas ſola ei obeſt judicio hominum imperitorum, qui virtutem annis & opacitate barbæ metiuntur: at meo ſenſu nihil eſt quod ei magis ſuffragari deberet, quam quod in limine juventutis æquat prudentiam & maturitatem virorum, uſu atque ætate provectiſſimorum. Si talis homini Sparta contigerit, vix erit ut in tantis occupationibus juſtum tempus elargiri poſſit ſcribendæ Hiſtoriæ, quo munere nullum magis arduum ac difficile arbitrantur homines qui ſuis pretiis momenta rerum ponderant. Nam Tragoras, & ſimiles nugæ mortalium,

Quos gignit quoties voluit Natura jocari,

nunquam per ſomnium imaginati ſunt, quid ſit primum clavum pangere in ædificandis rerum geſtarum monumentis. Illud enim non mediocre momentum adferre debet Baudio ad ſubruendos æmulos & competitores, quod noſtræ profeſſioni labes inferetur, ſi alius vi, clam aut precario eam poſſeſſionem invaſerit. non quin palma in medio poſita ſit, & unicuique conceſſum eſſe debeat ingenii ſui vires periclitari cum ſpe bona poſteritatis demerendæ, ſed hoc volo, non facile quenquam repertum iri, nec æquum eſſe cæteris paribus alium admittere qui nobis publice anteferatur. Vt paucis mentem meam circumſcribam, ſi Grotium vehementer cupere animadvertes, cauſæ nihil dico quin herois vota ſuffragio tuo juves, etſi pro me facit prærogativa ætatis, & diuturnior experientia rerum humanarum; ſin ambigere ſenties, poteris ſine ejus offenſa gratiam tuam juſtæ ambitioni noſtræ impartiri. Quod ut facias, & quidem cito, ut muneri accedat gratia celeritatis, etiam atque etiam te rogo. Tibi in ſolidum debebo, ſi voti metam attigero, cujus obtinendi certiſſimam ſpem concipio, ſi totum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Mylium in fungendo candidatorio munere pro nobis exſerueris. Illud periculo exiſtimationis meæ recipio, nunquam fore ut te delati muneris, me recepti tædere poſſit. Vale. Datum Lugd. Bat. VIII. Octob. cIɔ Iɔc VII.

EPISTOLA LXIX.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

PEndeo animi, quorſum tandem evaſura ſit noſtra expectatio, quanquam & amicitiæ tuæ fides, & nonnulla noſtrarum virium fiducia bonam ſpem portendunt, tamen ut eſt ingenium ſollicitudinis ſemper pronum ad ſiniſtras ſuſpiciones, vereor ne præſens aliquis, & diligentior in ambiendo, nobis anteponatur. Sum enim admonitus ab homine amiciſſimo Scriverio, quicum ſolo petitionem meam communicavi, alios eſſe qui ſibi hanc provinciam præſertim à Geldris ſpondeant. nam illis inprimis erit opus Hiſtoriographo. quanquam enim D. Bielius in ea opinione eſt, ut exiſtimet ultimam ab optimo Merula manum operi eſſe impoſitam: tamen certius mihi de veritate conſtat, & (quod pace defuncti dictum ſit, quodque inter nos pereat) non arbitror ea quæ ſumma diligentia compoſuit, tali ordine, ſtylo, & judicio eſſe digeſta, quin ſucceſſoris diligentiam induſtriamque deſiderent, ut cum honore ſeculi pro dignitate rerum in lucem exire poſſint. De Grotio conſtans hic fama eſt, eum deſignatum iri Advocatum Fiſci: quod ſi fit, abunde erit qui ætatem ſuam exerceat, ne novam molem negotiorum ſibi accerſat. Puto jam ad veſtras aures perveniſſe rumorem turbellarum quas die Lunæ præterito ſtudioſi excitarunt. Inter alios & ipſe ſum exploſus, non malevolentia cujuſquam, ſed quod ita decreverant neminem excipere. Cauſa prætenditur, quod à vigilibus duo ex eorum ordine graviter vulnerati ſint, alter etiam peculio ſpoliatus quod habebat in zonula. Nunc omnia pacata ſunt, ſed querelæ differuntur in adventum veſtrum, qui utinam me deſiderii votique compotem efficiat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Hoc precor, hunc illum nobis aurora nitentem
Luciferum roſeis candida portet equis.

Vale. Datum Lugd. Bat. x. Octobris cIɔ Iɔc vII.

EPISTOLA LXX.

Cornelio vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

SCribo hæc æger corpore, ſed animo vegetus & erectus ad vindicandam ſæculi gloriam & demerendam poſteritatem. cujus rei potiundæ præclara ſeſe occaſio oſtentat, ſi ſpem noſtram inſigni favore complecti fueris dignatus. nec ideo injuriam feceris maximo juvenum H. Grotio, qui tam diuturni ſilentii continuatione ſatis declarat ſe ab iſto munere prenſando deſtitiſſe, nec tam averſus eſt ab amiciſſimo capite, ut ſibi deceſſiſſe arbitretur, ſi quid honoris aut emolumenti nobis publice obtigerit. *Ego* ſi fortunarum mearum anguſtiæ paterentur, vel gratis paratus eſſem hoc patriæ largiri, ut res æternitate digniſſimas quæ noſtris temporibus geſtæ ſunt, ab oblivionis injuria vindicarem. ſed cura rei familiaris & nummaria difficultas me admonet vel cogit potius, ut precibus & ſuada experiar quantum apud te principem amicorum poſſim. Itaque ſi quid unquam meo rogatu adductus faciendum eſſe exiſtimaſti, nunc illud eſt, quum in æternum poſſis nexu mancupioque tuum facere virum non indignum, cujus publice ratio habeatur: atque in ſolido locare, ſi quid eſt in rebus humanis ſolidi, fortunam amiculi. Quanquam non dubito quin pergratæ ſint tibi meæ literæ, tamen ſubinde vereor ne importunitate offendaris. Sed habet hunc morem ſollicitudo, ut nunquam acquieſcat nec ſibi ſatis faciat niſi re confecta. Quapropter ſi cum hæc epiſtola te deprehendet nondum ſermonem habuiſſe cum præſtantiſſimo Grotio, non erit neceſſe ut eum facias conſilii noſtri certiorem. Iura vigilantibus ſcripta eſſe Scævola noſter teſtatur. imputet ſuæ taciturnitati, quod Baudio Hiſtoriarum Profeſſori jure acceſſionis munus Hiſtoriographi obvenerit. nec prælatum me ſibi putabit quiſquis illud expendet, eum in petitionis campum non deſcendiſſe. Vale *meorum Grande decus columenque rerum*. Scribebam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tertiana febre afflictus, & quidem ita, ut antequam deſtinaram, manum de tabula tollere cogar. Lugduni Batavorum x. Octobris CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXXI.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

IAm quartum eandem cramben recoquo, teque per Muſas & omnia ſacra humanitatis obteſtor, ut aut totis gratiæ ſuadæque tuæ viribus adjuves honeſtam ambitionem noſtram, aut ſaltem ignoſcas impatienti deſiderio. Scripſi tibi jam ante, meum ingenium congruere cum virtute & generoſitate M. Bruti, qui nihil mediocriter cupiebat. Habet hoc omnis erecta indoles, quum aliquid ſperare cœpit, non poteſt niſi aut confecta re, aut prorſus deplorata ſtudium remittere.

Me ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte mea componere curas,

non aliud quærerem ſenectutis oblectamentum, in cujus veſtibulo jam verſor, quam munus atque officium ſcribendæ temporum noſtrorum Hiſtoriæ, quibus res memoratu digniſſimæ contigerunt, quales vix ulla vidit ætas. Si tuo beneficio voti compos evadere poſſim, (nam omnino perſuaſum habeo, nihil eſſe tam arduum, quod te adnitente perfici non poſſit) efficiam ut ſerio tibi gaudeas, & ſeculo gratuleris ad exemplum Alexandri regum maximi, qui quum in Sigæo ad Achillis tumulum conſtitiſſet, fortunam ejus magnifice prædicavit, quod tam eximium virtutis ſuæ præconem inveniſſet divinum Homeri ingenium. Abſit ut me cum tanto heroë comparem, ſed ſi campus detur in quo tota vis induſtriæ noſtræ decurrere atque exſpatiari poſſit, non deſpero quin ad antiquitatis gloriam conatus noſter publica liberalitate ſuſtentatus, proxime acceſſurus eſſe videatur. Quod ſi eidem regi Alexandro curæ fuit,

—— ne quis ſe præter Apellem
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret ære,

ne ſcilicet promiſcuis commiſſionibus honos ejus vulgaretur atque obſoleſceret: quidni Ordines ampliſſimi providere debent, ut alicui præſtantiſſimo ſentiendi

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ac eloquendi magiſtro tam honorifica Sparta demandetur. Audeo enim fidenter apud te dicere, quod ipſa res loquitur, hactenus Belgis abfuiſſe idoneum Hiſtoriæ conditorem, etſi plurimi eam rem aggreſſi ſunt quos tenebat inſanabile ſcribendi cacoëthes. Non eſt fas piumque detrectare mortuis, nec mihi libet cujuſquam induſtriam, licet parum felici auſpicio ſuſceptam inſectari: ſed quia penes te tuto deponere poſſum etiam temerarias cogitationes meas, velim ut memoriæ tuæ ſubjicias eos omnes, qui aut juſſi aut ſponte ſua animum ad ſcribendam hiſtoriam appulerunt, facile intelliges, quæ tua eſt judicii ſolertia & ſagacitas, quam parum inſtructi fuerint iis partibus & artibus quæ ad ædificandum ejuſmodi opus deſiderantur. Iuſtus Merunius homo ſemper in forenſi pulvere volutatus, ſed ab elegantiori doctrina imparatus, hanc provinciam in ſolatium amiſſæ dignitatis accepit, & ad breve tempus adminiſtravit, ſed (ut conjicio, nunquam enim inſpiciendi libri copia mihi fuit) non admodum bono eventu. De Nob. Douza ſilere malim, tum ob morum candorem & eximiam viri ſinceritatem atque innocentiam, tum ob ſingularem obſervantiam, qua vivum colui & mortuum vereri debeo: ſed quoniam cœpi jam tranſilire lineam pudoris ac verecundiæ, non poſſum quin dicam eum inæqualitate ſtyli & intempeſtivis digreſſionibus mirum in modum Hiſtoriæ majeſtatem læſiſſe. Douza filius ſupplere potuiſſet aliquando hunc defectum, niſi eum immatura mors terris eripuiſſet. Bonum Merulam omnes confiteri coguntur, fuiſſe hominem indefeſſi laboris, & infinitæ lectionis, ſed ingenii admodum ſterilis, & cujus dictio circa verborum minutias anxie curioſa nihil minus promitteret quam legitimum ſcriptorem rerum geſtarum. Tragoræ nomen non eſt inter feria commemorandum, nedum ut claris nominibus intexendum ſit. Ordines ampliſſimi ſuo arbitratu liberales eſſe poſſunt, nec intercedo quo minus nugas & quiſquilias hominum inaurare velint, dum ejuſmodi largitas heroibus & heroum filiis noxæ non ſit. cæterum non eſt in eorum aut cujuſquam mortalium poteſtate largiri ingenium, facundiam, judicii acrimoniam, aliaſque interiores animi dotes,

quibus memoria temporum & ſeculi gloria propagatur. Heic tacitæ cogitationis tuæ convitium jure pertimeſco. Quid enim, inquies, tu ne is es qui rem tantam præſtare poſſis? Equidem hoc mihi non arrogo, ſed tamen quum abſque gratia & invidia ſubduco rationem ingeniorum, quibus patria noſtra floret, vix adduci poſſum, ut cuiquam extra unum faſces ſubmittam. De Grotio nullus vivit qui magnificentius ſentiat & loquatur quam ego, ſed liberum eſt tibi citra juſtam ejus offenſionem, eum potiorem ducere qui diligentior in prenſando fuerit. Ille per literas ſignificat ſe coram tecum ea de re acturum, tanto temporis intervallo à reditu tuo verbum omnino non fecit. inde veriſimilem conjecturam elicere potes, eum ab incœpto deſtitiſſe. Rogo te ut verbo ſignifices utrum aliquid bonæ ſpei ſit reliquum, an fruſtra mecum has rationes deputem, ne diutius animi pendeam. Vale, vir clariſſime, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum XI. Octobris cIɔ Iɔc VII.

Si opus ſit me ad vos proficiſci, quanquam heri violentiſſima febri conflictatus ſum, tamen continuo excurram.

EPISTOLA LXXII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HAud facile verbis aſſequi poſſim magnitudinem lætitiæ qua ſum affectus perlectis tuis literis, in quibus exſtabant non adumbrata ſigna, ſed expreſſiſſima veſtigia profuſi amoris erga me, qualia nullæ ſimulationes delineare valeant, ſed ſola ſimplex & nuda veritas. Id etſi jampridem multis indiciis haud dubie cognoram, tamen pergratum fuit manus tuæ ſymbolum epiſtolari monumento conſignatum. Itaque ſecurus animi ſum, quicunque tandem eventus ceciderit. proſpera curæ ac providentiæ tuæ aſcripturus, repulſam iniquitati fatorum meorum, quæ non videntur hactenus mihi allucere ſpem opimioris fortunæ. Cæterum eſt quod apud te conquerar de inhumanitate & miſericordia noſtrorum hominum, qui tam arcte Polonum Comitem aſſervari patiun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tiuntur, imo jubent, ut nemini ad ejus colloquium aditus pateat, niſi fratri, & cuidam Iohanni Frederico Rigenſi è Livonia. Heri ſane quum officii cauſa eum vel per cancellos alloqui cuperem, admiſſus non ſum à commentarienſi, qui mandatu Rectoris, aſſeſſorum, & magiſtratus edictum ſibi eſſe ajebat, ne quem introire pateretur. Nolo obviam ire publicæ auctoritati, ſed gratulor mihi quod in eo conſeſſu nondum ſuffragii jus obtineo. Nunquam enim acceſſiſſem eorum ſententiæ, qui initio permiſerunt ut æris debiti nomine manus in eum injiceretur. Etenim creditores facilitati ſuæ imputare debuerunt, quod tantum fidei tribuiſſent filiofamilias, minori annis, cujus conditionem ignorare non potuerunt. neque enim alienam perſonam mentitus eſt, nec propriam (ut loquuntur pragmatici) qualitatem diſſimulavit. Sed fuerit ſpecioſus color, ob quem cuſtodiæ cauſa carceri mancipari hominem non incivile fuerit: illud, meo judicio, nulla juris aut boni moris auctoritate defendi poteſt, quod amici excluduntur ab ejus collocutione, quum ea ſeveritas vix uſurpari ſoleat in iis qui rerum capitalium inſimulantur. Non arbitror hæc vobis conſciis aut conſultis decreta fuiſſe, quos tamen non decebat eſſe exſortes ignaroſque tanti negotii, unde vereor ut ad exteras gentes ex hoc immodico & intempeſtivo rigore fama non honorificentiſſima dimanet ac propagetur. Tantum erat. Vale, vir eximie, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum XVI. Octobris CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXXIII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

DAbis hanc veniam impatienti deſiderio, cui nihil ſatis feſtinatur, quod toties eadem de re tecum ago. nimirum de munere Hiſtoriæ ſcribendæ ab ampliſſimis Ordinibus impetrando. cujus tantam animo fiduciam concepi, ut, ſi ea ſpes me fruſtretur, rationes meas conturbari neceſſe ſit. Vrgeor enim quibuſdam rei familiaris difficultatibus & æris alieni incommodis, quibus non aliter mederi poſſum, quam notabili auctario ſtipendii. pudore impedior quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

minus ſigillatim omnia commemorem, etſi epiſtola non erubeſcit. Sed quamvis in anguſto ſunt copiæ & facultates noſtræ, tamen non tam privati compendii aucupium me hortatur, ut hanc provinciam tam ambitioſe & ſollicite concupiſcam, quam certa ſpes propagandi perennibus ingenii monumentis memoriam rerum æternitate digniſſimarum, quibus cœlo ſe effert gloria Belgarum. Itaque mirum mihi videbatur quod heri ajebas, forte judicio Dominorum Ordinum neceſſariam non fore operam Hiſtoriographi. nempe ut mercuriales viri & homines nullis literis eruditi certatim eas partes ſine populi ſuffragio ſibi ſumant, quorum equidem induſtriam laude non inſectatione dignam cenſeo: ſed tamen eſſet magis è dignitate noſtræ reipublicæ, tam grave & grande munus non niſi à ſpectatæ doctrinæ & eloquentiæ viris adminiſtrari, ut olim ferunt Alexandrum Magnum noluiſſe pingi niſi ab Apelle, nec ſculpi niſi à Lyſippo. Sane in tota re literaria non arbitror quidquam eſſe magis arduum quam recte Hiſtoriam conſcribere, ut facta dictis exæquentur, & lector in rem præſentem deduci videatur. Audieram quidem optimum collegarum Merulam magno ambitu & totis amicorum viribus uſum, ut ad eam Spartam evocaretur; ſed quod illi gratiæ cauſa tributum eſt, id quo minus aliis digne hoc munus impleturis deferri debeat, cauſam non video. Quid, quod jam pene noſtra prenſatio dimanavit ad multorum aures, ut ſi voti compos non evadam, præter repulſæ damnum, etiam populo ludibrium debiturus ſim? Tuningius certe hoc mane ſic eſt affatus uxorem, ut haud obſcure appareret eum arcana noſtra reſcire. ego tamen celo ſedulo iſtud horribile ſecretum. ſed & Bielius, ut hodie ex ipſo cognovi, rem & privatim cum ampliſſimo ſocero tuo communicavit, & publice retulit ad conſeſſum Ordinum, qui uno aſſenſu ſignificarunt ſe non abjecte nec humiliter de nobis ſentire. recens donarium Poëmatum meorum, quæ non ſunt omnium dierum, nec vulgo exſculpuntur è quercu, viros ordine & animo magnificos hortari debet, ut beneficia beneficiis pertegant ne perpluant, ut jocer cum Plauto. Summa tamen hujus loquacis epiſtolæ tota
co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

eo tendit, ut rem omnem curæ providentiæque tuæ permitti cupiam, tu noſti momenta temporum, & occaſionum oportunitates, tum, quod rerum omnium eſt primum, Deos propius contingis. qui ſi preces meas prono favore complecti fuerint dignati, penes te perfecti operis laus, penes me beneficii accepti gratia in æternum manebit. Vale vir multis nominibus obſervande. Datum Lugduni Batavorum XXV. Octobris cIↄ Iↄc VII.

Epistola LXXIV.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

NIſi prorſus in animum induxiſſem credere, gratas eſſe tibi meas literas etiam petaces & flagitatrices: non cepiſſem impetum toties canendi eandem cantilenam. nimirum ut cæteris ornamentis, quibus hunc hominem inſigniendum ſumpſiſti, dignitatem Hiſtoriographi, tanquam legitimam acceſſionem, adjungere velles. Neque enim unquam repulſus abibis à vultu & ſupercilio magni Atlantis in cauſa tam favorabili, & qua ſine detrimento poſteritatis carere non poteſt noſtra reſpubl. in tanta claritate rerum ampliſſimarum domi militiæque geſtarum, quibus æternitas ſane non dabitur à genio Tragoræ, quem nos quidem jure ſibilamus. ſed ſibi plaudit, & Philodouſas cum tota Philomuſorum caterva multum plorare jubet. Ego etiam homini minime malo non invideo honorarium quod à publica liberalitate conſequitur. quem ne poſteris oſtenderem ornatum ſuis virtutibus, quadringentos haud peſſimæ notæ verſus foras erumpere non ſum paſſus, etſi abiturire geſtiebant. Verumtamen quid impedimento eſſe poteſt, quin ejus collega fiam? etiamſi hactenus ampliſſimi Ordines nullum habuiſſent Annalium conditorem, tamen non indigni eramus à quo auſpicarentur, nedum ut in noſtra perſona ſtatuere debeant exemplum parſimoniæ. Denique ſi conſequor quod tam ardenter cupio, licebit cum dignitate & ſine diſpendio reſignare profeſſionem juridicam, quæ tamen quo longius progredior, eo impenſius placet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

& minus moleſta eſt *ſtudio fallente laborem.* De cooptione in ordinem Ordinariorum non loquor, pertæſum enim eſt vanitatis. deinde ex proverbio Italorum *aſſai dimanda chi ben ſerve è taccia.* Major me cura ſolicitudoque detinet, quæ dormientem exſuſcitat, ut olim trophæa Miltiadæ non patiebantur Themiſtoclem indulgere ſomno, nimirum ut vel præſens, vel per literas Baudium ſalutare poſſis eo titulo quem vidiſti in epiſtola Iohannis Vaſſanii, POTENTISSIMORVM ORDINVM HISTORIOGRAPHVM. In quo læto nomine & omine deſino. Datum Lugduni Batavorum IV. Novembris CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXXV.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

Reverſus è Britannia literas tuas accepi, redditas mihi ab ornatiſſimo collega tuique amantiſſimo Daniele Heinſio, quæ me cumularunt ingenti lætitia. Spirabant enim merum amorem, & qui non poteſt proficiſci aliunde quam à ſincero minimeque ſimulato affectu. Silex aut ſtipes ſim non homo, ſi talem animum non exoſculer, eo magis quod gratis & ſolo generoſæ naturæ ingenio compulſus, benevolentiam tuam mihi tam liberaliter ac prolixe detuliſti. Nihil porro gratius mihi in literis tuis accidit, quam quod me & ſolidis rationibus, & (quod maximum duco) exempli tui auctoritate graviter admones, ut in poſterum ſtyli intemperiem moderari meditemur, hoc præſertim articulo temporum, quo omnia auguria portendere videntur certam ſpem pacis, & reconciliandæ inter cives concordiæ. Mihi jam ſponte mens eadem erat, & (ne quid diſſimulem apud tam candidum pectus) ſerio pœnitet quædam nimiæ acerbitatis foras erupiſſe, quæ domi continuiſſe & vellem & fuerat melius. Sed facile ignoſcent homines humanioris notæ, in quibus ex genio dictionis tuæ & ex communi fama bonorum video te familiam ducere. Verum ut rem natam intelligo, non erit mihi ſollicite cauſa dicenda apud æquos judices. Ipſa enim adverſariorum procacitas & convitia ſine more effuſa largam materiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tiam mihi præbent, non tantum ad ſperandam abſolu-
tionem, ſed ad conſequendam laudem moderationis
ac modeſtiæ. Vidi enim & evolvi heſterna die à capi-
te ad calcem librum in me conjectum, cujus frontiſpi-
cium polliceri videbatur amicum animum, ſed fronte
tenus. nam totus contextus plenus eſt omni genere
putidorum mendaciorum, quorum falſitatem ſatis con-
ſtat vitæ meæ tenor & animi integritas apud omnes
qui me vel ex facie norunt. Deliberandum amplius
cenſeo, an continere me debeam intra ſilentium, fretus
innocentiæ fiducia, an reſpondendum habeam ſtulto
ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapere videatur. Tui
conſilii pondus levi momento huc aut illuc animum
labantem impulerit. ſed forte non erit amplius res in-
tegra. Nomen auctoris nuſquam comparet, ſed ſi quid
mihi humani cordis eſt, & ſi vatum eſt divinare, non
poſſum demoveri ab ea ſententia quin exiſtimem ac
prorſus perſuaſum habeam, editorem hujus præclari
fœtus eſſe Patrem Heribertum Roſweidum. nam non
ovum ovo, nec aqua è puteo tam ſimilis eſt aquæ,
quam liber iſte refert nobis indolem, genium & cha-
racterem, aliorum librorum qui ab eodem parte ſunt
expoſiti. Nihil nos iſtorum arcanorum latet. videor
etiam inibi nonnulla veſtigia recognoſcere ex arena &
calce præbitoris Amphitheatralis. provocat me ſedu-
lo, ut ipſi claro Bonarſio reſpondeam quem miris lau-
dibus extollit. ſed nunquam dicit tam commode ut
alterutrum perſuadeat, aut illum habere micam bonæ
mentis, & ſcire quid ſit ſano more loqui, aut opus re-
ſponſo dignum videri. Verum enimvero ſi ſciret ipſe
Pater Roſwey, quam ipſi non male velim, niſi gratui-
to pravus eſt, jure mecum fœdus & amicitiam pange-
re debebat. Nam mea potiſſimum interceſſione factum
eſt, quo minus fieret colonus carceris. Quum enim
ante paucos dies eſſet Hagæ, & nomine diſſimulato
conveniret nonnullos fama notos, delatum fuit ad au-
res Advocati fiſci Ieſuitam abſque commeatu, vel ſal-
tem ſuppreſſa mentione muneris atque ordinis, iſthic
eſſe. Ego qui tum forte eo veneram, re intellecta ex
ocello Batavæ Iuventutis Grotio noſtro, quem paulo
ante compellaverat, effeci ne quid turbaretur. Atque
utinam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

utinam quemadmodum intereſſe lectioni noſtræ voluit, ita etiam ſe nobis aperire non timuiſſet. Equidem (ex animi ſententia loquor) hominem omni genere comitatis excepiſſem. nec aliud erat in animo illuſtri viro Scaligero, quem & inviſere & alloqui ſuſtinuit, comitatus Achate Scriverio, quo nihil vivit humanius. Valde me ignorat Societas, ſi ob juſtiſſimum odium, quo incendor adverſus ſcelera multorum, putat me cuiquam periculum creare velle, qui ſe fidei noſtræ crediderit. emortuum me malim letho malo. Sed de his tantum eſt. Illud mihi moleſtum, & lectu peracerbum fuit, quod tanquam fato propinquus epitaphium à me paciſceris. decet mortalem quemque meminiſſe mortis, ad quam nos ſinguli dies ducunt, nec cuiquam exploratum eſt, ſe in craſtinum eſſe victurum. melius tamen ominare, neve te nobis (ut cum Horatio loquar) ocior aura tollat, virum longævitate digniſſimum. Non deſpero quin aliquando

——— dextræ conjungere dextram
Fas erit, & notas audire ac reddere voces.

hujus optatiſſimi temporis ſpem rite ſecundet Deus ille exercituum, in cujus manu ſunt corda regum, ut converſiones aquarum. Vale vir eximie. Datum Lugduni Batav. x. Novembris cIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXXVI.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

RECens me nuncius excepit hoſpitio ſplendidi mendacii, nimirum affirmans ſe ex avunculo Grotii herois audiſſe, mihi decretam eſſe provinciam Hiſtoriographi dominorum Ordinum. Quouſque tandem patieris me fieri fabulam vulgi,

Vt poſſit de me quilibet eſſe loquax?

Effice, ut aliquando boni iſti conjectores, & famigeruli vera dicant,

Myli juventæ lumen, & decus meum,
Quæ meta ſtandi, quis morarum erit modus?
Si ſpes avaras improbus voti ſeco,
Nimiſque magna ſpiro: peccantem tegas,
Nec me favore juveris quidquam tuo:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Sin uſitata, ſin decôra munia,
Patriæque honori quæ futura ſint, peto :
Cur tamdiu timoris inter & ſpei
Moras relinquor ? abeat in morboniam
Sequeſter ille pacis emerſus lacu
Clauſtralis orci , nam quid obſecro boni
Manare poßit à cucullato grege ?
Qui per foramen intuetur, hic niger,
Hunc tu cavebis , O Batave, ſi ſapis.
Sed quid lucri damnive publice ferat
Præclarus iſte diſtributor munerum,
Qui ſyngraphis ineſcat Harpagum genus,
Gemmaque mentes indomabili domat ;
Non eſt meum curare. ſed juſtus dolor
Vetat querelis parcere, & vocem elicit.
Servanda rerum puncta prudenter mones.
Sed otiando torpet interim manus
Accenſa laudis ambitu, ceſſat ſtylus.
Dum deſidet Romanus, & rerum dies
Sermone ducit , illa pertinax fide
Perit Saguntus. ſumma ſummarum huc redit,
Vt aut inani liberes me gaudio
Laſcivientem, vel potens voti ut ſiem
Longe repulſa namque gratior foret,
Quam palma tanto quæ paratu vix venit.

æc ſcripſi non diffidentia tui promiſſi , ſed evaporan- i doloris gratia. Intellexi etiam niſi præjudicio Po- entiſſimorum Ordinum cito muniar , fore ut Geldri ium ſibi quempiam deligant. Doleo non fuiſſe mihi piam tui compellandi , quum nuper heic eſſes. ſem- er enim aliquid bonæ ſpei reporto ex humaniſſimo uo conſpectu & affatu. habes hoc commune cum Tito lo, qui vocatus eſt amor generis humani , ut nemo à ermone tuo triſtior recedat. Vale & nos ama. Datum ugduni Batavor. XV. Decemb. cIↃ IↃC VII.

Epistola LXXVII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Ampridem ad aures tuas fando perveniſſe arbitror, præterita nocte diei Dominicæ per ſummum ſcelus truci-

trucidatum fuiſſe ornatiſſimum juvenem Aſſuerum Hornhovium. Nunc homicidii iſtius auctor detinetur in vinculis; qui ultro confeſſionis gloriam amplectitur, quaſi re bene præclareque geſta. nec dubitant plerique, quin longe pluſquam fas eſt, audaciæ & temeritati profligatorum hominum ** auctoritas indulſerit. Studioſi acerrime incumbunt, ut exemplum ſeveritatis in homicidam ſtatuatur. mater etiam defuncti luctu ſuo & gravibus querelis valde facti invidiam exaſperat, ut reus undique cinctus indagine accuſatorum vix elabi poſſe videatur. tamen ſunt qui id metuant. quod ſi fiat, exequias Academiæ noſtræ, quibus commodum eſt, eant. non enim huc ſtudiorum cauſa venient, ubi bonarum artium ſtudioſi impune à viliſſima fæce plebis interficiuntur. Me quidem gravi dolore incendit & facti atrocitas & exempli pernicies. ſed quia fato ſuo propinquus parens meus, vir ſumma lenitate & morum manſuetudine, quaſi fidei commiſſum ultimæ voluntatis hoc mihi tum abſenti mandari præcepit, ne unquam vellem gerere perſonam publicam, quæ de capite & vita hominis ſententiam ferret; ideo huic cauſæ partes meas non admodum libenter interpono, ne parum memor videar paternæ juſſionis. Verumtamen ii, quorum curæ permittitur ne quid reſp. detrimenti capiat, ſumma ope niti debent, ne quid hic per crudelem veniam gravius peccetur, quam ſi facinoroſus juſta animadverſione plectatur. Nunc illud mihi veniebat in mentem, ſi forte conſeſſus judicum pro rei indignitate non ſatis ſeverus fuerit, poſſe in ſubſidium venire Grotium heroëm, & appellationem interponere, quam pragmatici homines vocant â minima. Nam etſi in cauſis criminalibus reo non conceditur beneficium provocandi (quæ dura quidem lex eſt, ſed perſcripta) tamen advocato fiſci jus integrum manet perſequendi vindictam publicam, ſi graviorum criminum reis impunitas, aut pœna remiſſior decernatur. Hæc tuæ prudentiæ meditanda relinquo. plura longe audies quum in rem præſentem veneris: neque enim opinor, nec fas eſſe puto, tam atrox negotium ſine tuo & nobiliſſimi collegæ tui D. Matheneſii interventu deciſum iri. Vale, & curæ tibi ſit ut in collegium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

m ſapientiſſimi mortalium Tragoræ cooptari poſ-
ſ. Dabam Lugduni Batavorum XVIII. Decemb.
CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXXIX.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hag. Comitis.

Cauſam ſcribendi præbuit mihi mea facilitas, & quod nemini negare ſoleo, ſi quis aliquod humanitatis officium à me efflagitat. Hic vero cius in ea cauſa eſt, ut fieri poſſit occupantis. Opta- n tamen ut tua vel amicorum opera collocaretur in n conditionem, cujus eum non pœniteret. Iuvenis ſimplici bonitate præditus; qui fanda atque infanda rabit de gente Lojolitarum, ſi quis ei locare volet vivas ædes aurium. Non ſum tam parum æſtimans dignitatis, nec tam intemperanter abuti auſim gra- ſimis occupationibus tuis, ut ei otioſam audientiam beri cupiam. Illud magis πρὸς ἔπος facit, quod ſe poſcit. qua in re ſi aliud agendo, ut aſſolet, bo- copiæ facultas evenerit, noli deſpicere tenues ho- num fortunas. Quod autem incurioſe ſcripſi eum ſe poſcere, cave putes de nummario aliquo ſubſi- eſſe intelligendum, pernicioſe enim errares, & ego m ſane nimis impudens, ſi talia nomina delega- n. ſed in ſumma conditionem quærit, & eſt *habillé valet qui cerche maiſtre.* Vtinam tibi uſui eſſe poſſet m hoc & molle lutum! ſed hoc vix Phaoni Lesbio rare liceat, vovere tamen homini libero in regno rtatis non eſt interdictum, καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. vale & boni conſule nos ſolemnia ineptientes. Da- n x. Kal. Ianuarias auſpices anni CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXXX.

Viro Nobili Dominicus Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

Valde perculſit animum obnunciatio clariſſimi viri Caſauboni, qui mihi per literas ſignificat ſibi non eſſe redditum exemplar meorum car- minum, quod tibi daretur. factum id culpa latoris, ut lonii verbo utar; ſed tamen angor animi, non ob

jactu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

jacturam quæ minimo reparabilis eſt, verum quia conſtantiæ meæ in te obſervando fidem ſequiori ſuſpicione lædi poſſe video, qua re nihil acerbius huic homini evenire poteſt. ſed me recreat partim candidum pectus tuum impervium ſiniſtris opinionibus, partim innocentiæ meæ ſolatium, qui mihi conſcius ſum neminem in terris hodie vivere quem impenſiori obſervantia colam, nec major honos haberi poteſt noſtris Poëmatibus, quam ſi probentur tibi, qui *recto ſecernis iniquum*, & ſi eis locus aliquis detur inter ingenia, quæ familiarius inſpicis quum à fori ſtrepitu & à curis ſeverioribus vacatio contingit. Sed eſſet adhuc, unde plura deberem humanitati tuæ, ſi vel ipſe vel tuo delegatu præſtantiſſimus Caſaubonus admonere dïgnaremini, qua in re bonos offendiſſe videri poſſim. Nam improborum nec gratiam expeto, nec ſimultatem reformido. Si interdum nimis intemperanter abutimur ſtylo, ſcit prudentia tua non eſſe effrænandum os Poëtæ, nec ullum ſine venia placere ingenium. Simul etiam illud memineris, nos hic ſententiam dicere in atrio libertatis, quæ lubrico lapſu ſæpe tranſit ac degenerat in licentiam, niſi calenti calamo ſufflamen injiciatur. Non deſpero genium & bonorum favorem ſuffragaturum huic libello. ſed Loiolitæ, ut literæ ab Antverpia nunciant, decreverunt mecum

ἄσπονδον πόλεμον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι.
ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά.

Vidi recens in indice librorum, qui hiſce Francofurtenſibus nundinis editi ſunt, ejuſmodi inſcriptionem, DOMINICI BAUDII GNOMÆ COMMENTARIIS ILLUSTRATÆ. quanquam titulus nihil hoſtile minatur, imo potius honori noſtro dictus eſſe videtur, tamen ſuſpecta eſt inſidiarum tam repentina ſedulitas, nec aliud imaginari poſſum, quam editorem iſtius operis viſum eſſe ſibi bellum hominem, ſi fronte præferret amicum vultum, ut diſſimulatis inimicitiis majore cum auctoritate in nos incurreret. Nam quis tam eſſet inimicus otio ſuo, ut Gnomas noſtras, quas *nondum Libitina ſacravit*, interpretandas ſumeret? præſertim quum nihil æque caverim, quam ita ſcribere, ut commentario opus haberem. huc accedit, quod ea

pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

s operis noſtri notis ad marginem intextis abunde
iſtratur. quod quidem feci habita ſolum ratione
incipis ejus cui dedicantur, ne lector ſibi rerum in
idio poſitarum ignorationem exprobrari putet. Sed
npus erit ea de re cogitandi, poſtquam è vepretis ni-
tula prodierit, niſi aliud conſilium volvenda dies
ulerit. & ſi mei juris fuero, ſtat ſententia prorſus
onviciis temperare καὶ μηδὲν λέγειν ἔξω τοῦ πράγμα-
τ, ſi tamen per eorum effrænem impudentiam li-
eit, quæ vel moderatiſſimis pectoribus ſæpe omnem
tientiam excutit. Scoppii ſane rabies à furiis ultri-
us excitata non poteſt ſanari niſi manu Brutiani.
pulavit ſub flagello noſtrorum Iamborum, ſed non-
m videram ſcelus illud libri nullis prodigiis procu-
dum, quod ſtatim poſtea erupit in auras adverſus
imum virorum & primarium ſeculi decus Scalige-
m. Cuncta jam animo præceperam quæ cadere poſ-
t in hominem furore & amentia perditum, qui pror-
à naturali lege deſciſcit: ſed ſcripti ſpurcities, im-
ritas, & ſacrilega temeritas longe ſupergreſſa eſt
aginationem meam. Quid multis moror? omnia
ra indignationem verba ſunt. At initio vehementer
machabatur noſter heros, atque etiam ſerio parabat
ad defenſionem, nunc eum permittendum cenſet
μενεῖα τῶν εὐμενιδῶν. Amici è Germania, quibus per
lera & fraudes innotuit iſte furcifer, certatim offe-
nt ſymbolas, ut ejus memoria ſempiternis infamiæ
tis inuri poſſit. Roſtochio affertur eum vulgo con-
ptum eſſe, matrem officio ætatis vitam toleraſſe,
am eodem quæſtu ſuſtentari. Conradus Rittershu-
s vir modeſtiſſimæ probitatis etiam per literas ad
aligerum graviter de perfidia impuriſſimi iſtius ne-
lonis conqueritur.

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?
quid ſufferti tinniet meus iſte commentator, fors
it ut & ipſi reſpondeam cum moderamine inculpatæ
telæ, & ſimul ſæculo proſcribam infandum caput.
ale, vir honoratiſſime, & noſtrum familiare ſcribendi
nus æqui bonique conſule. Datum Lugdun. Batav.
II. Octobris cIↃ IↃc VII.

Epi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LXXXI.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis

MItto tibi orationem mandatam ſcripto, quam destinaram defigere penitus in animis ſtudioſorum, qui ardentes audiendi cupiditate confluxerant, ut Academia pene ſuis ſedibus convulſa videretur: ſed non eſt viſum iis, quorum auctoritati parendum habeo, ut is actus celebraretur. Ego tamen pro ea perſona quam heic publice ſuſtineo, putabam non eſſe nefas bene mereri de republ. literaria. Vox mea conducta eſt, non ſilentium. Sed præterita mittamus: illud mihi bona tua cum gratia conceſſum iri ſpero, ne invideatur publico quidquid id eſt meditamenti. Si quid invidiæ ab imperitis adoleſcentibus huic capiti impendet, non curat Hippoclides. facile & libenter excedam iſtud intritum ſtomacho rectæ conſcientiæ nec placabo liventem deam virtute relicta. Iuventus noſtra rediit in viam officii atque obſequii. Non offenduntur cordatiores audiendo vera ſibi exprobrari. juniores qui cruditate ſtudiorum laborant, & nimis cito à ſcholaſtico pulvere dimiſſi ſunt, primo impetu graviter ferent tam libere invehentem in ſuos mores. ſed ſedata mente poſtea nobis tanto impenſius favebunt. Fides enim, veritas & libertas, initio & ad breve tempus offendunt eos quibus obſiſtunt, deinde illis ipſis ſuſpiciuntur & admirationi ſunt. Nec eſt verendum, ne quid feciſſe arguar contra legem amneſtiæ, & clementiam optimi Principis. In commune enim ſermo noſter, non in quenquam nominatim diſtringitur. Porro publice intereſſe puto, ut etiam rebus tranquillatis exſtet memoria turbellarum, quas acrius quam conſideratius fervidi juvenes excitarunt: tum ut à ſimili laſcivia deterreantur in poſterum, tum ne res diſpaleſcat aliter atque geſta eſt, adnitentibus iis qui diffluxerunt cauſæ ſuæ defenſionem cum labe publicæ auctoritatis meliorem efficere. Vale, vir obſervande, & nos ama. Si placet edi orationem, cura protinus tranſmittendam. Datum Lugduni Batavorum XIV. Martii CIƆ IƆC VIII.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LXXXII.

Hugoni Grotio Dominic. Baudius adhuc Mellordinarius S. P. D.

Hagam-Comitis.

RETraxi è fuga ἔπεα πτερόεντα, quibus affari conſtitueram juvenes noſtros male feriatos : ut ſi mihi ademptus eſt vocis uſus tempore tam neceſſario, ſaltem nigellæ Cadmi filiæ memoriam eorum conſervarent, niſi & huic meo conſilio interponat ſe nimis conſiderata ratio quorundam mortalium, quibus periculoſa videtur in libero ſtatu civitatis auctoritas Baudiana. Bellum gerimus contra potentiſſimos mundi Monarchas, & ſervire cogimur iſtis minutioribus ſatrapis. Vereor, ne & cordati homines in mali aſſenſum rapiantur, quibus poſt impetratam rerum præteritarum veniam ab indulgentia noſtri heroïs Mauricii, non videbitur conſultum obductam cicatricem refricare. Ego, niſi in re mea parum ſum idoneus judex, contra ſentio, & Academiæ dignitatis intereſſe arbitror, hæc mala non ignorari, ne forte fama, quæ

Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo,

omnia in deterius vertat, opera eorum qui per has turbellas dilapſi ſunt, & ad exteras nationes penetrarunt. Nihil periculi cuiquam eſſe video, præterquam mihi ab adoleſcentibus rerum ignaris, quibus minime ſum adulatus, ut videre poteris, ſi tantum tibi reſidebit à curis gravioribus & publicis occupationibus otii, ut non horreas manum admovere nobis. Sed hanc invidiæ nubeculam adeo non reformido, ut potius eam mihi laudi ducam fore, poſtquam refrigerato ardore facinus ſuum rectis oculis intueri, & vero modo metiri magnitudinem flagitii cœperint. Interim non tantum prudentiæ mihi arrogo, ut ſtare velim mea ſolius ſententia. Quare ſi orationem editione dignam, aut hoc temporis articulo edendam putabis, te & dulce decus meum D. Vander-Mylium judicem fero. Sed tu qui optime noſti, quo inſtinctu heroïcæ mentes excitentur ad ea ſuſcipienda, quæ longe ſupra vulgi captum exſurgunt, quique fere ſolus æſtimare potes ὕβριν Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο, facile impelles animum optimi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

mi virorum, quam in partem judicii tui ſtatera propenſior fuerit. Hæc te volebam, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, & ut quam cito participem me facias ejus quod decreveris, ne diutius animi pendeam, & ut hac cura liber, aliquid reponam commentatori meo. Tuum Ζωτῆρα ſub prælo eſſe audio libens, & huic monumento perennitatem adfore non ſpero, ſed confido. Vale. Datum Lugd. Batav. XIV. Martii cIↃ IↃc VIII.

EPISTOLA LXXXIII.

Cornelio Vander-Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis

ACcepi literas à Damaſo Blyenburgio, quibus ſignificas exceſſiſſe è vivis Scribam Feudorum Hollandiæ Laurentium vander Goes. Quod munus, ut ipſe memini, jam ante annos ſex Ianus Douſa felicis memoriæ vir, cujus erat ea de re ſtatuendi jus pontificiumque, prædicto Damaſo dare decreverat, juſtis de cauſis iratus ſuo ſcribæ. ſed

Οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Non eſt pium inſultare mortuis. Nunc te per omnia jura ſanctiſſimæ neceſſitudinis oro atque obſecro, ut, ſi quid unquam meis precibus conceſſiſti, gratiam tuam optimo viro, ſed parum ad rem attento, impartiri non graveris. Tota res pendet ab unius ſoceri tui nutu & arbitratu. *Hanc ſine me ſpem ferre tui.* feceris opus miſericordiæ, ſi hominem non male inſtructum bonis artibus, ab inutili vita traduxeris ad bonam frugem, ut patriæ uſui eſſe poſſit. Opinor eum aliquo ſanguinis vinculo connexum eſſe cum veſtra familia, ſaltem affinitate propinqua junctus eſt cum tuo patruo. Nihil aliud ei vitio verti poteſt, quam quod per comitatem bona patria avitaque prodegerit, & nunc redactus ſit ad terminos egeſtatis, quæ ridiculos homines facit. Sed humanum eſt labi, humanum etiam miſereri lapſorum, & ſublevare infelicium fortunas. quod oro te ut facias in cauſa ſummi mei amici, & tui (ut audio) neceſſarii. Plura non addo niſi ut etiam memineris futuri collegæ Tragoræ, & remittendam cures orationem, ſi non indigna videtur quæ lucem aſpiciat. Studioſi mirifice cupiunt vi-

dere

dere quam diſerte illos objurgem. Satis enim intellexerunt me verba byſſina illis non dare, nec ſparſa ſeſamo ac papavere. Decreverunt omnia concoquere Stoico ſtomacho. quod forte non ita caderet, ſi alius tantum ſibi juris vindicaret. Sed pauci ſunt heroës ſine controverſia,

Et genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.

Non deſpero nobis fore inter eos aliquem locum. Vt noris meam vanitatem, paſſus ſum me exorari ut effigies mea ſculperetur, & forſitan conſpicietur in frontiſpicio orationis meæ, quæ ſapit indolem Baudianæ libertatis, D. Wouwerius honori meo dicavit elegantiſſimos verſus, niſi quod in laudando modum exceſſit. Sed deſino ineptiarum. Vale, vir obſervande, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum XXVI. Martii cIↄ Iↄc VIII.

EPISTOLA LXXXIV.

Ὑγῶνι χαίρειν εὖ τε πράττειν Γροτίῳ
Iubet virorum Baudius non infimus.

Ἀναγίνωσκε μόνος καὶ λάθρᾳ.

PLurima cis paucos dies evenerunt mihi dictu gravia, perpeſſu aſpera. πολλὰ δὴ θερμὰ καὶ λόγῳ κακὰ, quæ corpore exantlavi atque animo pertuli. Sed tragicum cothurnum complicare optimum eſt, & humane loqui, præſertim tecum, fonte candoris, benevolentiæ & humanitatis, quem ſemper ſupremum habui comitem conſiliis meis, & cujus in ſinum ſemper familiariter effudi curas omnes atque ſollicitudines quæ me coquebant. Nunc quoque mens eadem perſtat mihi.

Nec mea jam mutata loco ſententia cedit.

Quorſum igitur tam perplexa & ſeptuoſa utor ratione exordiendi? dicam, ſed non uno verbo, quid te velim. Nuper quum locarem operam dentium illuſtri Legato Ianninio, varii ſermones haud illepidi nec inficeti ultro citroque commutati ſunt, nec defui partibus meis, & forte nonnulla nobis exciderunt, quæ τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις. Satis enim ſuperque nos noſti Pamphile, nec te præterit quantas ſoleam turbellas dare, mea quum commovi ſacra. Vt à diverticulo

repetatur fabula, dedit ſe ad manum occaſio non longe quæſita, ut finito convivio offerrem ipſi carmen dictum honori Ducis Spinolæ, ſed præmonito nefas fuiſſe viſum iis,

Qui pecori imperitant, quos tota armenta ſequuntur,

Vt in manus hominum perveniret, ne quid Academia noſtra detrimenti caperet, cujus ſumma ſcilicet res, fama, fides & exiſtimatio ὅτι ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς, ſi carmen illud lucem aſpiceret, in meo diſcrimine verti publicam auctoritatem, qui ne quidem habeo jus ſuffragii, nec (ita valeam) habere curo, ſi eſſet unde familiam alere poſſem μεγαλοφροσύνῃ καὶ ἀπορίᾳ τῶν χρημάτων. Quidquid id eſt, neſcio qui factum ſit, ut hoc meum audax & temerarium facinus aures heroïs *perculerit. Qui haud civiliter, nec pro cætera manſuetudine morum id accepit, quaſi memet indignis modis traducendum præbuerim, & Muſas infelices tanquam ad quærendum poëtaſtro parvulo victum, hoſti proſtituerim. ego qui Monarchas habeo debendi reos, ego qui minimo negotio potuiſſem elicere regiam liberalitatem, ſi vel unum aut alterum diem in aula deſidere animum induxiſſem: ſed vetuit θυμὸς ἀγήνωρ, quem ejerare non poſſum etiam inter ſummas rerum anguſtias, quibus pene redigor ad extremam conſilii omnis inopiam. Illud etiam reſcivi (& cur non auctorem laudo, ſummum ingenii tui admiratorem, & amicum mihi εἰς ἀκρότατον?) ex Ioh. Wouwerio, non videri in rem eſſe ut edatur oratio dicta ἀκρατείᾳ καὶ ἀκολασίᾳ τῶν ἑλλιώων, quam tantis laudibus nil tale merentem ita prædicas, ut mihi magis impendio placere incipiam, contentus uno Catone. Sed ad rem. δοκεῖ τοῖς κρατοῦσιν ἡμῶν, non expedire ut exeat in lucem: forte, quod exiſtiment non eſſe divulganda flagitia noſtræ militiæ, quorum quidem opinioni ſuffragarer, ſi res in integro adhuc eſſet. ſed quotuſquiſque ignorat ea, quæ heic parum decore ſunt deſignata? Porro quum vera latent, vero majora putantur. Et multi ſunt dilapſi, qui omnia in pejus extollent, ut idoneam diſcedendi cauſam habuiſſe videantur, & ſcis, quam patulæ ſint mortalium aures πρὸς τὸ ῥᾳδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ. Huic incommodo non aptius occurri poteſt

quam

quam vera geſtarum rerum narratione. Quid quod adhuc anquiritur in abſentes? & leges horrendi carminis eorum cervicibus imminent, niſi ſe judicio ſiſtant. Non eſt meum, qui ſum quietis & obſequii amantiſſimus, culpare ea quæ publica auctoritate fiunt, ſed apud te ſimpliciter deponere licet, mihi cum Piſone crudelitatem non placere. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Illud me nonnihil angit animi, quod tenebris damnari volunt ſermonem tuo judicio luce dignum. Adempta eſt mihi vox, quum ejus uſus eſſet maxime oportunus. concoxi hanc atrocem injuriam, ἧς οὐ κύντερον ἄλλο πέπονθα. nunc ne quidem veſtigia fugitivæ vocis in literas mitti placet. & illud fortem animum tolerare jubebo. Sed hanc opinor libertatem nulla vis mihi adimet, quin poſſim per epiſtolas tecum ſortis meæ calamitatem miſerari, cujus omnia optime conſulta & cogitata torquentur in ſiniſtram interpretationem. Si verentur ne me frigore feriat doctrinæ ſtudioſa cohors, quod ore nimis libero laſciviam & incontinentiam eorum oculis hominum denudavi, relinquant mihi exedundum quidquid hoc eſt intriti. facile invidiam ſanabit bonorum favor, & penitus infixa mentibus noſtræ juventutis opinio è fundo veritatis naſcens, me ipſis eſſe amicum germanum in modum. Quoquo me verto, lata querendi materies ſeſe oſtendit: vel illud, quod heſterno die affinis D. Arminii quum pro doctoratu Iuris adipiſcendo gnaviter ſane & cum laude diſputaſſet, omnes, quorum ſum collega ſine ſuffragio, contulerunt ſe illo ubi ſolent ordinarii ſententias dicere, ſolus ego virtute mea involutus à reliquo cœtu digreſſus ſum, illud reputans, non eſſe ad conſilium accedendum ἀκλήτως. etſi jus erat Baudio venire αὐτοκλήτως. nec dignati ſunt iidem heroës mecum deliberare, quum in mandatis haberent, ut omnes Iuridicæ facultatis profeſſores opinarentur ſuper articulo ſtatuti Academici de fori competentia. prorſus tanquam ſi eſſem

Ἀπτόλεμος καὶ ἄναλκις.
Οὔτε ποτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.

Hæc tanta negligentia & immemoria noſtri valde me confirmat in priſtina ſententia, ut ſcilicet ſi proximis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

comitiis ſola mihi Hiſtoriarum profeſſio decernatur, reſervem jus Pontificiumque præſidendi diſputationibus publicis,promovendi,examinandique,quum viſum fuerit. Iam incipiunt deguſtare ſtudioſi, nos non eſſe prorſus elingues, nec ſine lege loqui in enarratione Inſtitutionum. itaque cottidie ſervitus creſcit nova, &c, ut quod ſentio fabuler, minus mihi diſpliceo in recitationibus Iuridicis, quam in Tacito explicando, ubi interdum ſteriles campi occurrunt,niſi ferente aura ingenii luxuriantis evagemur in liberiores egreſſus. quod facimus plaudente juvenum corona, qui infinitis partibus minus ſapiunt quam tua dignitas. à qua frequentiores παρεκβάσεις noſtræ notari meruerunt. quo nomine grates gratas memini. Sed tempus eſt deſinere ineptiarum, præſertim quum omnino cupiam, &c, ſi fas eſt, imperem, ut hæc epiſtola protinus & lecto citius admoveatur ad Vulcani violentiam, vel, ſi mavis, ad ἱερὸν μένος ἡφαίστοιο. Vale, & nos ama. Datum Lugd. Batavorum XXIX. Martii CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA LXXXV.

Τῷ πάνυ μεγάλῳ Βαύδιος πολλὰ χαίρειν.

Hagam-Comitis.

VOlupe mihi fuit cognoſcere ex tuis literis, ſumme vir noſtræ juventutis, Mylium haud ita graviter accepiſſe factum meum atque eram ominatus. Vanos ſcilicet metus ſibi fingit qui vehementer amat,& omnia tuta timet. De carmine nondum exhibendo prorſus tecum ſentio,nec aliter in animum induxi ſimulatque diſſuadentes amicos audivi. ſed præcipue movit me τοῦτο τὸ χρυσοῦν ἔπος, αἰσχύνεο σαυτόν. Cæterum, ſi, ut omnino futurum & reor, &c, veri ſi quid mens augurat, opto, pax conveniatur, cauſam non video cur ſalva majeſtate Muſarum & Baudiani nominis offerri non debeat. ἐγὼ μὲν οὐχ οὕτως εἰμὶ μικροφιλότιμος, ut non poſſim pati quidquam noſtrarum operarum tenebris damnari. ſed, niſi parum idoneus ſum arbiter in re mea, videor mihi tale temperamentum ſecutus, ut nihil dixerim, quod ſit indignum non ſolum bono cive, ſed viro forti. Verum de his erit amplius deliberandi locus. Recte cenſes de oratione,

vel quam primum edendam eſſe, vel nunquam, & facete ſubjicis de Ilienſium legatione, quorum ego tamen, quamvis abiere tot anni, calamitatem miſeror, nec poſſum ſiccis oculis (ride teneritudinem meam) miſerandum fortiſſimi civis illius exitum intueri. Porro te judicem fero, quid quæſo habent conſtricta fronte Catones, quod improbent, niſi forte nimiam auſteritatem ſermonis, & patruæ verbera linguæ? Studioſi ſane mirum in modum geſtiunt videre quidquid illud eſt, & æquo animo laturi videntur omnes ab amiciſſimo pectore profectas παῤῥησίας. Adde quod neminem unum offendunt, quæ in commune exprobrantur. Nonne ſatis affectus ſum inſigni injuria, quod in ipſo rei gerendæ articulo fibula mihi impoſita eſt novo exemplo, nullo jure? Quando dabitur oportunior dicendi occaſio, quam quum fatalis quædam calamitas καὶ θεομανία, ὡς ἔπος εἰπεῖν, invaſiſſe videbatur improvidas mentes juventutis? Votis fovere debebant generoſum conſilium meum, qui remoram objecerunt. Quando unquam ejuſmodi cauſa deducta eſt in forum Academicorum judicum? Vox mea conducta eſt non taciturnitas. In iis quæ ſpectant ad ſummam publicæ ſalutis, dicam fidenter, non egebam cujuſquam mortalium auctoritate. Satis me armat munus quo fungor. An Eloquentiæ profeſſori, qui Tacito vocem priſtinam redonat, non conſtat quando loquendum ſit, quando tacendum? ἐγὼ μὲν οὖν οὐκ ἐαθ' ὅπως σιγήσομαι. Chartæ inſontes, ut vides, ſentire coguntur vim indignantis heri. Quocirca etſi media via, quam proponis, non eſt incommoda rebus anguſtis noſtris, & illud in vita optimum factu arbitror τὰς τῶν κρατούντων: tamen nos qui in atrio Libertatis vivimus, & nondum in ordinem redacti ſumus, admodum ægre adducimur, ut tam duris legibus coërceamur & antehac inauditis. Poſt editionem meorum poëmatum, in quibus ipſe memet pluſculum mihi licere permiſi quam ſat eſt, nihil vetitum iri putabam, quod animo cunque collibuiſſet. Nunc hujus confidentiæ in contrariam partem pœnas do, & adimitur mihi jus bene de rep. merendi. Sed deſino mollium tandem querelarum. Prudenter mones περὶ τῆς νομοδιδασκαλίας, & iſthuc mea ſponte ibam,

Sed dum fugaces, Poſthume, Poſthume,
Labuntur anni, ———

ſpatiis iniquis excludor, quo minus id effectum dare poſſim. Verum enim vero cur mihi jumento meo novam vim negotiorum accerſam? cur non utar beneficio immunitatis? ſtatui hac in parte non pertendere, præſertim quum jampridem D. Mylius ſpem opimam nobis oſtenderit, fore ut in ſolidum ſuccedam felici Merulæ. tum in Hiſtoriarum enarratione, tum in munere Hiſtorici, quod erat conſecutus ab ampliſſimis confœderatarum Belgii provinciarum Ordinibus. Antequam Fiſcus te ſibi patronum adoptaſſet, ambivi eam provinciam, ſed tanquam Cæſaris candidatus, te ſemper excipiens, δεῖ γὰρ Πλάτωνα δῖον ἐξαίρειν λόγου. Nunc habes qui ætatem exerceas, nec amicam ſuffragationem huic homini denegabis, quo nemo vivit tui obſervantior. Miſi abhinc octiduum ad te epiſtolam cum faſciculo, in quo erant duo libri. nihil ſignificant tuæ literæ ecquid eos acceperis. Ancilla oblita eſt inquirere nomen aurigæ, ſed faciem hominis noſſe ait, ſi forte non ſint redditi. ſed arbitror perlatos eſſe, nec veniſſe tibi in mentem ut verbum ea de re faceres. Si tamen moleſtum non eſt, verbo uno dubitationem tolle. Velim etiam remitti orationem cum carmine. non enim puto feram eſſe beſtiam, ut ad dominum reverti non debeat. Vale, & nos ama. Datum Lugd. Batav. poſtridie Kal. April. cIↄ Iↄc VIII.

EPISTOLA LXXXVI.

Franciſco Sweertio Dom. Baudius S. P. D.

Antwerpiam.

MAgno me beneficio & gaudio affeciſti, vir optime, quod & cultiſſimi Lernutii literas ad me miſeris, & tuas eiſdem adjunxeris paucorum quidem verborum, ſed ſenſibus graves, præſertim ea parte qua pacem & mutuam caritatem extollis. Vtinam rebus integris te monitore & conſiliario eſſem uſus! liber noſter ſi non melior, ſaltem ſecurior & lætioribus auſpiciis exiviſſet in lucem. multaque nimis licenter effuſa, vel privatis laribus incluſiſſem ne temere erumperent, vel, quod tutiſſimæ cautionis genus eſt, tardi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tardipedi deo commiſiſſem. nunc poſt culpam admiſſam ſerio ringor, verum haud gravate veniam impetraturus confido apud elegantioris notæ judices & benignos rerum æſtimatores, qui non abrepti præjudiciis aut partium ſtudiis, in cauſæ cognitione diligenter expendent, quantum publicis legibus ac moribus licentiæ Poëtarum concedatur. Non libenter utor patrocinio vitioſæ conſuetudinis, ſed ad illud perfugium me detruſit partim intemperantia quædam ingenii, cognata magnis & excellentibus naturis, partim facilitas quædam parendi ſummis viris, qui nihil mearum curarum latere aut ignorari voluerunt. Ante omnia & vellem & fuerat melius, non tetigiſſe unctos. nec prudentiſſimo conſilio factum eſſe confiteor, quod tela ſtrinxerim in univerſam Sotericorum ſodalitatem. ſunt enim ex iis multi, quos ob doctrinam & virtutis ac probitatis indolem revereor atque obſervo. Quanquam ὁδοῦ πάρεργον non ſunt colenda magna nomina, tamen quoniam occaſio ad eam rem tulit, facere non poſſum quin Andream Schottum heic honoris cauſa nominem. quem ab eruditione clarum clariorem efficit morum indoles, efficta probe ad genium ipſum humanitatis, & animi judiciique candor,

Scilicet uni æquus virtuti atque ejus amicis.

Vt intelligas, quantum ſtudio & affectu votiſque propendeam ad ſpem honeſtæ fidæque pacis ac compoſitionis, mitto tibi exemplum carminis quo gratulatus ſum Marchioni Spinolæ, quum in hanc regionem illius ergo adveniret. Curavi, ut vides, illud typis excudendum. ſed ex conſilio amicorum hactenus aſſervavi intra penetralia Veſtæ, nec communicavi niſi cum pauciſſimis intimæ admiſſionis. certe non eſt viſum conſultum, ut ipſi traderetur. non quod illic quidquam ſit indignum conſtanti viro vel bono cive, ſed quia non videtur decere perſonam noſtram, quod forte alius inferioris notæ citra juſtam reprehenſionem faceret. Ego tamen ſi lentum hoc negotium ſperato pacis eventu concludetur, ut ex intimis ſenſibus voveo, non dubitabo virum affari, & quid hujus eſt muneris, meque omnem ipſi offerre ſalvo jure patriæ libertatis. Pravo & ſiniſtro ingenio nati ſunt, qui crimen & pene per-

 duellio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

duellionis ſcelus putant, ſi quis aſſurgere audeat in laudem hoſtis. Tales multos alit hæc ætas, & quidem inter eos ſunt qui ſedent ad clavum reipub. ſub quorum maxillis edendum. Pene mihi ſtetit exilio hæc editionis feſtinatæ temeritas, niſi ſanior pars inſpecto carmine, me omni culpa liberaſſet. Commentatori Gnomarum mearum, eidemque Amphitheatri editori, ſatis enim loquela eum manifeſtum facit, opto bonam mentem, & ut miſereri velit chartarum, quas tam crudeliter perdit. Verebar, ne curioſus alienarum papularum obſervator, ea mihi ex vero objiceret quæ ſerio conſcientiam remorderent, & diligentius vivendi neceſſitatem imponerent. Nunc quæ de me inclementer dicit, pleraque talia ſunt ut riſum non bilem moveant iis qui me norunt, nec ad alios judices provocandum habeo, quam qui oculis & ſenſu communi non deſtituuntur. Dignius itaque me facturum putavi, ſi famam & exiſtimationem ſola innocentia, futiles calumnias ſilentio & generoſo contemptu vindicarem. Quidam paraſitaſter parvulus è Germania huc adveniens me multum reclamante, impetravit à Senatu noſtro Academico, ut ſibi liceret publice pro mea dignitate ſcilicet adverſus illum declamare. ac ne quid ad ſummam ſiniſteritatis deeſſet, aut ut caput unctius referret, etiam orationem illam in vulgus edendam curavit. Teſtari poſſum ex animi ſententia, mihi factum iſtud vehementer diſplicuiſſe. ſatius enim erat me deſeri ab omni patrocinio, quàm à tam infirmo tibicine cauſam noſtram ſuſtentari. Quidni?

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.

Reliqua deſiderantur.

EPISTOLA LXXXVII.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

NÆ ego ſum genio notabiliter ad invidiam & obtrectationem nato, cujus optima conſulta & ab integerrimo affectu concepta rapiuntur in ſiniſtram interpretationem. Vel illud quod animo agitaveram de habenda oratione ad reducendos in offi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cii viam noſtros juvenes, quantum mihi conſcivit irarum, apud eos qui votis & ſtudiis hoc pulcherrimum propoſitum adjuvare debuerunt! Nunquam tamen efficiet malevolorum hominum conſpiratio, ut ab ingenita generoſitate deſciſcam, & invidiam placare velim virtute relicta. Si mihi in ampliſſimo conventu Ordinum ſoli cauſa dicenda eſſet contra quoſcunque refragatores, qui palam laudant, & per cuniculos aquam frigidam ſuffundunt, non dubito quin pulcherrime ſtarem apud idoneos heroicorum ingeniorum æſtimatores. Nunc autem video & amiciſſimos & prudentiſſimos viros, etiam de facto meo ſequius opinari. Nam quid aliud in cauſa eſt, cur edi nefas ſit orationem, niſi quod turbulentus aliquis Tribunus plebis videor, qui vehementia dicendi poſſim & mederi exaſperatis mentibus, & eaſdem, quum viſum erit exaſperare? Quaſi vero non ſint in medio poſitæ leges, quibus coërceantur ſeditioſi. Sed quicunque tandem color obtenditur, facile pellucet intima cauſa, nec aliud me afflavit præter malignum ſidus invidiæ. Noluerunt ſcilicet homines rerum politicarum & imperii arcanorum ſcientiſſimi quenquam civem in libera civitate tantum excellere gratia vel eloquentia, ut privato conſilio aſſequeretur, quod publica auctoritate perfici non poterat. Eadem opera damnandus eram oſtraciſmo, propter exſuperantiam nimiæ virtutis, ut olim Athenienſes factitarunt. Sed ut concedam aliquo ſpecioſo prætextu colorari poſſe interdictum non habendæ orationis, cur editio prohiberi debeat, cauſam non video, niſi quod forte videatur vel eſſe contra legem amneſtiæ, contraque beneficium clementiſſimi Principis, refricare obductam cicatricem, vel intereſſe dignitatis & exiſtimationis publicæ, non denudari flagitia noſtrorum Remi nepotum. Imo vero nihil magis illuſtrat gloriam Principis & gratiam indulgentiæ altius extollit, quam mandata literis deformitas rerum geſtarum, nec fama noſtræ Academiæ melius in ſolido locabitur, quam ſi vera noſcantur etiam aucta in majus. Omnes enim cordati judices facile intelligunt in talibus orationibus, quæ conſcriptæ ſunt ad excitandos vehementes animorum motus, cuncta non eſſe exigenda

ad hiſtoriæ fidem. Porro etiamſi magno verborum ſtrepitu laſciviam & petulantiam juventutis inſecter, tamen neminem ſceleris aut impietatis accuſo. nec quiſquam erit tam rigidus cenſor, qui eos aliquod inexpiabile facinus admiſiſſe cenſeat, quod lubrico ætatis, & imprudentiæ patrocinio veniam mereri non poſſit. Illud præcipue mihi verendum eſſet, ne rerum imperiti adoleſcentes iniquo animo ferrent tam liberum objurgatorem. ſed ego hanc invidiam minimi facio, ut qui mihi conſcius ſim, quam ſincera conſcientia nixus id officii ſuſceperim. Itaque

Quam pro me curam geris, hanc precor optime pro me
Deponas. ———

Fides, libertas, veritas, initio offendunt eos quibus reſiſtunt, ſed poſtquam ſedato pectore mens ſeſe revocat ad rectam rationem, ab iiſdem coluntur ac ſuſpiciuntur. Plerique ardent cupiditate editionis, & ſummis precibus me obteſtantur, ne ſcilicet tali monumento defraudem publicum. Edita eſt ante annos circiter octo, magni viri Fr.Iunii oratio ad componendas etiam turbellas intemperantis juventutis, ſed oratio defecta nervis ac viribus, quæ fere univerſa conſumitur aliud agendo diſſerendoque de ſubtilibus ineptiis, quæ ſomnum potius pariant quam aculeum defigant in mentibus legentium. Tamen excepta eſt applauſu, & ſolidam inde laudem reportavit. nobis odium & invidiam creat, quod bene mereri ſtuduimus de republica. Pace omnium liceat dixiſſe, in tanta perturbatione noſtrarum rerum, in tanto motu animorum, non egebam alio auctore, quam eo munere quod in hac Academia ſuſtineo. Vox mea conducta eſt, non taciturnitas. Nihil clanculum ſum molitus, ſed omnia palam ſimpliciterque,ut magnanimum pectus decet. Verum hæc hactenus & plura fortaſſis quam par erat. Niſi generoſam animi tui indolem, & ſingularem erga me benevolentiam penitus exploratam haberem, non tam libere talia literis committerem. Audio etiam te nonnihil eſſe offenſum, quod auſus fuerim carmen dictum honori Ducis Spinolæ, legendum tradere incomparabili viro Præſidi Ianinio. feci ea mente ut ſibi ſoli aſſervaret, idque eum opere ſummo rogavi. Nam ut

ipſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ipſi Duci exhibeatur, niſi vobis aſſentientibus, & tali tempore quo pars pacis erit certare officiis, nunquam equidem adducar. Sed ſi ſcires quantis difficultatibus conflicter, non gravate veniam dares, ſi interdum videar obliviſci me eſſe Baudium. Quanquam in eo ipſo carmine nihil dixi cujus me pœnitere poſſit, & forte nunquam melius inſervivi decoro. Nihil fortunas meas ſublevare poteſt, quam ſi cito fiam collega Tragoræ. qua de re heſterno die ſcripſi ad vere Magnum, imo Triſmegiſtum Grotium,

— cujus amor tantum mihi creſcit in horas,
Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.

Recordari potes me, antequam Fiſci advocatus crearetur, hac lege provinciam Hiſtorici ambiiſſe, ut eum unicum agnoſcerem cui faſces ultro ſubmittere non recuſarem. Nunc abunde habet quod agat, etſi ad quodvis onus tollendum vires idoneas ſortitus eſt. Itaque ex competitore libens deſcendet in officium ſuffragatoris. Sed tempus eſt deſinendi ineptiarum. Vale, & nos tui obſervantiſſimos ama. Datum Lugd. Batavor. III. Non. April. cIↄ Iↄc VIII.

EPISTOLA LXXXVIII.

Hugoni Grotio Dominicus Baudius S. P. D.

Hag. Comitis.

QVo ſæpius mente retracto ſuperioris injuriæ memoriam, qua mihi per importuniſſimam interceſſionem adempta eſt facultas pulcherrimi facinoris, hoc magis οἰδαίνεταί μοι κραδίη χόλῳ. nunc in cumulum accedit aliud malum, eo gravius atque acerbius, quod vulnus iſtud patior à viris noſtri amantiſſimis & cætera cordatis, niſi quod in alieno opere nimis moleſte curioſi ſunt, aut ego in mea re parum idoneus ſum judex. Sed habeo ſuffragatorem meæ ſententiæ Grotium, ἕνα ἀντὶ πάντων, habeo legatum Chriſtianiſſimi Galliarum regis, virum, ut veriſſime ſentis, incomparabilem & Cancellariatu digniſſimum. habeo τὸν à Collibus, non degenerem mundi incolam, nec iniquum alienæ virtutis æſtimatorem, ut ſolent ii qui ſuæ confidunt. Quid igitur volunt hæ ἀμβολιεργίαι? cur mihi moderamen & arbitrium rei meæ eripitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quaſi ad agnatos & gentiles ſim relegandus? Quamquam Academia noſtra Curatores habet, tamen non dantur nobis ut furioſis. Novi moris & exempli res fuit, quod coactus ſum cauſam dicere coram judicibus Academicis in ipſo rei gerendæ articulo. Viſum eſt conſcriptis patribus non expedire, ut oratio haberetur. Etiamſi animum in omnes partes verſare voluiſſent, & excutere quidquid ubique eſt acuminis, nihil aliud mihi probro verti potuit, quam quod cathegorica denuntiatione non ſignificaſſem patruo tuo, me has partes ſuſcepturum. Ea ſola miſera præteritio ſolemnitatis, generoſiſſimo conatui futile impedimentum objecit. quod accidit non dedignatione legitimi ordinis, nec detrectatione parendi magnifico Rectori (quis enim magis virum obſervat quam ego, vel quod ita meretur, vel quod tu illi ſanguine propinquus, vel quod nihil æque amo ac pacem & quietem publicam?) ſed dum tota mente & cogitatione defixus eram in deſignatione glorioſi operis, non venerunt in animum iſtiuſmodi frivola conſuetudinis & inanes formularum ſolemnitates. Adde, quod in conventu omnium Profeſſorum ſatis aperte indicaram conſilii mei ſententiam, nec aliud eſſe præſentius remedium ſanandis mentibus immodeſtæ juventutis, quam orationis medicinam. cætera quæ à collegis in medium allata eſſent, huc tantum tendere, ut morbi vis intelligeretur. Ad eam rem bonis communibus operam meam devovi. & quis, tua fide, alius ex ordine quotquot ſunt Profeſſorum hoc ſibi munus depoſcere auderet? plerique aſſenſi ſunt, omnes certe extraordinarii: nemo reclamavit, niſi quod periculum exploſionis imminere mihi dicerent. & per latus meum totius collegii dignitatem violatam iri, ſi publica auctoritate ſubnixus ad dicendum accederem. Ad exploſionem quod attinet, unice ſecurus eram: ſed nulla aſſeveratione fidem facere poteram, credo, quia nemo ſibi conſcius erat tam flagrantis erga ſe ſtudioſorum benevolentiæ. Ne quid vero detrimenti caperet auctoritas collegii, declaravi me paratum eſſe privato conſilio periculoque rem aggredi, ſic enim futurum, ut aut ſolida rei bene geſtæ laus, aut irriti conatus ludibrium in unum Bau-

dium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

dium redundaret. Non erat quod regererent æmuli heroicarum virtutum, nonnulli etiam ex ordinariis Catonem efferre laudibus, & proſequi ſecundis ominibus. ego horum aperta ſtudia, illorum taciturnitatem pro conſenſu interpretari. Fretus his auguriis, & quod ex animi ſententia dicere poteram cum magnanimo Hectore

ἡμεῖς δὴ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ.

ſignificavi programmate cum prima luce me poſtridie hora decima ſermonem habiturum. Non poſſem verbis eloqui, quantus audiendi ardor juventutem invaſerit; prorſus erat illis decretum aures attentas præbere, tametſi plura eſſent audituri ex me mala,

— quam audivit unquam Clinia ex Demetrio.

Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?

Summa ſummarum huc redit, ut noris me ſerio commoveri, quod contra ſummorum III virum auctoritatem ob inaniſſimas rationis cauſas in atrio Libertatis prohibetur ire in publicum, non audeo dicere

Flos illibatus populi, Suadæque medulla,

ſed tamen pignus luce non indignum, nec à degeneri homine conceptum. Non ſum equidem tam vanus aucupator gloriolæ, ut ſimpliciter æquo animo pati nequeam perire meas vigilias: quod tamen ſi ægre ferrem, communis ea mihi culpa eſſet cum duobus maximis viris Cicerone, & Cæciliano Plinio. ſed illud ipſum me macerat, quod honeſtiſſimæ voluntati noſtræ refragantur, qui eam votis adjuvare debuerunt. Vere dico, non ſentio me liberum, quum forte ſim ἐν ἀνάξιος τυραννίδος, niſi quod illud cogito, eos, à quibus tam ſerviliter in ordinem cogor, non ſentire quam rem gerant. tum autem incredibile dictu eſt, quantum percipiam ſublevationis à moleſtia, quum ægritudinem in ſinum tuum effundo. Studioſi cottidie mihi moleſti ſunt, ut editio maturetur. ego etiam ſpem certam illis oſtendi, quod animus non præſagiret ullum juſtum ac legitimum impedimentum obſtare poſſe quo minus id fieret. Nunc levis & inanis deprehendor. ſed leviorem me judicabis, quod in ſimpulo fluctus excito & ex muſca facio elephantem. Vt res meæ ſunt, malim κλήματος δόσιν, quam τιμῆς σημεῖον. ſed proximis comitiis

non poteſt ſine inſigni contumelia mei ratio non haberi, quippe qui per totum annum in ſolidum functus fuero duplici munere, quum Hiſtoriarum onus tantum ex ſemiſſe mihi incumberet. Omnes offenſæ detergerentur, ſi optimus virorum Mylius, eo tempore (nam copiæ meæ ſunt ad incitas redactæ, & præſentiſſimum ſubſidium efflagitant) munus Hiſtorici ex parte potentiſſimorum Ordinum huic homini demandandum curaret.

τὰ δ’ ἄλλα κόμπος, καὶ λόγων εὐμορφίαι.

Vale, & nos ama.

Non poſtulo mutuam in ſcribendo diligentiam ab homine occupatiſſimo, etſi nihil mihi exoptatius eſſe poteſt elegantiſſimis tuis literis: ſed rogo, ut in bonam partem accipias quod tecum tam familiariter fabulor. Hanc epiſtolam ſi Veneris marito conſecrare gravaris,

Fac timeat claves, & grata ſigilla pudicæ,

ne foras eliminetur. Datum VII. Aprilis pridie natalis mei, quo annum explevero XLVII.

Heu quantum frugis potuit famæque parari,
Hoc quem ſordentes hauſerunt tempore curæ!

Nondum reſcivi, an redditus tibi fuerit faſciculus in quo erant Poëmata Hieronymi Vidæ, & Gulielmi Barclaii volumen contra monarchomachos, de quibus mecum egerat ampliſſimus præſes Sequanus.

EPISTOLA LXXXIX.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HOdie me perfudit ingenti frigore lex horrendi carminis incluſa literis Heinſiadæ noſtri, cujus ipſa verba heic habes.

S. P. Clariſſime Baudi, Quoties aliquid eſſe in rem tuam putarem, aut quod te ſcire tua intereſſet, amicè te monui. idem nunc facio. quamvis quæ ex animo ſincero & tui amante proficiſci ſolent, ea tu ſæpe aliter interpretatus ſis. Actum fuit his diebus in conventu Ordinum de re quadam quæ ad te pertinet non levi, neque quiſquam fuit qui cauſam ibi tuam ageret, perculſis credo omnibus, aut, ut fit, rem ignorantibus. Multa heri ex Syndico audivi, qui ut te monerem

ſerio

ſerio à me petiit. Coram, ſi videtur, plura. non enim diſſuaſerim ut cum viro tui amantiſſimo Mylio rem conferas. Hæc volui, ignarus ne eſſes. Vale.

Igitur continuo ad eum ivi, ne ignorarem quidquid atrox aut horribile capiti huic immineret. Cognovi carmen gratulatorium honori Ducis Spinolæ inſcriptum concitaſſe mihi tam inexpiabilem invidiam, ut eam Tethys eluere non poſſit omnibus undis. Nec quenquam eſſe qui non aliqua ſceleris contagione pollui ſe crederet, ſi eum cauſæ-dictione ſublevaret, qui tali perduellione caput alligaſſet. Omnino ſum, niſi cauſa ſontica conſilium meum impediat, die Mercurii ad vos venturus, ut aut noxæ dedar, ut piacularis victima, ſi parricidium admiſi, aut ſaltem non peream inauditus atque indefenſus. Interea te rogo atque adjuro per communia ſacra Muſarum, per ſanctiſſimam animorum noſtrorum conjunctionem, quæ vincit omne pignus arctiſſimæ neceſſitudinis & conſanguinitatis, ut me præſidio ac patrocinio tuo tuteris adverſus malignorum aut imperitorum hominum morſus, ne quid ſequius inſtillent credulitati bonorum de eo quem judicas nunquam tantum juris conceſſiſſe ſævienti fortunæ, ut vellet magnis regibus eſſe minor. Statim ut monitus ſum, non videri ex dignitate perſonæ quam gerimus, ut offerretur, acceſſi ad eam ſententiam, & tacito pudore ſuffuſus ſum, quod rem indecoram alienamque à cætera generoſitate indolis, animo deſignaſſem. nec quidquam tamen unquam facere decretum erat mihi inconſulto D. vander Mylio, tuiſque & aliorum magnorum amicorum ingratiis. Peccatum eſt (fateor) feſtinatione editionis, & quod liberaliter nimis tria vel quatuor exemplaria diſtributa fuerint hominibus, qui præpoſtera ſedulitate & amore ac ſtudio noſtri, odium libello importarunt. Ad medendum gravioribus incommodis, putarem optimum factu fore, ſi idoneis ingeniorum æſtimatoribus quidquid iſtud eſt horribilis ſecreti deponeretur. quemadmodum Sophocles ſe à filiorum impietate abſolvendum curavit, poſtquam judicibus oblatus eſt ὁ ἐπὶ Κολωνῷ Οἰδίπους. Tui judicii res eſto, nam ad me quod attinet, ita ſum in fermento, ut non poſſum animum

mum inſtituere ad cogitandum quod maxime in rem fore videatur. Denique clientem me tibi dedo, quamvis nunc officii ratio exigat, ut contumaciter adſis utilitatibus fiſci. Sed & fiſci cauſam malam plerumque facit optimus ſtatus civitatis. Vale. Scribebam XXI. Aprilis CIↃ IↃCVIII.

EPISTOLA XC.

Raphaëli Thorio Dom. Baudius S. P. D.

Londinum.

TV quidem perſtas in propoſito tacendi, & fideliter ſervas ἐχεμυθίαν Pythagoricam, ego, cujus opera Tacitus loquitur, non poſſum quin familiariter tecum loquar per commercia literarum, quando locorum intervalla prohibent ſociare ſermones, & *notas audire & reddere voces.* Friget nunc Hagæ negotiatio pacis, & omnia ſunt in exſpectatione donec ex Hiſpania reverſus fuerit ὁ εἰρηνοποιὸς μόναχος, in cujus animoſi corruptoris & dedecorum pretioſi emptoris frontem hoc epigramma αὐτοσχεδίως effudi,

Aurea non ſolum ſed gemmea ſæcula cudit
Frater, qui toties itque reditque viam.
Quippe animas humiles gemmis mercatur & auro.
Quis non Saturni regna redire putet?

Facile ſine interprete noſti quem heic ſcommate perſtringam, neque enim obſcura fuit impudens largitio, ad labefactandam fidem ejus penes quem *** deponuntur. Sed quid iſta ad me attinent? niſi quod pars ſumus, & quidem haud infima, navis quæ periclitatur. Audio florem juvenum Iohannem Barclaium rediſſe in Angliam, ſeu, ne imprudens committam ſolœciſmum εἰς τὴν κρεττανίαν, in magnam Britanniam. Si ita eſt, miror & aliquantum moleſte fero, nos ea de re nec ab ipſo, nec à comitate tua factos eſſe certiores. Prodiit in lucem altera pars Satyrici ejus, ſed nondum inſpiciendi mihi data eſt copia, niſi ὁδοῦ πάρεργον apud Mylium noſtrum. Volo autem diligenter in eo eſſe, nec propter viam facere huic Herculi. Sed præ ſtudio nugandi garriendique tecum familiariter, pene prætervectum eſt memoriam meam id cujus ergo potiſſimum ſcribendi operam uſurpavi, nimirum ut hunc juve-

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nem humanitati tuæ conciliarem, nec non & comitem itineris, cui ſtatim ex quo eram reverſus à vobis, literas ad te tanquam iſthuc profecturo dederam. ſed mutavit conſilium, & in Friſiam eſt profectus. Vnde cum huc reveniſſet, & ex eo quærerem, an literas tibi meas reddidiſſet, negavit te domi fuiſſe repertum. Hæc ſcribo, non ut homini, cujus pater commilitio ſtudiorum Genevæ mecum conjunctus fuit, & nunc per multos annos magna cum laude doctrinæ facundiæque Miniſtrum Euangelii agit, mea cauſa ſuccenſeas; ſed potius vel eo nomine magis ames, quod tam liberaliter facilitate mea eſt uſus. Obſecro te, vel unico verbo reſcribe ecquid valeas, quid rerum geras, ut intelligam te meas accepiſſe, nec priſtinæ benevolentiæ memoriam ex animo tuo effluxiſſe. Vale cum uxore & liberis, noſque ama. Datum Lugd. Batavor. III. Nonas Majan CIↃIↃCVIII. Stylo Gregoriano.

EPISTOLA XCI.

Richardo Thomſonio Dom. Baudius S. P. D,

Cantabrigiam

QVanquam non admodum opera mea frequens aut largus ſum in miſſitatione literarum, tamen cave ſuſpicere quidquam amicitia noſtra conſtantique viro indignum. Nam etſi nullos dedi publicos obſides conſtantiæ, ut clarus ille vir, cujus nunc perſonam in hac Academia ſuſtineo, tamen probe memini, nec me unquam capiet oblivio, quid bene meritis amicis, quid humaniſſimo virorum Richardo Thomſonio debeam. Non ſine mente nomen addo: nam cognominem tuum Georgium Thomſonium amo quidem & æſtimo plurimum ob ſtudium bonarum partium, & egregios in ſolida doctrina progreſſus; ſed, ut verum apud te fabuler, nullo modo poſſum probare nimiam ejus violentiam atque aſperitatem in noſtrum Lipſium. cujus quidem Divarum ſanos omnes pudet pigetque, ſed tamen majore cum reverentia tractandum fuit præſtantiſſimum pene ingenium hujus ſeculi, & qui pro parte ſua ſtrenue tutatus eſt literarum gloriam. Scriverius noſter jam tandem ſerio cogitat de Martialis editione, ὥς αὐτὸς ἔφα, ἐγὼ δέ τις οὐ ταχυπειθής.

ſi quid

ſi quid tamen & affirmanti amico ſingulari, & bono viro credendum eſt, μέλλει δώσειν. Arbitror te ex indicio famæ factum eſſe certiorem, me ſuperiori menſe Auguſto transfretaſſe in magnam Britanniam, cujus & Monarchæ de manu in manum tradidi Salisberiaci Poëmatia mea, quorum minus malum carmen heroicum ejus honori inſcribitur. duo vero Gnomarum Iambicarum libri dedicati ſunt Principi Britanniarum, quicum horam amplius unam familiariter ſum collocutus. ſed hac fine ſtetit omnis regia liberalitas, nec teruncio factus ſum propenſior, ut vel meo exemplo liquere poſſit, magnos terrarum dominos poſſe perdere, non donare. Interim non pœnitet ſuſcepti itineris, niſi quod te non offenderim. Nam & habeo reges debendi reos, & olim fors fuat intelliget,

ἦν ἄτην, ὅ τ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισε.

Durabo, & memet rebus ſervabo ſecundis. idem generoſitati tuæ faciendum eſſe cenſeo. & quum non poſſimus quod volumus, velimus id quod poſſumus. Eſto tibi commendatus is qui haſce literas tibi reddet Plura non addo, præter ſolenne carmen, ut valeas, & nos amare perſeveres. Raptim Lugduni Batavor. v. Maji cIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA XCII.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

IS qui haſce literas tibi redditurus eſt, quanquam virtute ſua fidit, & honeſtiſſimorum hominum judicio nititur; tamen magni muneris inſtar putavit, ſi commendatione noſtra decoratus ad dignitatem tuam affectaret viam. Quæ benigna ſpes ne eum fruſtra habeat, vehementer te rogo. Non vereor in hac perſona, ne, quod in commendandis hominibus etiam atque etiam aſpiciendum eſſe monet vafer Flaccus,

Iucutiant aliena mihi peccata pudorem.

Votum ejus nec improbum eſt, nec indignum quod prono favore tuo excipiatur. Si quid ad rem attinet, etiam nominis affinitate mecum devinctus eſt, vocaturque Dominicus Dominici: nam, ne grande hoc ſecretum

cretum ſcilicet ignores, partem habui cognominem, cujus utinam eximiam pietatem factis referre poſſim. Domi ſane habeo quæ me patientiam cottidie docet, nec præſentius ullum afflicto remedium inveniri queat, quam ſi *pallida mors* quæ *æquo pulſat pede pauperum tabernas regumque turres, ô beate Myli*, aut me aut illam adſcripſerit Orci theſauro. quanquam ut felicitatem meam noris, omnia nunc ſunt paulo tranquilliora, & in ſtatu adumbratæ quietis. Plurimum vero faceret ad levandam animi ægritudinem, ſi celeriter adlegerer in collegium Tragoræ. quod etſi ſummæ curæ tibi eſſe confido, tamen æquo animo feres te ἐκ περιουσίας admoneri. Nam, ut loquar cum Poëta ingenioſiſſimo ſimul ac miſero,

Fortibus aſſuevit tubicens prodeſſe, ſuoque
Dux bene pugnantes incitat ore viros.

Heinſius heſterno die profectus eſt in Zelandiam, ut interſit nuptiis D. Borelii, quem una cum Grotio heroë cohoneſtavit inſigni epithalamio. poſtulabatur etiam à me carmen, ſed *difficile eſt imitari gaudia falſa, Nec bene ſollicitis ebria verba cadunt.* Erat tamen pulchra verſificandi materia, optima dos, qua ſponſam ornatam eſſe prædicant. ſed eam dotem multo optimam eſſe judico cui non ſit annexa uxor, vel ea ſit meæ diſſimillima. Vides me etiam in miſeria jocari. quid facerem? fruor fortuna Socratis, quem exercuit diva Xantippe: ſed cicuta tandem bonum virum liberavit à domeſtica calamitate. Macti virtute ſunto Athenienſes,

Nil præter gelidas ſoliti conferre cicutas.

tanti eſt perire, dum liberemur ab improba conjuge. Non addam plura, ne nimis intemperanter abutar benignitate tua. Vale, & vicem noſtram ſerio dole. Datum Lugduni Batavorum VI. Iunii cIↄ Iↄc VIII.

Epistola XCIII.

Maximiliano Vrientio Dom. Baud. S. P. D.

Gandavum.

SCribo hæc ad te quum in procinctu eſſet tabellaria: ſed admonitus ab amiciſſimo utriuſque noſtrum Heinſio, populari tuo, non exiſtimavi ſine flagitio munus ſcribendi prætermitti poſſe, ut ſaltem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

vel ex hoc feſtinato officio noris, quantum mihi licere permittat genius humanitatis tuæ, cui dum nimis indulgenter acquieſco, parum obſervans ſum tuæ dignitatis καὶ τοῦ πρέποντος. Alias erimus accuratiores, neque enim ſemper ſunt Saturnalia. nec ὁδοῦ πάρεργον ſunt colenda magna nomina, quamvis fortiſſimus heroum Hercules haud iniquo animo patitur, ſibi propter viam fieri: & olim

πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει,

molam ſalſam gratus interpretabatur, ſi quis thura merumque non haberet. Ad ſummam, etſi parum religioſus ſum in te obſervando, tamen affectu καὶ προθυμίᾳ nemini tuorum ceſſero. Cujus animi pignus erunt hæ literæ: vel ob ipſam ex fiducia familiaritatis negligentiam. Vale. Raptiſſime. Lugd. Bat. proprid. Kal. Quintileis cIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA XCIV.

Cornelio vander Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVod nunc ad te ſcribo, vir obſervande, ab eadem cauſa eſt quæ me toties impulit, ni & præſens, & per literas tibi moleſtus eſſem. nimirum, ut me tandem efficere velis compotem diuturni voti ac deſiderii. Nam ut olim Auguſtus Cæſar imperii breviarium, ſic ego paupertatis meæ ratiunculam diſpoſui, ut tanquam re peracta & impetrata retulerim in accepti capita provinciam Hiſtoriarum ſcriptoris. Quæ ſpes ſi me fallit, perii funditus: imo; niſi præſenti die ſuccurritur ingruentibus malis & incommodis, quibus pene detrudor ad hujus lucis tædium, & ad votum maturæ mortis, eo res meæ redactæ ſunt, ut æri alieno ſupereſſe non poſſim. Sed in ſolido locatus eſſem, & pulchre ſtarem, ſi Sparta illa nobis decerneretur. Haberem enim ad manum unde omnibus meis, aut uxoris potius creditoribus ſatisfieret. nunc moleſtis flagitatorum vocibus ita aſſidue aures meæ obtunduntur, ut mens hebeſcat, nec ſe comparare poſſit ad ullam ſeriam curam ac meditationem, niſi ut calamitatem patienter feram. Quod ut in animum indu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cam facere, domi habeo unde diſcam, non ignaviorem huic virtuti inſinuandæ magiſtram, ac fuit olim uxor Socratis, niſi quod jam placidum & innoxium plane eſt animal. ſed morbo tacet, ut olim nimis tinniebat. Hoc Grotii noſtri dicterium eſt, ne aliena mihi ſumam. Vides me etiam in miſeria jocari poſſe. rideo, ſed ea mentis exſultatione, qua nihil poſſim imprecari ſævius infenſis hoſtibus. Vale, & inopis te miſereſcat mei. Datum Lugduni Batavor. Pridie Non. Novembr. CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA XCV.

Ioanni Rutgerſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

QVæ otii oblectandi gratia, non cenſoris animo meditatus ſum ſuper hoc lento negotio Induciarum, ea tibi inſpicienda mitto, qui nugamenta noſtra non amas ſolum, ſed & obſervas, & fortiter defendis adverſus imperitos obtrectatores. Vel nuper quam ſtrenue cauſam noſtram egiſti, quum à non nemine ignaro veri honoris inſimularer, atque etiam ignominioſe notandus judicarer, tanquam civis haud utilis, imo pernicioſus patriæ, & averſus à communi bono, quod temerario auſu non horruiſſem aſſurgere in laudes Marchionis Spinolæ? Scilicet facinus indignum eſt, virtutem in hoſte revereri: quod qui facere gravantur, nec jus gentium norunt, nec ullum cum humanitate commercium habent. Si hoſtem ut hoſtem laudare piaculum eſt, neceſſe erit ut perduellionis crimine damnetur optima pars hiſtoricorum, qui ſepoſito partium affectu ſuum cuique decus attribuerunt ſine gratiæ aucupio, ſine metu offenſionum. æqui ſcilicet uni virtuti, atque ejus amicis. Exſpectant forte malevoli, ut ipſis ſatisfiat: at ego invidiæ malo ſuppeditare quod eam urat & remordeat: itaque non intercedo, quin arbitratu tuo hanc Diſſertatiunculam vel tibi ſoli ſerves, theſaurum ſane non magni pretii, vel communices cum populo, ſi proles digna videbitur quæ lucem adſpicere debeat. Vale, & nos ama. Datum VI. Kalend. Ianuarias auſpices anni CIↃ IↃC IX. Lugduni Batavorum.

EPI-

EPISTOLA XCVI.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HEſterna die bis ad Herois ædes a cceſſi, ſed non viſum eſt commodum pro tempore ut adeſſem Phœbo noſtro ad occaſum tendenti. Quum quærerem de ſtatu valetudinis, triſte reſponſum accepi, ſed quod jamdudum animo præceperam, nimirum eum magis magiſque cottidie viribus linqui, & in deterius vergere, ut jam videatur haud procul abeſſe à fatali meta, quæ nobis omnibus inſtat attingenda, quo ordine ſummus Imperator quemque ex hoc vitæ præſidio in meliorem ſedem evocabit, quæ vere vita dici poteſt. non hic fundus calamitatis in quo mortuam vitam & vivam mortem inter dolores ac labores trahimus,

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum.

Equidem quo magis reputo mecum & communem mortalium legem, & præcipuam meam ſortem damnatam infœlicitatis ac miſeriarum : tanto minus reformido mortem, imo votis adſpiro ad ſtudium vitæ ulterioris. Recens huc adveni onuſtus inſigni liberalitate ampliſſimi Præſidis, ſed quæ vix ſuffecit ut ab improbiſſimo genere daniſtarum redimere poſſem pignora ſub quibus identidem coactus fueram nummos accipere, ut incommodis ac difficultatibus rei domeſticæ ſubveniri poſſet. Venit ſubinde in mentem vox uſurpata à Nerone Cæſarum deterrimo *Quantus artifex pereo*! non quod mihi magnopere placeam, cui pene inviſa eſt hæc lucis uſura : ſed tamen ſi patria, totum hunc hominem rebus ſuo captu dignis admovere dignaretur, non tantum ſuppeteret unde me ab egeſtatis injuria vindicare poſſem, verum etiam inter eos accenſerer, qui facillime degunt ætatem, quique fortunati perhibentur. Sed fatum meum non videtur capax fortunæ lautioris. non quod in divitiis ſummam humanæ felicitatis ponam, ſed certe vita beata conſiſtere non poteſt in ſordibus paupertatis. Lenones & lenonum filii ad ſummas dignitates & ad invidendas opes provehuntur, jacente Baudio, quem tamen ventura ſæcula prædicabunt non vixiſſe degenerem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rem mundi incolam, nec indignum cujus extra ordinem ratio haberetur. Ille tamen ſe in ordinem cogi jampridem rogat, & factum oportuit etiam non rogante, niſi fama nobis & philautia imponit. Sum collega nimirum, ſed ſine ſuffragio, Senator ſine conſilio, profeſſor abſque publica auctoritate. Quanquam, ut olim libere ſum effatus in Senatu Academico quum jocoſa lis de hora in judicio verſaretur, eum eſſe Ordinarium ex animi ſententia cenſeo, qui ſtationem & ordinem fortiter tuetur, qui conſulit in medium, & adeſt commodis communibus ſtudioſæ juventutis. qua laude nemini cedo. ſed interim propter occaſionis intempeſtivitatem nondum aſſequi gratia & precibus potui, ut collega fierem hominis inſulſiſſimi, quem Tragoram mortales perhibent. Si ex Ordinum decreto hanc Spartam eſſem adeptus; efficerem ex totis induſtriæ conſiliique viribus, ut hoc demum tempore Belgæ intelligerent non deeſſe ſibi Hiſtoricum haud imparatum ab iis dotibus, quæ requiruntur ad tam præclari operis exædificationem. Nunc animos comminuit illa contubernalis bonorum ingeniorum res anguſta domi: cujus evidens documentum elicere eſt ex eo quod jam manum admovere cœpi inglorio pariter & tædioſo labori vertendi ex Italico ſermone Ludovici Guicciardini deſcriptiõnem regionum & rerum Belgicarum. Doleo cum Philoctete Acciano, quod hæc tela quæ patriæ fatis debentur, non armigero ſed pennigero in corpore exerceantur. Verum omnia forent ex voto, ſi nobis aſſignatum eſſet munus Hiſtorici. Sic eſſet unde fumus ex Ithaca noſtra luculentior exiret. Vxoris afflictiſſima valetudo gravibus me jactat incommodis, nec exilibus impenſis. Eſt mihi domeſticum patientiæ exercitium, quo magis ac magis ad ſerium pietatis amorem & ad demendum aliquid cottidie ex vitiis, quæ non tantum obtrectatores in me culpant, ſed ipſe volens agnoſco. Interim famam & exiſtimationem hujus Academiæ pro captu gnaviter fovemus, nec occaſionem præbebimus unquam ut apud exteras gentes male audiat. Vtinam omnes noſtri muneris & ordinis pari voto ac ſtudio in eandem mentem conſpirarent! Sed facilius conveniet inter Belgas & Hiſpanos, quam inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ter fratres ubi ſemel in contentionem exardeſcere cœperunt. Omnino res erumpet in ſchiſma, niſi fortibus conſiliis huic malo occurratur. Omnibus recte ſubductis rationibus non facile reperietur præſentius remedium, quam de quo ſæpius tecum egi. Poſſum, ſi uſus venerit, ſententiam meam firmare & auctoritate ſacrarum literarum, & inſtituto majorum, & rationibus haud imbecillis. materies ſane digna eſt de qua diligens cogitatio ſuſcipiatur. Si ſpiritu docilitatis & Chriſtianæ caritatis ducerentur duces (ut ſic dicam) partium, confectum negotium eſſet. Sed utrinque videre eſt magnos animorum motus, manifeſtam concurſationem, ut ſuffragatores ſibi concilient, denique mentem contentionis ſtudioſiorem, quam indagandæ noſcendæque veritatis,

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Sed ob Atridarum culpas ſupplicium ferent Achivi: & Academia peſſimi odoris eſt non ſolum apud extraneos, verumetiam apud noſtros cives. Deum oro ut pro ſua clementia miſereatur Eccleſiæ, & patefaciat hypocritas, qui nobis hæc mala cudunt.

Ignoſces quæ ſupra paulo liberiuſcule queſtus ſum, nec id in eam partem accipies quaſi de exilitate honorarii conquerar. Habeo unde potius gratias immortales agam veſtræ liberalitati, & peculiariter tuæ erga me benevolentiæ: ſed ſine diſſimulatione apud candidiſſimum pectus depono, quæ miſeriæ me anxium & & ſollicitum habent, ut animus vix exſurgere poſſit ad ullam præclaram cogitationem. Vale. Datum Lugd. Bat. XI. Ianuarii CIↃ IↃC IX.

EPISTOLA XCVII.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HEu quantus heros ilicet nobis fuit!
Sed terra tanti non erat capax boni.

Extinctum eſt hora quarta matutina hodie lumen ſæculi, decus virtutum, princeps ingenii ac doctrinæ, magnus heros abſque controverſia noſter Scaliger. Aſſertum & redonatum eſt patrio cœlo nobile illud pignus ac depoſitum, quod fata terris commodarant. Nunc in luctu

in luctu eſt animus, tali tantoque patrono orbatus: aliæ item me conficiunt domeſticæ incommoditates, pertinax uxoris invaletudo, quæ, ſi vera præſagire ſolent illuſtres animæ fato propinquæ, non longo intervallo ſequatur, porrectis in portam rigidis calcibus. Ita ſane vaticinatus eſt paucis ante obitum diebus noſter quem lugemus ademptum. Ego ardentibus votis Deum oro ut aut reſtituatur priſtinæ ſanitati, aut, ſed nolo triſte quidquam ominari dulciſſimæ miſeriarum conſorti. Cæterum quanquam non dubito quin tua ſponte ſatis propenſus ſis ad ſublevandas fortunas eorum qui omni genere pietatis atque officii ſunt proſequuti defunctum: tamen te obnixe rogandum putavi, ut præcipua gratia complecti velis Ionam cum familia. meretur ut ſi quiſquam fide fuit optima, ne liberalitas publica in eo claudicet. Patrem nutricium quidem ſuum coluit omni obſervantia, nec ullum quantumvis abjecti atque humilis ſervitii genus omiſit, moroſitatem etiam tum in ſene tum in ægro ſic pertulit, tanquam gemmæ eſſent & roſæ, ut jure optimo ratio ipſius habenda eſſe videatur. De nobis etiam, rogo memineris, ut & in collegium Tragoræ, & in ordinem Academici Senatus proximis comitiis cooptemur. Datum raptiſſime XXI. Ianuarii CIↃ IↃC IX.

EPISTOLA XCVIII.

Adriano à Mathenes, & Cornelio vander Myle, Curatoribus Academiæ noſtræ Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

NOn eſt dubium quin magno in mœrore ſitis ob Herois noſtri abitionem in cœleſtem patriam, ubi nunc æterna felicitate fruitur. corpus autem, hoſpitium ingentis animæ, mandabitur ſepulturæ die Domnico poſt horam ſecundam à meridie. Cavit teſtamento, ut ſepeliatur in ea parte templi Gallici, quam inſidere ſolebat auditurus ſacras conciones: nec aliud monumento incidi voluit niſi hoc breve oraculum:

IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER
IVL. CÆS. FIL.
HEIC EXSPECTAT RESVRRECTIONEM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Scio vobis curæ fore ut præſentia veſtra funus maximi viri cohoneſtetur. Nullum habet in his locis propinquitate ſanguinis ſibi junctum, ſed admiratores ſuæ virtutis ac doctrinæ ſupra ſortem humanam reliquit plurimos, imo omnes qui ſenſum retinent humanitatis. Egregia liberalitas, qua Bibliothecam publicam auxit fideicommiſſo ſupremæ voluntatis, meretur ut publice ratio habeatur eorum quos legatis honeſtavit. hi enim cenſendi ſunt tanquam neceſſarii, & genere propinqui: nam ad amicitias haud vulgares conſtituendas majorem vim habet naturæ ſimilitudo quam legis ſanctio, morum germanitas quam majorum ſeries, voluntatis delectus quam fortuita ſors naſcendi. Literæ amiſerunt decus atque ornamentum ſæculi. nos eum non alio deſiderio lugemus, quam filius parentem: etiamſi careamus externo habitu mœrentium, defixus hæret intimis ſenſibus dolor. Datum Lugd. Batavorum. XXIII. Ianuarii CIↃ IↃC IX.

EPISTOLA XCIX.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

DVplici titulo vere tu nobis vates es, & quod carmine tam feliciter ludis, & quod augur extitiſti maximæ calamitatis, qua ſumus afflicti extincto lumine literarum, noſtro Scaligero, qui XXI. die hujus menſis terras reliquit, ut patrio cœlo cœleſtis anima redonaretur. Ego & Heinſius noſter publice ipſi parentavimus, tanquam communi doctrinarum omnium parenti, & primario ſæculi viro, cujus virtutes & ſupra hominem laudes incorruptius æſtimabit & venerabitur ſequens ætas, poſtquam ſublatæ ſunt ex oculis. Nunc in mærore ſum, ut vix quidquam placidum ab ore manare poſſit. Interim officio cogente hæc paucula feſtinavi, ut & me tui memorem in æternum fore cognoſceres, & nuncium qui tibi haſce literas tradet, humanitate tua complecti digneris: Erit id officium mihi vehementer acceptum, nec indignus eſt cui fores amicitiæ tuæ patere debeant. Vale, & nos amare perſevera, qui te in oculis ferimus. Datum Lugd. Batavorum IV. Kal. Februar. CIↃ IↃC IX.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA C.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

CONveni, ut juſſeras, Dominum Syndicum, qui nunc paulatim redit in gratiam cum bona valetudine, prodiitque heſterna die in publicum. Quod ad nominationem futuri Rectoris attinet,

Qui pecori imperitet, quem tota armenta ſequantur,

non fuit opus ut obſignatis tabellis concrederet tam horribile arcanum. ſimulatque enim ei voluntatem tuam indicavi, non celavit me quidquid hujus erat. Scito igitur ſuffragio collegarum, apud quos nondum habeo jus dicendæ ſententiæ, deſignatos fuiſſe, præter eum ſcilicet qui nunc Rectoratu fungitur, Franciſcum Gomarum, & Everardum Vorſtium. Ego hac in re ſum *Iuppiter omnibus idem*, nec mea magni refert uter eligatur. Si ordo profeſſionum obſervaretur, æquum eſſet præferri Gomarum. ſed arbitror has viciſſitudines ſæpe conturbari, & ſi proximis comitiis aggregabor in eum ordinem, non eſt deſperandum, quin ſequenti anno Baudius ad eum excelſum dignitatis gradum evehendus videatur. Sane ſi Ordinarius eſt qui ordinem pulchre tutatur, nec aſſignatam ſtationem deſerit, hac ego laude nemini ceſſero, nec ulli ſecundus eſſe glorior. Ad animi generoſitatem quod attinet, ſentio cum Catone, qui malebat homines quærere cur ei non eſſet decretus honos ſtatuæ, quam cur decretus: ſed ſerviendum eſt ſcenæ ac populo, nec famæ ratio negligenda, quæ viros inſignes loco & ſubſelliis metiri ſolet potius quam meritis, & interioribus animi ac doctrinæ bonis. D. Syndicus æquiſſimam poſtulationem meam, tam diu dilatam ſummæ ſibi curæ fore mihi pollicitus eſt. De te & collega ſi dubitem, injurius ſim benevolentiæ qua me dignamini. Omnia igitur auguria vergent ad bonam ſpem, ſed ſi eadem opera cumulus ad honorarium accederet, ut millenarius numerus expleretur, beneficium veſtrum tanto acceptius & locupletius eſſet. Hæc mecum ipſe commentor, ut quum ad te retuli de funeris veſtibus è publico largiendis. Qua in re judicas me feciſſe parum ſapienter & conſiderate. Mihi

contra videtur. Et nonne indignum eſt in funere publici literarum parentis, neminem eſſe qui luctus inſignia ferat præter hominem imperitiſſimum literarum? etiamſi nunquam uſurpatum eſſet tale exemplum, dignus erat ille ultimus heroum in cujus perſona novum facti genus decerneretur. Sed non amplius libet mihi oberrare eadem chorda, ne iterum dubiæ ſanitatis arguar, quaſi ſemel inſaniſſe non ſufficiat. Vale nobiliſſime & clariſſime vir, noſque tui obſervantiſſimos ama. Datum poſtridie Kal. Februar. cIↄ Iↄc IX.

EPISTOLA CI.

Τῷ περικρίτῳ τῆς νεότητος, καὶ ἐμοὶ ἀντὶ πολλῶν, μᾶλλον δὲ πάντων, φιλτάτῳ *H. Grotio Dom. Baud. S. P.D.*

Hagam-Comitis.

SI tam perſpecte te novi, quam olim * ignorabat Baudium antequam te notore introductus eſſet ad ſapientiam, non es neſcius fuiſſe παρὰ τοὺς ἄνδρας Ἀθηναίους mortalem quendam haud minimi ſane pretii, cui Periclis nomen indiderunt parentes. is quæſtor quum eſſet, ingentem pecuniæ vim εἰς τὸ δέον ἀνάλωσεν, unde meruit perfundi aceto poëtæ dicaciſſimi Ariſtophanis. idem cum Aſpaſia, non illepido nec ineleganti negotio, caput collimavit, & alia multa patravit, quæ nunc non eſt narrandi locus. τοῦτο δὲ χρῆμα πρὸς τὸν Διόνυσον, quod quum in adverſa valetudine viſitaretur ab amicis, & quidam ut aſſolet, ex eo quæreret quo pacto ſeſe haberet, nihil reſponſi reddidiſſe fertur, ſed indice digito monſtraſſe, περίαπτόν τι ὑπὸ τῶν γυναικῶν τῷ τραχήλῳ περιηρτημένον, quo more pueris bene natis de collo ſuſpendi ſolent bullæ ſeu crepundia. tu cætera facile ariolari potes ſine urinatore Delio, aut ænigmatum conjectore. nempe hoc ſchemate deſignatum voluit primarius populi vir quanto periculo æger eſſet, qui tales offucias ſibi apponi paſſus eſſet. Similiter ego, qui nihil audeo facere ſcilicet niſi exemplo magnorum virorum, ſagacitati tuæ divinandum relinquo quanta in Charybdi laborem dignus fato meliore, quod ad tam humilem, abjectum & ſimplicem ſtilum confugere non exhorruerim, cujus ſpecimen vides in iis literis quas ea mente reſignatas ad te mitto, ne perveniant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

niant in ejus manus cui inſcriptæ ac deſtinatæ erant. Quem quidem ſine controverſia copiis atque opibus abundare palam eſt, ut nihil facturus videretur unde Prætor ei bonis interdiceret, ſi viri haud quaquam ſeculo pœnitendi fortunam ſublevare dignaretur. nec ea res hominis famæ labem aſpergeret, nec facultatibus damnum adferret, haud magis quam ſi ex uberi vindemia racemus, aut è copioſa ſegete manipulus derueretur. Has rationes quum egomet mecum deputarem, & ſimul rerum mearum anguſtias inſpicerem, αἰ νῦν εὐπορήσουσι. δεῖ γὰρ οὕτω λέγειν, καὶ μὴ βλασφημεῖν. Creditoribus unde ſolvam, recte eſt: nam non habere me, religio eſt dicere. Poſſum, quod cuivis in mundo eſt, etiam rebus ad incitas redactis ominari cum cornicula quæ conſedit in Tarpeio vertice, ἔσται πάντα καλῶς· Quum igitur ſubducerem ratiunculam patrimonioli, nihil reſidui videbam præter æs alienum, & eum cenſum quem ex patriæ ruinis ſecum aſportavit magnanimus Bias. Itaque conſilium à neceſſitate ſumpſi, quod mihi principio vehementer arridebat, ut pene exclamarem εὕρηκα. ſed quum refrigerato ardore cupiditatis interrogaſſem θυμὸν ἀγλώσσα veteris Baudii, *quem adſpectabant ob os cujus Graii ora obvertebant ſua*: piguit me puduitque humilitatis, tantumque juris conceſſiſſe fortunæ, ut elogium tuum, quo maxime glorior, factis refellerem. Tamen non, ut ille μικροφιλότιμος ajebat, ne perirent vigiliæ, ſed ut ſcires quibus merſer fortunæ fluctibus, pene hoc lacrymis conſcriptum epiſtolium ad te miſi, nec tamen in mœrore potui recedere à priſtina jocandi conſuetudine, ad inſtar phreneticorum, qui tum rident quum graviſſime morbo affligantur. Nemo rerum humanarum memor aut ſuccenſebit, aut non ignoſcet homini nullius culpæ ſibi conſcio, ſi cum animo partiatur curas & ægritudines, quibus etiam inculpatiſſimi mortalium exerceri conſueverunt. Paupertas multis irrefragabile virtutis atque innocentiæ teſtimonium perhibuit, & boni mores oppreſſi ſunt, quum opes honori, egeſtas probro cæpit haberi. Nunc

Illud amicitiæ ſanctum & venerabile nomen
Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet:

niſi quod haud dicam dolo, tu ex amicis certis mihi es

certiſſimus. rem factam haberem, ſi aut tu Milandri gazam, aut ille animum tuum poſſideret. Publica quidem vox hanc ipſi laudem tribuit, eum detractis vitiis hanc habere cum Tiberio virtutem communem, quod ſit erogandæ per honeſta pecuniæ cupiens, & pronus ad ſublevandum eos qui præter meritum adverſis rebus urgentur. ſed grave eſt, inquit pater, periculum facere in filia. Ego illum veteri quidem obſervantia complexus ſum, quum vix in lucis auras editus eſſet, ſed non tanta mihi cum eo jura neceſſitudinis intercedunt, ut ejuſmodi benignitatem ab ipſo poſtulare audeam. Quanquam (ita me Deus bene amet) nihil expeto niſi cum certa ſpe reſtituendi non ſine perpetua beneficii memoria. Nam ut hodie ſunt mores mori moroſique multum, ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῷ ληκύθῳ. Senio & inuſu obſolevit titulus *de donationibus*, ut jure inter abrogatas leges recenſeri debuerit. Vbique gentium facile reperias αἰτωλίτας καὶ δώσωνας, at pauci ſunt qui Doricam muſam aut dialectum ſonare velint. Macte virtute eſto magnanimus ille.

Ἀμφότερον θεμιδός θ' ἱερόυς, πρεσβεύς τε ἄνακτος·

qui tam præclarum certamen mecum inſtituit, ut ipſe δωρεῖσι caneret, ἐγὼ δὲ δωρεοδοκεῖσι. ſed quanquam tanti facti gloria nunquam è ſenſibus meis obliterabitur, tamen hactenus oleum lychno affuſum eſt, ut ab improbiſſimo genere *, pro quibus tot bella pugnavi, liberare poſſem *. pauci milites è tanta gente cladi ſuperfuere, nunc ad unum omnes coloniam mutaverunt, aut potiti ſunt hoſtium. Itaque noſtra ratis iterum delata eſt ad eoſdem egeſtatis ſcopulos, in quibus ante obhæſerat, niſi quod ſupellex paulo nitidius ſplendet. Sed exorti ſunt venti horribiles atque peſtilentes, qui nos ita curis exercitos habent, ut neſciam quo curſum dirigere debeam, niſi rurſus aliquis favonius votorum noſtrorum vela implerit pluvio Iove, ſed qualis fluxit in Danaæ gremium,

Dedecorum pretioſus emptor.

Ni fit, idque non cæca ſed oculata die, nihil me fieri poteſt miſerius, ****, **. Habeo, quî declinem hunc ictum. ſed ſemel pedum viſa erit via, protinus omnes eo confugient tanquam vulturii ad cadaver,

ut

ut mecum agant eadem comitate qua Bacchæ Penthea diſcerpſerunt. Certa naufragia miſero huic mortali impendent, quæ non alia velificatione prætervehi poſſe video, niſi præſentiſſimo remigii ſupplemento, & illo inſtructu quo manus collybo decolorari ſolent. Bonæ ſpei vadum, imo ſalutis ara pateret afflicto, ſi continuo collega Tragoræ fierem. ſed non otioſe addidi *continuo*. res enim meæ vel breviſſimi temporis moram non ferunt. Iamdiu volvo hoc

Saxum ſudans nitendo, neque proficio hilum.

Optime tamen ſperare me jubet optimus virorum D. Vander Mylius: & recte atque ordine monet expectandum eſſe occaſionis opportunitatem: rationibus ejus aſſentiri mens mea cogitur, ſed creditores non accipiunt in ſolutum inanes logos, quanquam valido fultos tibicine. magiſter artis ingeniique largitor venter caret auribus. Meo judicio nunc pulchra ſe dat in manum occaſio rei conficiendæ, ſi D. Vander Mylius totis ſuadæ gratiæque ſuæ viribus in eam curam incumbere dignaretur, ad abſtergendam offenſionem qua læſus eſſe videor, quod præteritis comitiis nulla ſit habita Baudii ratio, nec in augendo peculio, nec in cauſa ordinariatus, quum tamen multi collegarum etiam plura obtinuerint quam auſi erant ſperare. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Vt paucis complectar omnem rem, ſi fuero allectus in collegium Tragoræ, certum habeo hominem à quo centum libras mutuo accipiam, quæ ſumma pulchrè me liberabit ab omni ære alieno. Ex quo tu Fiſci patronus es factus, cui ſoli faſces ultro ſubmitto, nullus eſt competitor quem formidare debeam, niſi gratioſi dignis præferantur: nec nos, ut opinor, favore deſtituimur. Tu quidem ea vi mentis polles, ut fortiter laturus videaris quidquid patria tuis humeris inædificare voluerit: ſed plane confido te contentum eſſe Sparta quam nactus es, & aliquid etiam amiciſſimo capiti relictum cupere, qui ſe vindicet ab iniquitate fortunæ, & ſeculum inſigni opera demereri poſſit. Ita enim ſpero, nec immunis fucus ſedere cupio ad aliena pabula. quod tamen ſuſpicari videbatur D. Vander Mylius. ſed generoſior mihi mens, & nihil eſt quod majore animo conſequendæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſolidæ laudis, ſpe & votis ambiam, quam ut Hiſtoriam ſuis numeris abſolutam exædificare queam, ſcis me non eſſe imparatum ab ejus ingenii, doctrinæ, ac judicii præſidiis, quæ ad hujuſmodi rem exequendam requiruntur, quod pace dicam vel deceſſoris mei, vel τοῦ θείου Βωκκενβεργιάδαο. Hæc nunc ſumma votorum meorum eſt, quam ſi conſequar, rex ero. ſin hoc lentum negotium diutius protelatur, aliud tamen erit diſpiciendum remedium, aut circumſpicienda ſedes exilii, in quo poſſim nec turpem ſenectam ducere nec cithara carentem. Proviſa jam in corde habeo conſilia, quæ quia paucis verbis enarrare non poſſum, & jam feſſus ſum longæ ſcriptionis, tecum σὺν θεῷ proximo die feriato communicabo. nam heri publice moniti ſumus nomine Curatorum & Conſulum, ut ad ſigna frequentes eſſemus, neu ſine gravi cauſa ſtationem deſeruiſſe vellemus. Nemo forte ex omni numero minus eſt quem hæc admonitio perſtringat. Dabo tamen operam, ut in poſterum ita ſim aſſiduus, ut non permittam mihi feriandi licentiam, niſi ſonticus morbus aut vis major incidat, cui humanis conſiliis obveniri non poſſit. Et jam voti reus ſum, ut ſcias, non ut temeto caream, ſed ne ab eo Palladis ſacarium temerari in poſterum ſinam. quod unum ab obtrectatoribus mihi vitio vertitur. ſed certe plura dicuntur, quam quorum ſim conſcius. Volo tamen ad omnes bene audiendi partes animum comparare, ut ſine exceptione laudari merear, etiam arbitrio ipſius invidiæ. Quorſum enim & optimarum artium ſcientia pectus implemus, & in ſacris literis verſamur, niſi ut Dei timorem, & honeſti reverentiam induamus? Sed jam tempus eſt ut epiſtolæ finem imponam, quæ, ſi minutis Grammatiſtarum præceptiunculis illigari nos patimur, jampridem epiſtolæ modum exceſſit,

ἀλλ' ἡμεῖς τὸ πάλαι μὲν ἐλεύθεροι εὐχόμεθ' εἶναι.

manum ferulæ ſubduximus, at nunc etiam manum ponemus de tabula. Vale. Datum Lugduni Batavorum XVI. Kal. Martias CIↃ IↃC IX.

Centuriæ Secundæ

FINIS.

DOMI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOMINICI BAUDI
EPISTOLARUM
CENTURIA III.

EPISTOLA I.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVa tamen ipſe careo. tot enim curis ac moleſtiis varie diſtrahor, ut quod de Pentheo fabulantur Poëtæ verum in me eſſe comprobetur. Ac domeſticam illam quidum crucem & calamitatem, qua me Deus per cariſſimæ conjugis perſonam affligit, quæ mortuam in terris vitam, & vivam mortem trahit, hoc quidquid eſt acerbitatis, quod certe eſt graviſſimum, æquo animo patior. Sed iſtud me inſolabiliter animi diſcruciat, quod in tanta copia ſummorum virorum qui me amicitia dignantur, ob minutas quaſdam rei pecuniariæ difficultates, & ob importunos flagitatores, quibus os obſtrui poſſet offa argentea, tamen miſere perit Baudius, & ille ſublimis animus, illa divinæ mentis particula, quæ ſupra res omnes humanas, ſupra cœlos & ſidera aſſurgit, cogitur ſeſe ſubmittere ſævienti fortunæ. Si capital admiſiſſem, (quod Deus omen avertat) ob quod exilii cauſa ſolum vertere coactus eſſem, aut è ſupplicio periculum impenderet: tamen certa me ſpes ſolaretur fore, ut præſidio amicorum in integrum reſtitui, aut ab acerbitate judiciorum per clementiam optimi noſtri Principis liberari poſſem. nunc tantum agitur de portiuncula ſplendentis luti, quod melius in viſceribus terræ delituiſſet, quam hominum vitijs tam crudelia pabula præberet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

& inſtrumentum eſſet ad perturbandam animi tranquillitatem. Quanquam nuper ſatis aperte partem miſeriarum indicavi, quibus ad ipſam hujus lucis uſuram deplorandam, & ad invocandam mortem detruderer, niſi me reverentia Numinis & voluntas ſummi Imperatoris à tali voto cohiberet: tamen ex intimo pectoris receſſu velim putes hanc emanare vocem, nimirum eſſe mihi prorſus pedum viam videndam, & exilio quærendam ſedem, ut aures liberem vocibus creditorum, qui pipulo me differunt, & lapides loquuntur quibus cerebrum mihi excutitur. Omnibus his incommodis obveniri poſſet una re, ſine cujuſquam onere, magno potius (ita plane confido) cum patriæ honore, ſi collega jungerer non ordinariis Profeſſoribus. non. quanquam iſtud jampridem fieri oportuit,

Si mihi quæ quondam fuerat, quamque eſſe decebat
Vis in amore foret, non hoc mihi namque negares.

cui igitur adjungi cupit Baudius? viro ſane alicui magnæ dignitatis credo, aut meriti, in quo te ſpecimen antiquæ virtutis, & heroëm aliquem ſeculo majorem intueri te putes. non enim dignaretur mens generoſa Baudii cum minore antagoniſta certamen cernere. Nihil horum eſt. Quid ergo reſtat? tute jam facile conjicis, etiam me tacente. dicam tamen, nec ſuſpenſum diutius tenebo. Baudius ambitioſis precibus optat fieri collega ejus quem Petrum Corneliſſonium non Brederodium, ſed Bockenbergium mortales perhibent. Vt nihil ſublatius de me dicam, conſule famam communem, & judicia omnium recte ſentientium, interroga ipſe conſcientiam tuam, & nonne fateberis hoc perinde eſſe, ac ſi Marco Catoni honos negaretur, & præturam Vatinio fæx Quiritium deferret? Interim hæc ſumma eſt voti mei, hic apex ſupremus dignitatis, ad quem ſi pervenero, jam nunc his literis tanquam per Syngrapham teſtor me tibi non amplius de ineptiis ordinariatus moleſtum fore. ſed interim confido, te pro tua prudentia conſideraturum, tametſi nihil petam, quid virtuti ac meritis eminentium virorum debeatur. Hoc enim ſpecimen eſt optimi ſtatus, quum præmia & honores non petentibus accreſcunt, & digni gratioſis præferuntur. Proximis comitiis niſi

ratio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ratio noſtri habeatur, publicum potius erit dedecus quam meum. Nam Dei virtute & optimæ mentis conſcientia, ſatis famam & præclari nominis auctoritatem tuebor etiam abſque titulorum inanibus. Malo largius inaurari, quam ad altiora ſubſellia extolli. Cæterum ut revertar ad collegium Bockenbergiadæ, quanquam alter jam annus fere ad umbilicum proceſſit, ex quo benignitas tua ſpem mihi fecit hujus muneris obtinendi; idque longe certius, poſtquam Magnus noſter Fiſco patronus eſt datus: tamen adjuro genium tuum, & fidem amicitiæ per Deum immortalem, per ſacra Muſarum & Palladis, per viſcera charitatis Chriſtianæ, ne pati velis me diutius languere deſiderio. Si totum Mylium excutias, ſi Atlanti libertatis noſtræ ſocero tuo ſignifices (nam à vobis duobus ſecundum Deum omnis mea ſpes pendet) ſi, inquam, bona fide tali viro, quo publica ſalus nititur, indicium feceris quam indignis modis tantus artifex peream, non dubito quin ſerio noſtri miſeriturus ſit, & finem impoſiturus tot malis. Sed feſtinandum eſt, alioqui cineri medicina dabitur. In hac ſpe deſino, & voveo tibi proſpera omnia, fortunamque diſſimillimam meæ. Vale. Dabam mœſtus XV. Kal. Mart. CIƆ IƆC IX.

Epistola II.

Hugoni Grotio Dominicus Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Iterum me domeſtica naufragia referunt ad eoſdem ſcopulos. Retinui tamen, & retinebo, ut ſpero, etiam in extremis malis, nedum in his curarum minutiis ἀγλώσσα θυμὸν, nec abjeci me in tam miſeras preces atque nuper, nec ullam vocem protuli minorem viro, aut cedentem calamitati.

στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με χὼ χρόνος ξυνὼν
μακρὸς διδάσκει, καὶ τὸ γενναῖον τρίτον.

Literas etiam ad illuſtriſſimum Principem mitto, quibus ſanare conor ſi quid hæſerit offenſæ, vel incommodæ ſuſpicionis ex noſtra Diſſertatiuncula ſuper induciis. Confido non futuram illi ingratam meam confeſſionis ingenuitatem, conjunctam tamen cum generoſa libertate. neque enim capital feciſſe videor, ſi ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

animi ſententia ſum locutus in atrio, ut ſic dicam, libertatis. Communicavit mecum noſter heros Heinſius literas, quas ad eum miſiſti poſtridie ejus diei quo apud vos fui. Veto te credere, tibi unquam eveniſſe ut prudentius judicares, & ornatius ſcriberes. Gratulor mihi meum judicium prorſus convenire cum tuo. Illud autem epiphonema per mihi lepidum & venuſtum eſt viſum, non aliam ſpem de tam inſigni juvene concipiendam fuiſſe, quam ut cum Ovidiano Poëta Ciceronianum oratorem conjungeret. Nuper ſtatim ut ſum à te digreſſus, conveni φέρτατον ἀνδρῶν, vel ſi mavis φῶτα ἄριστον vander Mylium. nunquam eo uſus ſum commodiore, ita me à vultu & ſermone ſuo dimiſit bonæ ſpei plenum, ut in eo videretur æmulari laudem amoris ac deliciarum generis humani, qui negabat oportere quenquam ab alloquio principis triſtem diſcedere. Quid multa? plane perſuaſit ut in animum inducam

Durare, & memet rebus ſervare ſecundis.

Cum non poſſumus quæ volumus, velle debemus quæ poſſumus. In hoc decreto finem faciam, & te plurimum ſalvere cum ſuaviſſima conjuge ac familia jubebo. Datum Lugduni Batavorum XXIII. Februarii CIↃ IↃCIX.

EPISTOLA III.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ADjunxi huic epiſtolæ literas ad ampliſſimum virum, ſocerum tuum, quem Atlantem Belgicæ libertatis jure ſoleo appellare, eas apertas ad te mitto, ut meditationi tuæ permittam, utrum tradendæ videantur nec ne. Vereor enim ne ſim ſupra modum importunus, ſed importunior eſt diva Penia,

— nec placidam membris dat cura quietem.

Olim trophæa Miltiadis excitabant è ſomno magnum illum Græciæ ducem Themiſtoclem, me dormire non ſinit

Menti bonæ fatale paupertas onus.

Tædet toties eandem inauſpicatam cantilenam canere.

ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſed qui dolent, non poſſunt quin querantur. *Eſt quædam*, ut ait Ovidius,

—— flere voluptas,
Sedatur lacrymis egeriturque dolor.

Mihi ſane non levis ſolatii loco eſt, quum in ſinum tuum fide & prudentia munitiſſimum curas & ſollicitudines meas effundo. nec tibi ingratum eſſe arbitror hanc ex amicitiæ fiducia libertatem. Scribo item ad illuſtriſſimum Principem Mauricium, & ad Secretarium ejus D. Milandrum, ut me purgem de ſiniſtris & odioſis ſuſpicionibus, quæ per malevolos aut imperitos homines de me ſparſæ ſunt, ob editionem Diſſertatiunculæ, quam utinam texiſſem æternis tenebris, aut eam prius tecum communicaſſem, quam in lucem exiret! In poſterum cautiores erimus, & quanquam vivimus in regno licentiæ, non utar tamen temere conceſſo jure libertatis. ſum enim eo fato natus, ut omnia fere quæ à noſtra manu prodeunt, in deteriorem partem rapiantur. Nolo veteres querelas renovare, nec præcipuam ſortem deſiderare debeo, vel communem recuſare. Illud in univerſum obtinet vitio humanæ malignitatis, ut nihil tam commode dicatur à viris alicujus famæ & exiſtimationis, quin læva interpretatione depravari poſſit. Si quid inſedit offenſionis in animo clementiſſimi Principis, id magis arbitror effectum artificio eorum qui ſponte diſſidium quærunt, aut quibus plane ignotus eſt candor & ingenuitas noſtra. Quid porro abſurdius eo genere hominum, qui me rumoribus diſtulerunt, quaſi redemptus eſſem pretio ab ampliſſimo Præſide & Legato Ianninio, ut ſcilicet inanes logos pro inſigni liberalitate rependerem, & ſuccenturiarer doctor umbraticus viro in ſummis rebus trito ac ſubacto? Saltem qui calumniari inſiſtunt, occultarent artem, & mendacium obvolverent aliquo veri colore. Nunc ita ſe prodit falſitas, ut nemo niſi prorſus excors & væſanus decipi poſſit. Interim quia ſpecie libertatis obtrectatio & livor facili credulitate excipitur, rogo te facias id diligenter quod tua ſponte facturus es, nimirum ne patiaris nos abſentes, inauditos, indefenſos male audire, nedum condemnari. Vale, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nos ama. Datum Lugduni Batavorum XXIII. Febr. cIↄ Iↄc IX.

EPISTOLA IV.

Iohanni Milandro Dominic. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

NIhil unquam mihi gravius & acerbius ad aures accidit, quam quod ex relatu amicorum fide digniſſimorum accepi eſſe quoſdam qui atrociſſimum de me rumorem ſparſerunt, quaſi Diſſertatiuncula quæ nuper in lucem exiit ſuper induciis belli Belgici, conſcripta eſſet à nobis ea mente ſeu amentia potius, ut illuſtriſſimo Principi adverſaremur. Id quod adeo abhorret à naturæ meæ genio, & à perpetua obſervantia, qua virtutes ejus heroicas colo venerorque, ut malim æterno ſilentio damnare infelicem ſtylum, quam quidquam mandare chartis, quod eum vel minima ſuſpicione offenſæ perſtringat. Quod ſi per imprudentiam factum eſt, ut à recte ſuadendo mens aberravit, quandoquidem pleraque τῶν καθ' ἕκαστα me latent, circa quorum cognitionem recti conſilii norma gubernari non poteſt: ſaltem nihil feciſſe arbitror præter officium boni civis, ſi in regno ac domicilio libertatis, quæ ſub ejus præſidio ſecura conquieſcit, auſus ſum uti felicitate temporum, quibus & ſentire quæ velis, & quæ ſentias fidenter effari liceat. Quanquam enim nullum mihi ſententiæ dicendæ jus eſt in Ampliſſimorum Ordinum conſeſſu, tamen verſor in ea navi quæ periclitatur, & verſor non tanquam remex, aut qui ſentinam exhaurit, ſed perſonam tuemur haud infimæ dignationis. quippe quum à manu noſtra & diſciplina prodeant, qui educantur in eam ſpem, ut aliquando pro parte ſua vel reipubl. clavum teneant, vel moderandæ religioni præeſſe poſſint. Cæterum ſi quid eſt quod ullo pacto læſerit animum tanti Principis, cui vix hodie ullus eſt ſub ſole qui fortitudine militari & rerum geſtarum gloria comparari debeat: teſtor profiteorque me paratum eſſe quibuſcunque volet modis culpam expiare, ut qui etiam decorum atque honeſtum putarem, ſi pro ejus dignitate vitam ac ſpiritum profunderem. De meo bonarum partium ſtudio, & quam

quam affectu propenſus ſim ad propugnandam cauſam publicæ libertatis, pro me loquentur apud poſteros ingenii monumenta, quibus tanquam obſidibus fidem meam pro patria devovi, & omnem mihi ſpem ac voluntatem reconciliationis cum adverſariis ultro ademi. Eſt aliud genus obtrectatorum qui mihi argyranginam objectant, & calamum noſtrum liberalitate viri illuſtris & ampliſſimi Galliarum Legati Ianninii conductum eſſe criminantur. Qui ſi probe noſſent aut ejus regiam magnificentiam, aut meum in rebus anguſtis ingentem animum, nunquam tam futiles calumnias magnatum auribus inſuſurrarent. Mirum quin dicant etiam, τῷ μακαρίτῃ Ioſepho Scaligero heroi, fuiſſe ab eodem oblatos mille aureos in eum finem, ut mercenariam induſtriam locaret, ſed quia per adverſam valetudinem ſcriptioni incumbere non poterat, ideo mihi tanquam Herculi decumanam partem fuiſſe conceſſam, ut huic ſcilicet Atlanti feſſo ſubvenirem. Quam porro credibile eſt, virum in maximis rebus exercitatiſſimum & longo uſu ſubactum, ab Academico doctore ſubſidiariam operam expetiiſſe,

Ad quem vix tenuis famæ perlabitur aura?

Equidem fateor me eſſe in re admodum tenui, quod potius publicæ ingratitudinis crimen eſt, quam meum privatum dedecus: ſed nunquam patiar, quamdiu mihi mens ſana erit, tantum apud me valere τὴν πενίαν ἢ δωροδοκίαν ὥστε τι παρὰ τὴν γνώμην ἢ λέγειν ἢ πράττειν βούλεσθαι. Vtinam vel ipſi optimo Principi, vel tibi ab opibus optime fundato eam generoſam mentem Deus inſpiraret, ut ope ſubſidioque veſtro non inaurarer (nam & animus meus modico contentus eſt, & fatum meum non videtur capax magni ſplendoris ac divitiarum) ſed onere pecuniariæ difficultatis liberari poſſem! qua moleſtia ſic maceror, ut defæcato animo non ſit integrum tractare ſtudia Muſarum, & invigilare curis quæ pertineant ad propagandam ſæculi gloriam, & aſſerendam literarum dignitatem. Nec hæreditatem poſtulo ſine ſacris, aut (ut loquuntur Canoniſtæ) beneficium ſine cura: ſed ſi mihi dono divûm ea felicitas eveniret, ut amoliri poſſem moleſtiſſimum flagitatorum genus, excitarem quidquid in nobis eſt curæ, diligentiæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

gentiæ, contentionis atque induſtriæ, ut me interprete res ab illuſtriſſimo noſtro Principe & à parente ejus geſtas omnium poſterorum fama celebraret. Quanquam non imminet iis periculum ab oblivione, tamen nulla præſtabilior opera, nullum munus impenſiori ſtudio fovendum eſt, quam Hiſtoricorum, ne facta, quibus immortalitas debetur, ſenſim ab ævo conſumantur. Alexandri magni voto nihil in ſumma fortuna defuit, præter Homeri ingenium ſine exemplo maximum, & eo nomine felicem prædicat Achillem, quod talem laudum ſuarum præconem habere meruerit. Equidem non ſum frontis adeo perfrictæ, ut me cum tali heroë conferre auſim, ſed tamen illud ſemper ſpe & votis complexus ſum, ut captus eſt noſter,

αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Quod ſi Princeps opera noſtra uti dignabitur ad conſecrandas ſempiternæ memoriæ præclaras ejus virtutes, confido futurum, ut nec eum delati muneris, nec me ſuſcepti, nec te benignitatis unquam pœniteat. Tantundem liberalitatis, quantum ab illuſtri Præſide Iannio conſequutus ſum, magna ex parte mederi poſſet difficultatibus & incommodis quibus hoc tempore circumvenior. ** Iampridem facta eſt mihi à generoſo viro vander Mylio non tantum ſpes, ſed fiducia obtinendi munus Hiſtoriographi Ampliſſ. Ordinum cum liberali honorario: nec aliud adfert moram, quam quod lenta iſta deliberatio περὶ τῆς εἰρήνης, ἢ τοῦ πολέμου, ἢ τῆς ἐκεχειρίας, tenet mentes publici conſilii ſuſpenſas curis gravioribus, quam ut aliquid de Hiſtoriarum ſcriptore decernatur. Interim patitur juſtus, & capitur Saguntus dum Romanus ſedendo tempus terit. Vale, vir eximie, καὶ τὴν ἡμετέραν παῤῥησίαν εὐμενῶς δέχου. Datum Lugduni Batavorum XXIII. Febr. CIↃ IↃC IX.

Quæ haſce literas tibi tradet, eſt privigna mea, cui tuto concredere potes ſi quid me ſcire voles. quas autem ad illuſtriſſimum Principem ſcripſi, rogo ut illuſtri tuo favore complecti velis. Non erit, opinor, illi ingrata mea ingenuitas. Si ſtylo quid offendi, poterit eodem culpa reparari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA V.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVanquam nihil te dici poteſt humanius, & ſoles boni conſulere noſtram in ſcribendo aſſiduitatem : tamen ingenuo pudore ſuffundor, quod toties eandem cantilenam auribus tuis occinam de ſupplendo collegio Tragoræ, qui tam precioſe ſilet, ne vox ejus ſeculo ludibrium debeat. Sane magis è publica dignitate eſt accipere eum ut taceat, quam ut laborioſe ineptiat. nec ego illi quidquid hujus eſt commodi invideo. ſed ſi ampliſſimis Ordinibus libet animi oblectandi gratia fatuum hominem honorario proſequi, non videor impudenter ſperare futurum ut noſtri ratio habeatur, præſertim quum te habeam & approbatorem conſilii, & petitionis ſuffragatorem. Sed flagitantium importunitas efficit me moroſiorem, quam naturæ meæ genius, & amicitiæ tuæ reverentia patiatur. Aſſidue enim obtundor à moleſtis creditoribus, quorum nomina rejicio in ſpem obtinendi ejus muneris : ſed tamdiu lactati ſunt hoc palpo, ut ulterius produci non poſſint. interim vehementer vereor, niſi quid ea de re ſtatuatur ante diſceſſum præcipui Mecœnatis, ſoceri tui, quem conſtans rumor eſt cum potentiſſimis Ordin. columinibus propediem profecturum Bergas, ad expediendam lentam illam materiem induciarum : vereor, inquam, ne in multos menſes negotium noſtrum proteletur. Tu tamen pro cætera tua prudentia diſpicies quid factu optimum eſſe videatur, & utilitati potius noſtræ quam cupiditati morem geres. De Ordinariatu,quanquam pene conceptis verbis ex ſyngrapha memet obſtrinxi, ne ea de re tibi moleſtiam exhiberem : tamen confido te, quæ tua eſt æquitas,tanto impenſius cogitaturum quid meritis ac virtuti præſtantium virorum largiendum eſſe videatur. Quod ſi proximis comitiis dederis operam ut Chiliaſtarum numero adſcribar, efficiam omni cura, diligentia & induſtria, ne te unquam benignitatis tuæ pœnitere poſſit. Multis collegarum aucta ſunt ſtipendia, quo nomine illis gratulor, non invideo.

ſane omnes videntur quaſi facto agmine concurriſſe ad cernendam hæreditatem & legenda ſpolia maximi virorum Ioſephi Scaligeri. ſi memoria defuncti, & obſervantia qua vivum colui, ſummus amor quo me dignatus eſt, gratiam & favorem conciliare debent cuiquam, nemo fuit cujus cauſam commendatiorem eſſe oportuit, ut ad ingentem luctum, quo ſum affectus ex ejus obitu, hoc exigui lucelli ſolatiolum adſpergeretur. Ego mihi ex veritatis conſcientia hanc laudem citra arrogantiam meo jure vindicare poſſum, quod & primus auctor exſtiterim ad eum è Galliis eliciendum, & ſuaſor atque impulſor ut ſe exorari pateretur. Sed hæc hactenus. Vale, & vive noſtri memor, qui te colemus in æternum. Datum Lugd. Batav. v. Martii cIↃ IↃC IX.

EPISTOLA VI.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

NEmini bono & erudito juveni, quem huc elicit ſecunda fama noſtri Lycei, & ingenii excolendi ſtudium, ignota eſſe poteſt mea ſingularis erga te obſervantia, tuuſque intimus erga me favor, quem ego theſaurum præ omni patrimonio pretioſum duco. Sed facilitas naturæ meæ ſæpe mihi imponit honeſtam neceſſitudinem, ut aut in ſermone coram, aut per literas abſens humanitati tuæ conciliem ingenuos adoleſcentes, quorum juſtis precibus nihil negare poſſum: ne videar, ut cum Horatio loquar,

Diſſimulator opis propriæ, mihi commodus uni.

Ex hac nota eſt is qui haſce literas tibi reddet. Si tituli ad momentum commendationis aliquid adferunt, ornatus eſt honore Magiſtri, & Poëtæ laureati. Recens edidit in lucem opuſculum Aſtronomicum, quod inſcripſit nomini illuſtriſſimorum Ordinum. Rogavit me obnixe ut ſe ſocero tuo, Atlanti noſtræ Reipub. inſinuarem. ſed pudenter hoc oneris deprecatus ſum, ut ſummi viri gratiam majoribus auſpiciis integram reſervarem. neque enim promiſcuis commiſſionibus vulgari debet hic honos. Vtinam tandem de collega Tragoræ adjungendo quippiam decernatur! Intellexi

heſterna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

heſterna die ex ſermone noſtri Heinſii herois, habitam eſſe Baudii rationem in ſupplemento peculii. quo nomine plurimum me Collegio Curatorum, inprimis autem benevolentiæ tuæ debere confiteor. ſed ſi eadem opera in ordinem redactus eſſem, nulla ex parte beneficium claudicaret. niſi forte honorificentius eſt quod extra ordinem nobis ob ſedulam in publico munere obeundo curam ac diligentiam præmium ſit decretum, quam ſi adſcriptus eſſem manipulo Ordinariorum. Mihi quidem judicia bonorum & optimæ voluntatis conſcientia potior eſt omni prærogativa ſententiæ dicendæ. tamen aliquid dandum eſt famæ, & publico hominum errori. Quid quod perabſurdum videtur, collegam dici ſine jure ſuffragii, Senatorem ſine conſilio? quaſi tu Neptunum dicas ſine tridenti, Phœbum ſine laurea, Mercurium ſine caduceo. Sed de his erit alias plura dicendi locus. quanquam enim per obſignatas tabellas fidem meam quaſi conceptis verbis devinxi, me amplius de talibus nugis tibi aut collegis moleſtum non futurum: haud gravate mihi hujus pollicitationis gratiam facies, cum ex juris præſcripto pacta, quæ lædunt famam & exiſtimationem, quæque contra bonos mores fiunt, ſervare non oporteat. Plura non addam, niſi ut nos tui obſervantiſſimos amare perſeveres. Datum Lugduni Batavorum XIII. Maji cIↄ Iↄc IX.

Epistola VII.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Etiam in rebus anguſtis regios ſpiritus gero. & quia vulgatum eſt nimis uti opera virorum ad munus legati obeundum, placuit ſequiorem ſexum deligere, cui literas ad optimum Semonem perferendas dedi, in quibus & honorifica tui mentio fit, & omnia pene argumenta conquiſita ſunt, ut intelligat pertinere ad populi ſalutem, ad majeſtatem magni Regis, ad ſummam legationis, nedum ad literarum dignitatem, & ad ſeculi gloriam, nos ære alieno tandem liberari: meaſque literas vim habituras ſyngraphæ, ſi unquam veniant in manus ejus

Bina

Bina Calcedoniæ qui junxit ſceptra coronæ.

Servaſſe tamen mihi videor, certe ſum conatus ea moderationem, ne quid vel elate nimis, & arrogante vel contra, parum viriliter & generoſe chartis com mitterem, unde venirem in dubium de bono nomin & veſtra magnifica de me judicia dedecorarem. Qua quam enim graviſſime ſum ab infelicitate fati mult tus, & plurimis jactor incommodis, ut multa face cogar præter animi ſententiam, quorum ipſe pœniten tiam ago, ſed, cum crudeli Medea, deteriora ſequo tamen dum mihi ſanum erit ſinciput, tuebor ſtatione hominis nec ſæculo pœnitendi, nec animo dejectiſſ mi. Feciſſem forte prudentius ſi epiſtolam aperta ad te miſiſſem, ut arbitratu tuo vel tenebris damnare tur, ne floris cacumen dignitatis noſtræ frangeret, v traderetur αὐτῷ τῷ θηρίῳ. Sed veritus ſum ne qua mo ra interponeretur, animo autem cupienti & neceſſitat bus circumvento nihil ſatis feſtinatur. Scripſi etia ad D. *, ὁσίας χάριν, ne ſe præteritum doleret, qua ſcilicet vehementer ipſius interſit in partem honor venire ut Baudii * expediantur. Scripſi, inquam, bre viter, & remiſſive, ut loquuntur Pragmatici. Ab utro que obnixe peto, ut ſi impudens deſiderium noſtrum videatur, ſola repulſæ vindicta contenti eſſe velint, ne meas ineptias in vulgus efferant. Sin facturi ſunt quo cupio,

Tunc ego per populos qua ſol oriturque caditque.

Sed nunc non eſt animus aut otium verſificandi, præ ſertim quum adhuc per fatalem negligentiam mea errent inulti manes herois noſtri Scaligeri. Tu & Hein ſius noſter tam admirabiliter & divinum in morem functi eſtis officio, ut manus horream admovere cala mo. σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα. Valde te rogo, ut ſuppa ro ſacri ſilentii velata ſint quæ facio parum decore, ne quiſquam mortalium opera tua reſciſcat hoc horribil ſecretum, utique tantiſper

Dum curæ ambiguæ, dum ſpes incerta futuri.

Vale, ô & præſidium & dulce decus meum. Daban curis oppreſſus, ſed lætitiæ propior dum tecum fabu lor, VI Iunii CIↃ IↃC IX.

EPI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Epistola VIII.

D. Iohanni Druſio Dom. Baudius S. P. D.

ETſi nihil facio æque invitus, Druſi doctiſ. ac cum litteris exarandis operam do, ejus præſertim generis quæ nihil continent præter ſalutationis officium, aut priſtinæ benevolentiæ teſtimonium, tamen cum id officii genus ſolenne ſit inter amicos melioris notæ, ut abſentiæ tædium, litterarum quaſi affatu, & colloquio ſolentur. cumque inter nos tanta neceſſitudinis arctiſſimæ jura interceſſerint, gravi ſcelere me aſtringam, & quem omnes oderint, dignus ſim, ſi hac in re diligentiam noſtram deſideres: ὡς δὲ ἔπος εἰπεῖν, πολλὰς μὲν μάλιστα βεβαίας συνηθείας ἡ σιγὴ κατέλυσε, πολλάκι δὲ τὰς ἐκ σμικρᾶς ἀρχῆς ὑπαρχέσας τὸ συνεχὲς πέμπειν πρὸς ἀλλήλους ἐπιστολὰς, ἐς ἔσχατον εὐνοίας ἐπήγαγεν. Sed de his tantum eſt: De iis, quæ ad me ſpectant, ſic habeto. Genevam veni pridie Id. Iulias redditurus hic operas intermiſſas ſtudiis, atque idem facturus, quod ſolent viatores, qui cum aut vino largius hauſto ſepulti, aut laſſitudine confecti, ſomnum in multam lucem protraxerunt, excitati mox iter aggrediuntur, moræ jacturam feſtinatione penſantes: jam enim reminiſcor non ſine animi dolore, tot dierum, quos ſine linea paſſus ſum quam ſæpiſſime effluere. ad litteras Hebraicas animum denuo appuli. Faxit Deus Opt. Max. ut non irrito conatu. Intercludor temporis anguſtia, ne pluribus verbis ad te ſcribam, unum illud obnixè à te peto, ut nos in tuorum numero habeas, noſtrique memoriam tuis in precibus aliquando uſurpes. Vale. Datum Genevæ anno cIↄ Iↄc xix. Kalend. Septemb.

Salutabis meo nomine D. Iuſtinum, Buſium, & D. Gaſparum.

Tui ſtudioſiſſimus Dominicus Baudius.

Epistola IX.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

IS qui haſce literas tibi reddet, precibus mecum egit ut ſe tibi commendarem. quod facio ex animo,

mo, teque vehementer rogo, ut, quod commodo tu
fiat, gratiam tuam ei impartiri ne graveris. Heſtern
die fui cum lectiſſimo juvenum pari Grotio & Hein
ſio, multuſque non ſine honore ſermo de eximiis in
genii tui dotibus ultro citroque habitus eſt. Significa
vit nobis Heinſius, te graviſſimo domeſticæ calamita
tis vulnere afflictum eſſe ex obitu filiæ unicæ. Mærc
tuus me animi angit ob ſummam benevolentiam qu
te complector. Non eſt mihi in præſentia decretur
ea proponere quæ faciunt ad leniendam ægritudinem
Scio enim pectus tuum iis eſſe abunde inſtructum
quod ſi aliquam voluptatis ſpem tibi adferet hoc nun
cium, ſcito me & Heinſium heroëm cis paucos dies a
te eſſe ituros, ut familiari colloquio ſublevare poſſimu
curam & ſollicitudinem,

Quæ nunc te coquit & verſat ſub pectore fixa.

Tuningius erat etiam heri nobiſcum, qui ambitioſe m
oravit, ut ſedulo cauſam ſuam apud te agerem, quo
ſic ex abrupto à te diſceſſit. ego vero reſpondi qua
rendum eſſe illi alium oratorem, me tam abſurdæ cau
ſæ advocationem nolle ſuſcipere. Tamen rogo te u
homini ignoſcas: intelligit ſe largiter peccaſſe, & v
eſt ab omni fuco alienus ad exemplum antiquæ ſimpl
citatis. Vale vir clariſſime, & nos ama. Datum Lugd
Batav. poſtridie Kal. Sextil. cIↃ IↃc IX.

EPISTOLA X.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavun

NEgligentia largiter à me peccatum eſſe fateo
vir amiciſſime, quod ex quo tempore à vob
diſceſſi, nihil literarum ad te miſerim. Cauſa
plures dic s gratia poſſem allegare, ſed nihil eo eſt opu
apud tam candidum & ſincerum pectus. Inertiæ occa
ſionem attulit exſpectatio adventus tui una cum Hein
ſio noſtro, cujus jam ſpes, ut cum Plauto loquar, deco
lavit, prout eſt anni tempus. Fama, quæ de magn
viris nihil latere patitur, proculdubio vobis indiciun
fecit ampliſſimum Præſidem D. Richardotum grav
ter ex morbo laborare apud Atrebates. quam ego for
tunam vehementer doleo tum publico nomine, tur

præc

præcipue meo. Siquidem illius ergo potiſſimum huc veni. ſed ſpero futurum ut valetudinem ejus in ſolido locent propitia Belgis numina. Reverendus Decanus etiam cupide vos exſpectavit, & nos excepit omni genere humanitatis. Fui per triduum Lovanii, & inde huc ſum reverſus una cum humaniſſimo Puteano, & inſigni viro Carolo Molinæo præſide rationum. Sereniſſimus Princeps à pedibus æger eſſe dicitur, ita ut per biduum non interfuerit ſacris, nec ejus videndi hactenus poteſtas fuit. Non committam tamen quin ipſius Celſitudinem ſalutem antequam ad Batavos revertar. Plura non addo, niſi ut nos ames, & ſalveas cum tota familia. Datum Bruxellis III. Septembr. cIↄ Iↄc IX.

Epistola XI.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

HÆc ſcribo feſtinabundus ad noſtros Batavos, à quibus opinione diutius abfui, blanda vi coactus ab humanitate præſtantium virorum, quibus quod innotuerim grande ſuſcepti itineris pretium puto. habent omnino hæc loca aliquid ἑλκυϛικὸν, ut ægre mentes honeſtæ inde avelli poſſint. Sed non erimus feræ beſtiæ, ut redeundi animum amittamus. Tu ſupra omnes amore & amœnitate ingenii emines. verum non eſt mihi nunc decretum laudes tuas verbis implere. Nuper dum propero, ſum oblitus tradere privigno literas & documenta, quæ faciunt ad cauſam tugurioli iſtius quod apud vos habemus. Ea dedi huic nuncio, qui ſe fideliter perlaturum pollicitus eſt. Quanquam hæc levia ſunt infra dignitatem tuarum curarum, tamen rogo, ut interdum aliquid vacui temporis huic quoque rei impartiri digneris. Mutuum libenter faciam, ubi jure tuo uti voles. Ignoſce feſtinationi & incuriæ ſcriptionis. alias dabitur opera ut ſimus diligentiores. Vale cum tota familia, & nos amare perſevera. Datum Bruxellis VIII. Septembris cIↄ Iↄc IX.

Epi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XII.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

HVmanitatis & hoſpitalitatis tuæ grata recordatio vivet in animo,

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Atque utinam alio munere quam literarum officio, & gratiarum actione defungi poſſem, ut ſcires me ingenti beneficio non imparem videri. Sed nec generoſa tua liberalitatis indoles requirit mutuum redhoſtimentum, nec mea ſors præbet ejuſce rei copioſam facultatem, niſi abunde gratiam relatam fore interpretaberis, ſi meritorum tuorum gloriam memori mente conſervavero. quod ni fecero, cauſæ nihil dico quin expungar ex albo honeſtorum hominum, judicerque reus ſummæ ingratitudinis, quo genere mortalium terra nihil pejus creat. Sed quoniam ſanctæ neceſſitudinis vinculum, quod mihi tecum intercedere pateris, non eſt æſtimandum ritu & modo vulgarium amicitiarum, ſegregabo proletarium ſermonem, & uno verbo dicam me vel Solduriorum lege tuum ſemper futurum. Quum ad vos profectura eſſet hæc tabellaria, qua cum mihi vetus eſt, ſed incolumi pudore, familiaritas, exiſtimavi me recte & ordine facturum, ſi cauſam ejus æquitati tuæ commendarem. Sed hac lege, ſi juſtæ videbuntur ejus preces, & ne meus antiquus ſtudiorum commilito * intelligat me per literas ea de re tecum egiſſe. quanquam fas & æquum præponderare debet omnibus propinquorum atque amicorum rationibus. Verum nolim tantum mihi juris ſumere, ut te, quem merito plurimum obſervo, cupiam ob alienæ perſonæ gratiam incurrere in offenſam hominis conjunctiſſimi. Quod tamen ſine incommodo tuo fiat, & egenæ & non injuſta roganti adeſſe non dedignaberis. De domuncula noſtra, ſi quid ſpei ſit reliquum, facies me, niſi moleſtum eſt, verbo certiorem. Heinſius noſter tuo nomine mihi retulit non liquere de ullo decreto, nec ſi intervenerit jure factum videri. Si nec fiſco addicta, nec ob cauſam non ſolutorum redituum per decretum legitimo more

celebra-

celebratum alienata fuit, res eſt in ſalutis vado. Facile impetrabo à ſereniſſimo Principe videndi poteſtatem. Sum enim ab ejus clementia perbenigne auditus, & tam humanis verbis exceptus, ut nihil dici poſſit humanius:

Quæ mihi ſemper erunt imis infixa medullis,
Perpetuuſque animi debitor hujus ero.

In hoc felici omine finiam, teque cum tota familia, cumque privignis ſalvere, & bene rem gerere, Deum ex animo venerabor. Datum Lugduni Batavorum XVIII. Octobris cIɔ Iɔc IX.

EPISTOLA XIII.

Clariſſimo viro & Integerrimo Senatori D. Iacobo Gillotio Dominicus Baudius S. D.

DEſunt mihi verba, Vir eximie, quibus deprecari queam ſuperioris ſilentii ignaviam, qua meritum eſſe me fateor, ut omni amicitia tua deciderem. At tu morantem & officii deſertorem tanto impenſius diligis. Quid cauſæ dicam in tam ſupina negligentia? Manifeſto teneor miſer, niſi ad aram tuæ benignitatis confugiam, ut præteritorum fidelem καὶ ἄδηλον ἀμνηστίαν conſequar, ſed ſub hac lege & conditione rigidis ſanctionibus in poſterum obſervanda, ne quid unquam tale quidquam admittam, verum ut quod per inertiam ceſſatum eſt, id ſuccedanea diligentia reſarciatur. Hoc juris volens in me ſtatuo, nec recuſo quin deperdam opinionem & famam honeſti hominis, niſi pactis manſero. Si tamen æquitas tua non faſtidit admittere aliquam facti excuſationem, poſſum liquido jurare non eſſe tribuendum ingrati animi vitio quod hactenus fuerim tam parcus & infrequens in opera ſcribendi, quaſi non ſatis intelligerem quantum tali viro deberem quod me benevolentia ſua complecti dignaretur. Sed fatalis quædam inertia fuit, cui acceſſerunt domeſticæ calamitates, quibus per aliquot jam menſes ita graviter afflictor, ut vix mentem componere queam ad ullam inſigni viro dignam cogitationem. Vt cætera taceam quæ cerebrum excutere poſſint homini etiam maxime cordato, uxor mea quæ ſolebat olim tam expedite loqui Gallicum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

& Belgicum ſermonem ut pro captu ſexus inter ſingularis exempli fœminas eo nomine cenſeretur, nunc vix ipſa ſuum nomen efferre poteſt. Tum autem pene jam annus eſt ex quo pedibus inſiſtere nequit. Animi tamen mentem integram & ſinceram retinet, niſi ipſemet deliro. *Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?* Non ideo talia inculco quod tua quidquam interſit noſſe quibus miſeriis conflictetur Baudius, ſed mea intereſt nequid ſequius opineris de propenſiſſimo meo erga te affectu. Major quædam vis, non bonæ mentis deliquium effecit ut parum caverim, ſed erranti medicina ſalutaris erit mutatione conſilii. Hoc nunc tantum edico nec alio ſpectat hæc ſcriptio, niſi ut veniam ante offenſarum obtineam. De præſtantiſſimo Viro D. Rapinio ſatis intelligo & quantus fuerit, & quid honori ejus debeatur, & quid à me peculiariter præſtandum ſit, ut manibus ſummi hominis ex parte noſtra parentetur. Sed hoc officium patietur humanitas tua in aliud tempus omitti. Quam ſim jampridem animo parum idoneo ad has Muſarum amœnitates exponendas, hinc judicium facere potes quod nullum carmen contribuerim ad cohoneſtandum funus maximi virorum Ioſephi Scaligeri. Spero tamen in manus tuas perveniſſe orationem proſam quam publice habui poſtridie exequiarum. Nihil jacturæ facis ſi eam nondum videris. Neque enim mihi minus unquam ſatisfeci. etſi placui auditoribus niſi fama nobis imponit. Habes hic adjunctam Vmbratici Doctoris & Illuſtriſſimi Principis effigiem; Druſii nec vidi nec puto exſtare, tamen diligentius inquiram. Vale Vir Clariſſime & nos ama. Datum Lugduni Batavor. VI. Kal. Octobris CIƆ IƆC IX. Tuæ dignitatis obſervantiſſimus Baudius.

EPISTOLA XIV.

Cornelio vander Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

EX conſilii tui ſententia, cujus voluntas mihi inſtar legis eſt, effeci ut intelligeret Grotius non tantum me haud deſtitiſſe à petitione muneris Hiſtorici potentiſſimorum Ordinum, ſed è contrario certam

certam obtinendi ſpem concepiſſe, partim favoris tui fiducia ſubnixum, partim quod ſine injuria, certe niſi cum honoris noſtri imminutione non poteſt alteri quam defuncti Merulæ ſucceſſori Sparta hæc exornanda mandari. Præcipue vero (cur enim bona noſtra non norimus, aut ea publico non applicemus bono?) quia nemo vivit ſub ditione atque imperio Illuſtriſſimorum Ordinum, qui majore animo & feliciore ſucceſſu rem eam effectum dare poſſit. Itaque humanitatis tuæ genium adjuro atque obteſtor per Deum immortalem, per fas Chriſtianæ charitatis, per vinculum ſanctæ fidei, & quidquid apud gentes venerandum atque antiquum habetur, impone tandem optatum finem diuturnæ exſpectationi, neu me patere longius verſari inter ſacrum & ſaxum ſub ictu creditorum, qui meas aures aſſidue moleſtis vocibus circumſonant, ut defæcato animo ſtudia doctrinæ tractare nequeam. Lentus & miſerandus ille languor, qui me chariſſima conjuge orbavit, idem me ſumtibus exinanivit, ut triennali frugalitate non poſſim explere lacunas æris alieni, niſi adventitium aliquod lucrum dexter Mercurius obtulerit. Is tu eſſe potes, ſi ſerio totum vander Mylium heroëm in gratiam ſummi tui cultoris impendere dignatus fueris. Recte dicebas nuper, nihil aliud poſſe locare in ſolido, & ad portum bonæ ſpei appellere quaſſatam ratem Baudii, quam opimum aliquod conjugium. ſed procax iſtud genus divitum ac fortunatarum mulierum ſpernit viros fama meritiſque celebres, niſi cenſu quoque cenſeantur. Quod ſi tua forti fidelique opera noſtris rationibus hæc acceſſio honoris atque emolumenti facta fuerit, enitar totis viribus ut nulla res & patriæ majori ornamento, & tibi ſolidiori gaudio futura ſit. Sed plane mature facto opus eſt, alioqui cura & ægritudine contabeſcam miſer, aut præceps conſilium ſequi cogar à neceſſitate, quæ legem & rationem omnem frangit infirmatque. Ab urbe Gandavo literas accepi, quibus ſignificatur optimam eſſe ſpem recuperandi laris materni, ſed, ut loquar cum Plauto,

Manus noſtræ oculatæ ſunt, credunt quod vident.

Si quid iſthinc obvenerit, id omne in lucro deputabi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tur. Vale decus & præſidium meum. Datum Lugduni Batavorum x. Martii CIↃ IↃC x.

EPISTOLA XV.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HEſterna die multus mihi ſermo fuit cum collega recens Haga reverſo, non ſine libera indignatione, quod ex relatu amiciſſimorum hominum intellexiſſem, eum dictitare, nihil eſſe cauſæ cur amplius lacter inani ſpe de obtinendo munere Hiſtorici potentiſſimorum Ordinum. jam enim Meurſium familiarem veſtrum (ſcis quem hoc elogio deſignem) eſſe in poſſeſſione iſtius Spartæ. idque accidiſſe mea potiſſimum culpa, quod rationem petitionis meæ ſecum non communicaſſem. quaſi ſcilicet unus ille ſit promus & condus talium officiorum, à cujus nutu & arbitratu mentes publici conſilii pendeant. Dixi quod ingenuitate naturæ meæ dignum erat, hanc mihi fuiſſe cauſam non communicandi ſecum conſilii, quod nullas in ea re ſuffragii partes obtineret, & ſatis mihi præſidii foret in tua unius fide ac benevolentia. qua fretus certam animo fiduciam concepiſſem, non alii ceſſuram iſtam provinciam quam nobis; & recte atque ordine facturos, ſi qui ſunt competitores, ſi ab irrita contentione deſtiterint. Nam ſi ea ſpes me fruſtrata fuerit, omnino cogar à præſenti neceſſitate conſilium præceps mutuari, quod mihi refrigerato ardore per otium diſplicebit, aut forte dicam cum Themiſtocle, *Perieram, niſi periiſſem.* Quævis vivendi conditio potior eſt homini generoſæ indolis, & ad res altas genito, quam aſſidue divexari ſollicitudinibus, haud magni quidem pretii, ſed quæ ſublimes animos de tranquillitatis ſede dejiciunt, ut nihil æternitate dignum meditari queant. Vota mea non ſunt ambitioſa, nec ſupra ſpem mediocrium virorum. Illud unum precibus paciſcor, ut quod reliquum vitæ fata Deuſque adjicient, minimo cum ſtrepitu nec ſine bonorum gratia & approbatione extra importunæ paupertatis aleam poſſim traducere: ut quandocumque ex rebus humanis conceſſero, poſteritas famam nominis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nis noſtri grata recordatione proſequi non dedignetur. Huc ſecundum animæ ſalutem dirigitur ſcopus mearum cogitationum. Nam ut me fortunæ rivus inauret, nec avide nimis deſidero, & fatum meum magis videtur eſſe capax magnæ gloriæ quam opulentitatis. Interim ſi poſſem in naſſam matrimonii illicere fœmininum aliquod opime dotatum (agnoſcis heic facundiam ſupplementi chronicorum) non aſpernarer dona deorum. Sed ad eam ſpem aſpirare non audeo, quamdiu mihi certamen erit cum hydra moleſtorum flagitatorum; atque adeo (ut nihil diſſimulem) niſi ante tuum in Galliam diſceſſum conſit, quod tamdiu te rogo atque obteſtor, prorſus animum deſpondeo, nec erit ullus uſus feræ nimis & intempeſtivæ medicinæ. Scio, & in memoria habeo quæ dici ſolent de captandis occaſionum momentis & temporum oportunitatibus, ſed interim expectando conficior miſer: capitis nives me propinquæ mortis admonent, ætas labitur, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, agendi tempora cunctando conſumuntur. Sentio etiam magno cum dolore, neque enim mihi cornea eſt fibra, quam perexigua noſtri ratio habeatur. Adhuc inter extraordinarios accenſeor, non ſine publicæ ingratitudinis exprobratione, & ſuffragii jura nondum habeo inter eos qui nec ætate, nec doctrinæ inſignibus, nec fama aut meritis ſunt ullo pacto nobiſcum comparandi. Quid, quod tam illiberaliter deducitur de honorario? Sed finem imponam & epiſtolæ, & querelis, quas dolor, haud voluntas expreſſit. Vale. Datum Lugd. Bat. XVII. Martii CIↃ IↃC X.

EPISTOLA XVI.

Hugoni Grotio Dominicus Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

IS qui haſce literas tibi reddet, meus popularis εὔχεται εἶναι. ſaltem Wallonica tellus *generis cunabula noſtri* eduxit illum εἰς φάος ἠελίοιο. Permagni ſcilicet refert, id horribile arcanum à Fiſci-patrono non ignorari: ſed quod ad rem magis attinet, multos annos factum eſt, poſtquam avunculus ejus opimo ſane legato Gallicas Eccleſias locupletavit, ea lege ut ex annuo proventu tres alumni in ſpem miniſterii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

educarentur. Ea voluntas perperam mendoſeque neglecta fuit ab ordine Eccleſiaſtico ; qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat. Nolim totum unctorum gregem imperitiæ vel injuſtitiæ nomine ſuſpectum haberi, ἀλλ' ἀγροῖκός εἰμι, verum didici fabularier, & ſcapham appellare ſcapham. Lis coram ſupremo Senatu diſceptatur, & publicæ utilitatis, cui te contumaciter adeſſe decet, intereſſe arbitror, ut cauſam noris. Lar noſter eſt advocatus huic literarum portitori, agnoſcis Sidoneitatem, qui ſe immortali beneficio humanitati tuæ devinctum iri profitebitur, ſi eum vel tralatitia parte favoris, & humano alloquio fueris dignatus. Vale, & ignoſce παῤῥησιαστῇ. Dabam feſtina manu XXIV. Martii CIϽ IϽC X.

EPISTOLA XVII.

Humaniſſimo Viro & Integerrimo Senatori Iacobo Gillotio Domin. Baudius S. D.

TArdum nomen ſum fateor, non tamen malæ fidei reus, ut qui debitum ſemper agnoverim, ſed hactenus ſolvendo non fui. Tot enim curæ ac ſollicitudines domeſticæ caput hoc circumſteterunt, ut amplius biennio vix anima frui viſus ſim, nedum ut Muſæa ſacra tractare poſſem, quæ ſcis provenire animo deducta ſereno. Nunc viduus & orbus incipio paulatim redire in gratiam cum priſtinis ſtudiorum amœnitatibus, quæ tamen habent ſuam ætatem & tempeſtivitatem, ut conſultum ſit in hac re ſequi conſilium vaferrimi poëtarum, qui ſuadet mature ſolvendum eſſe ſeneſcentem equum ne peccet ad extremum & ridendus ilia ducat. Non minus magnanimi Ducis eſt canere per tempus receptui, quam ad extremum inſtare perculſis, ne victis redeat in præcordia virtus, ut ſpem ex deſperatione quærant. Non placent ingenia quæ deficere malunt quam deſinere. Nunc itaque cum eodem vate & verſus & cætera ludicra pono, nec alia lege poſſum adduci ut ad Muſas relabi velim, quam ſi officii neceſſitudine cogar, aut potentum amicorum dulcibus imperiis, quorum deſideria ſi fruſtrari audeam, vel contumax videbor vel inhumanus. quum tamen liquido & ex animi ſententia

ſæpe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſæpe jurare fas ſit, non eſſe in noſtra manu ſitum ut ex quacunque occaſione verſum tanquam è quercu glandem excutere poſſimus, οὐ γὰρ ἐστὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν οὔτ' ἔξεστιν ἄνευ μανίας μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφικέσθαι. Hujus rei documentum eſt evidens quod inter Epicedia Magni illius Scaligeri nuſquam nomen noſtrum comparet, quæ res dedit occaſionem hominibus candoris noſtri ignaris, aut qui Baudium ſola Poëſi metiuntur, ut exiſtimarent me parum æquum fuiſſe ſummi herois virtutibus, qui & nos dilexit inter primæ admiſſionis amicos & judicio ſupremæ voluntatis ſæpe cum honore dignatus eſt. Sed ab hac turpi calumnia ſatis me vindicat integritatis meæ conſcientia, & oratio illa funebris quam in frequentiſſimo conventu publice habui poſtridie quam defuncti corpus mandatum eſt ſepulturæ. Carmen autem dictum honori & memoriæ præſtantiſſimi virorum Nicolao Rapino en heic habes, quod diu dilatum, & ſæpius expetitum hodie repentino calore effudi nequaquam mihi ſatisfacit, ſed inter bonos bene agier oportet, nec Poëta conveniri debet ultra quam facere poteſt.

Vir ille, cujus oſſa marmor hoc tegit
Vtraque lauru clarus inprimis fuit,
Martemque Phœbo junxit, & togam ſago:
Nec Pacis artes obſtitêre quo minus
Tractaret arma, quodque paucis eſt datum,
Manu valebat & vigore pectoris,
Res explicare norat implicabiles.
Nec aut futuri mens ſagax imbelliam
Creabat, ut fit, aut calor certaminum.
Cæco ruebat impetu dolens regi.
Sed à timore liber & ſui potens
Ratione vim frænabat ac ſolertiam
Promebat actu, fortis atque idem catus.
Hoc homine nullus alter elegantius
Diſpunxit intervalla rerum, ſeu graves
Tractare curas poſceret regni ſalus
Regiſque nutus, ſola quæ viro fuit
Suprema lex & norma; ſeu leporibus
Mentem venuſtis applicare opus foret
Mediocritatis aureæ viam ſecans

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Negotiis vacabat, haud ſecus tamen
Auſtera dulci condiebat otio,
Muſaſque amico cum Minerva fœdere
Iugabat omnes natus ad laudes homo.
Recti ſatelles, optimarum partium
Secutor uſque ad ultimum vitæ diem.
Iudex ſeverus gratiæque impervius
Pecuniæque cuncta quæ ſecum rapit.
Nunc functus ævo ſumma cum laude ſenex
Terreſtre corpus reddidit terræ ſolo:
Sed illa mens quæ patrii memor Poli
Motu vigebat & labore perpeti
Recepta cœlo eſt, unde ducebat genus.

Vale Vir Humaniſſime, & nos amare perſevera. Datum Lugduni Batavorum III. Non. April. CIↃ IↃCX. Tuæ dignitatis obſervantiſſimus Baudius.

EPISTOLA XVIII.

Iacobo Auguſto Thuano Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

QVod parcus ſum & infrequens in perfungendo literarum munere, vir multis nominibus mihi plurimum obſervande, facio adductus reverentia quæ virtuti tuæ dignitatique debetur. Nam etſi comitas & commoditas morum tuorum eam mihi licentiam familiariter indulget, ut poſſim ex quacunque occaſione teſtari meam erga te obſervantiam: tamen impedior verecundia, quo minus audeam inani ſcriptione graviſſimas occupationes tuas interpellare, ne peccem in publica commoda, quibus promovendis omnes curæ tuæ & cogitationes conſecrantur. Illud ab humanitate tua poſtulo, ne ſilentium meum in ſequiorem partem interpreteris, quaſi quidquam ſit imminutum ex priſtino cultu quem meritis tuis devovi, & ad ultimum uſque ſpiritum religioſe conſervabo. Non alio nomine magis glorior gratulorque felicitati meæ, quam quod fata mihi aditum ad illuſtrem gratiam tuam patefecerunt, quem conſentiens fama celebrat tanquam primarium ſæculi virum, ingenio, doctrina, judicio, & amore omnium laudum atque rerum honeſtarum. Sed fas piumque non eſt οὐδὲ παρερ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

γον, ſumma nomina venerari. Finiam cum humili voto, ut nos tui obſervantiſſimos benevolentia complecti digneris. Datum Lugduni Batavorum Kalend. April. cIↄ Iↄ c x.

EPISTOLA XIX.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

QVanquam ex prudenti conſilio vaferrimi poëtarum, etiam atque etiam adſpiciendum eſt quem cui commendes, & hanc reverentiam humanitati tuæ deberi cenſeo, ut ea non ſit promiſcuis commiſſionibus profananda: tamen quum natura factus ſis, & conſuetudine exercitatus ad bene merendi gloriam, non poſſum etiam deceptus ab ingenii mei facilitate diſcedere, nec amicorum deſideriis ſuffragationem denegare. Quo in numero eſt is qui haſce literas tibi redditurus eſt. Nam quum optime ex indicio famæ ſciret, quod minime eſt obſcurum, & auctoritatem tuam fide atque induſtria quæſitam iſthic plurimum pollere, & nos accenſeri inter ordines tuos haud infimæ poſtremæque admiſſionis, pro ſingulari beneficio rogavit ut ſe benignitati tuæ commendarem. Cauſa ejus, quam in urbe veſtra habet, concredita eſt iiſdem patronis, quibus noſtra revindicatio Laris materni. Scio rem tibi ex animo eſſe curæ, nec privigni tui ſtudium ac diligentiam egere ullius incitamenti. Nihil tamen nocet addere calcar ultro currenti equo, ad exemplum ſummorum militiæ ducum, qui eos potiſſimum oratione ad virtutem accendunt, quos animo forti, & ad deprœliandum paratiſſimo eſſe vident. Itidem ego partim admonitu tuo, partim meæ ſpontis impulſu feci, ut, quoad ſalvo judiciorum ordine licet, omnes morarum & tergiverſationum anſæ præciderentur. Meo quidem ſenſu res eſt ſummariæ & expeditæ cognitionis. ſed hallucinari poſſum, ut plerumque ſolent qui de propria cauſa ſententiam ferunt, & ex tranſverſo ſæpe incurrunt difficultates, quas illi ſoli norunt qui in re præſenti verſantur. Itaque judicio meo non eſt magnopere fidendum. dabitis tamen veniam animo cupienti, cui nihil ſatis feſtinatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Vrgeor quibuſdam domeſticis incommodis, haud magni quidem momenti, ſed quæ tamen tranquillitatem mentis interturbant, & erectam indolem de ſtatu dejiciunt, ut nihil amœnum aut Muſis amicum muginari commentarique poſſimus. Ne tamen abſque donario genium tuum propitiare poſtulem, mittit tibi noſter Ianus Rutgerſius, flos & ornamentum ſtudioſæ juventutis atque hujus Academiæ, orationem de qua puto me tecum eſſe locutum. Videbis nos in ſimpulo fluctus excitare, quos pater Oceanus in magno mari. Favebis opuſculo vel auctoris cauſa vel editoris, qui tuas dotes ac virtutes in paucis admiratur, & dignus eſt quem adſciſcas in numerum tuorum. Id erit utrique noſtrum vehementer acceptum, nec te unquam benignitatis hujus pœnitebit. Vale, vir clariſſime, & nos, quod ſedulo facis, amare perſevera. Dabam Lugdun. Batav. Kalend. April. cIↃ IↃc x.

EPISTOLA XX.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVum dubius hærerem, an craſtina die ſummo mane eſſetis diſceſſuri, priuſquam abeunti proſperam profectionem & felicem rerum ſucceſſum comprecari poſſem, præmiſi hunc literarum faſciculum, quem alicui è tuo comitatu velim committas, ut perferendi miniſterio defungatur. Scio non fore ingratam magnis illis viris, cum quibus mihi intimæ familiaritatis uſus interceſſit, meam per literas compellationem. Anhelabat animus una vobiſcum proficiſci, ſed nec ordini noſtro munerique conveniens erat ſine publicæ authoritatis mandatu hoc iter ſuſcipere, ut Baudius eſſet pars & aſſecla turbæ famulantium, nec adhuc perducta eſt ad liquidum Stapeliana lis, unde mihi ſpes affulget millenum coronatorum, quæ ſumma poſſet locare in ſolido fortunam noſtram extra teli jactum creditorum, qui me aſſiduis flagitationibus adeo obtundunt, ut quo me vertam quidve conſilii capiam prorſus ignorem. Vos quidem quibus res ſunt ſecundæ, quique facillime agitis, non admodum conſideratis, quibus conflictentur incommodis

dis præclara ingenia, dum eorum opera & induſtria publicis uſibus deſerviat. Sed qui ſervit altari, debet vivere ex eo. Non ſum tam degeneris animi, tam derelictus ab omni bona ſpe, ut perhibent fuiſſe ſummum Philoſophum & familiarem Periclis amicum Anaxagoram, qui quum à principe civitatis viro curis publicis occupato jam ſenex negligeretur, capite obvoluto vitam inedia finire decrevit. Sed poſſum uſurpare vocem qua Periclem affatus eſt ſerio ſed ſero lamentantem, quod talem in Rep. gerenda conſiliarium amitteret, *Quibus lumine opus eſt, hi oleum lucernæ affundunt.* Mihi adhuc adeſt vigor ætatis, eſt animus capax magnarum cogitationum. Nullum eſt munus tantum, quod cum dignitate & utilitate publica ſuſtinere non poſſimus. Invita invidia fatebitur olim, me non vixiſſe dignum qui cum importuna paupertate colluctarer. candida poſterorum gens de noſtra mediocritate incorruptius ſententiam feret. Fraudatus ſum veſtræ liberalitatis fructu ob carmen peſſime intellectum à malignis judicibus, quos ſuffragio ſuo juverunt homines imperiti linguæ, & me inauditum indefenſum judicarunt convictum criminis, à cujus ſuſpicione ſum alieniſſimus. At cordati viri nullum è noſtris poëmatibus majori admiratione proſequentur. Hæc liberius apud te queror juſto dolore incenſus, quod nemo hodie vivit, à cujus gratia, auctoritate & benevolentia ſecundum Deum magis pendeam. Non cupio eſſe oneri, ſed honori noſtris Ordinibus, & huic ſæculo. Libens gratis operam impartirer, ſed vetat *duris urgens in rebus egeſtas.* Si liberatus eſſem ære alieno, Rex Perſarum non viveret me fortunatior. Sed nimis multis te moror, cras (Deo volente) coram te videbo. Dabam raptiſſime I V. April. cIↃ IↃC X.

Epistola XXI.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

VBique generoſi ſpiritus & ingenui candoris veſtigia in literis tuis apparent, nuſquam illuſtriora quam in poſtremis. Animum tuum exoſculor majorem aut intactum vitiis hujus corrupti ſæculi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quo ſimulatio & diſſimulatio inter primarias virtutes à pleriſque deputatur. At nos venerabile nomen aut numen potius amicitiæ colamus, cujus præcipuum munus eſt, Vnum idemque ſentire. Quanquam in cauſa religionis, quo maxime vinculo mentes inter ſe jugantur, nonnihil diverſitatis eſt, tamen in capite ac fundamento bene convenimus. nec quidquam minus humanum aut conſentaneum cum Chriſtiana charitate arbitror, quam odiſſe quenquam ob diſcrepantiam opinionis; haud ſecus ac ſi medicus iraſcatur ægro quod ægrotet. Sed jam non addixi operam ut inſtituam philoſophari, quanquam nullum tempus eſt inoportunum diſſerendi de rebus fructuoſis, tuque pro agnata morum comitate boni conſulis noſtras hallucinationes. Sed redeo ad epiſtolam tuam, quæ multis nominibus mihi fuit acceptiſſima, quod ibi Vrientium re & nomine talem ad vivam effigiem expreſſum intueri viſus ſum. De pragmatico noſtro negotio, totam rem facio tui arbitrii, tuæque mando fidei & prudentiæ. Ratum habiturus ſum quidquid ex conſilii tui ſententia privignus fecerit. Si tamen exiſtimaris tanti eſſe, ut præſentia Turni opus ſit, ſumam è re nata occaſionem iſthuc eundi, magis equidem te ut videam ac tecum de tota vitæ in poſterum inſtituendæ ratione mediter, quam ut de hærediolo materno tranſigam. etſi nunc ob nugas & quiſquilias vehementer ſollicitor, ut animus ſecum in gratiam vix reverti queat. Corvini procuratoris & ſcriptio & diligens opera me devinctum tenet beneficio, cujus tempore non immemor ero. Teſtatus eſſem meum erga ſe ſtudium per literas, ſed hæc effudi quum eſſem in procinctu ut Vltrajectum proficiſcerer. Vale cum tota familia. Proximo tempore exſolvam debitum de carmine: nunc non fuit in manu mea, ut quidquam Muſæum pangerem. Scis iſta non procedere niſi animo deducta ſereno. Raptiſſime XIII. April. CIↃ IↃC X.

EPISTOLA XXII.

Gerardo Voſſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

PEcco largiter, amiciſſime Voſſi, & adverſus promiſſi fidem, & adverſus ſacrum hoſpitalis teſſeræ,

quod

quod tamdiu ſuperſederim à ſcribendo, cum ſim à te omni generi profuſiſſimæ humanitatis exceptus. Nec me hercule, ſi ſine fuco ac fallaciis more majorum veritas fatenda eſt, non aliam tantæ ceſſationis cauſam prætexere poſſum, quam blandientis inertiæ dulcedinem, & conſtantiæ tuæ in amando fiduciam, qua fretus ſæpe, ſum in officio fungendo tardior. Non te fugit veriloquium Taciti, pronunciantis *inviſam primo deſidiam poſtremo amari.* Domeſticum exemplum me vides, ne quæram foris. Quum tamen haud queam diffiteri quin culpam commeritus ſim, tamen cauſæ dictionem non meditabor, ne facilitati & indulgentiæ morum tuorum diffidere videar. Illud enim longe ſcio abeſſe ab ingenuo tuo candore, ut quicquam ſequius velis ominari de meo propenſiſſimo erga te affectu; quem, *dum ſpiritus hos reget artus*, ſanctum & inviolatum conſervabo. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. neque enim arctiſſimum illud neceſſitudinis fœdus, quod inter nos & animorum affinitate, & communium ſtudiorum vinculo, & mutuis officiis vitæ ſancitum eſt, eget verborum proletariorum ac publicorum adminiculis, ut vim ac ſtabilitatem ſuam tueatur. Segregabo itaque minime neceſſarium ſermonem, & miſſis ambagibus revertar in viam. Quo magis & naturæ meæ genium excutio, & rerum mearum rationes conſidero, tam magis adducor in eam ſententiam, ut de aliqua conditione nuptiali ſerio diſpiciam. Sed, ne quid te celem, diuturnus uxoris languor, & parum diligens privignæ cura in adminiſtranda re familiari, circumvenit me difficultatibus æris alieni, adeo ut duorum annorum frugalitate ac parſimonia vix ac ne vix quidem ſupplere poſſim hanc jacturam, niſi aliunde ἑρμαῖόν τι obvenerit. Sed non ſum tam improvidus paterfamilias, ut incertam ſpem in cenſum referam. Lucro apponendum eſt, ſi quid bona ſcæva objecerit. Vt regrediar unde abieram, nec decipere nympham ullam, nec ipſe decipi cupio. Quocirca bene conſtitutam eſſe oportebit à fortunis, ſi qua huic homini nubere dignabitur. Nec indigni videmur, *ſi ſunt ſua præmia laudi,* quorum ratio habeatur à non inſipiente marita. Veteribus amoribus meis ex animo volo, nec ullam præoptaverim,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rim, ſi ad cæteras dotes accedat etiam copioſus imber, qui olim per impluvium defluxit in ſinum Danaës. Nam tute ſatis intelligis, etiam me tacente, quam parum ex utriuſque uſu foret famem jungere cum ſiti, & prolem generare in ſpem eſuritionis. quamquam ab importuna pauperie nihil mihi periculi erit, ſi quidem animo à curis vacuo ſacra mea unquam commovere cœpero,

ἀλλ' ἤ μὲν τοιαῦτα Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Niſi moleſtum eſt, velim aliquid temporis impartiare diſquiſitioni, quo loco res ejus ſitæ ſint. nam quin vivat noſtri memor, & non immunis amorum, nullus dubito. D. Polyander, optimus & eximius virorum, haud gravate in partem iſtius officii ſeſe adjungi patietur, ſi hominis humanitatem perſpexiſſe mihi videor. cui quod hoc tempore non ſcribo, benignus ignoſcet, alias hæc culpa reſarcietur. Vale φίλτατον κάρα, καὶ ἡμᾶς φιλῶν διατέλει. Kal. Iun. cIↃ IↃc x.

EPISTOLA XXIII.

Gerardo Voſſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrecktum.

Qvanquam non eſt tam arctæ neceſſitudinis, quæ nobiſcum intercedit, verba ad dimenſum exigere, aut officiorum vices importunius poſtulare: tamen non poſſem τὸ ** diſſimulare quin animi pendeam, ut certior ſim de ſtatu noſtrorum, ſi Veneri placet, amorum. Patrem, qui jam tum conclamatus & plane depoſitæ ſalutis erat, quum iſthic eſſem, transmigraſſe ad beatorum ſedem nullus dubito. quippe qui vix unquam mortalem audiſſe mihi videor animo & ſermone magis obfirmato ad excipiendam humanæ conditionis legem, ad quam omnes nati ſumus, ut denaſcamur. Quanquam in crudo parentis luctu non videtur oportunum tempus de conditione thalami mentionem facere, tamen nihil obſtat quo minus λάθρα περὶ τῆς οὐσίας inquiſitio ſuſcipiatur. ἄνευ γὰρ τῶν χρημάτων οὐδὲν ἔξεστι πράττειν τῶν δεόντων. Si mihi adeſſent facultates Themiſtoclis, non deeſſet eadem animi generoſitas. Is malebat generum opibus carentem, quam opes viro generoque deſtitutas. Quanti interſit hodie eſſe εὐπένθερον,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ϱον, ne longinqua exempla quæramus, illuſtre documentum præbet civis veſter, Academiæ autem noſtræ Curator, cui quidem multa ſuppetunt optanda bonis, nec impar eſt honorificis muneribus, tamen negari non poteſt, cum virtuti atque induſtriæ plurimum debeat, nonnihil etiam eſſe quod affinitati & favori Atlantis noſtri queat imputare. *ἀλλ᾽ οὐκ ἐμὸν τούτων ἐπιμελεῖσθαι.* interim liberi ſumus, nec indigni qui præclaram patriæ operam navare poſſimus. Semper heroicum illud ſpe & ſtudio concupivi,

αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

In quo magnifico omine deſino, teque *χαίρειν καὶ εὐπράττειν* ex animo voveo. Datum raptiſſime XIX. Iunii CIƆ IƆ CX.

Epistola XXIV.

Ioanni Polyandro Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

Qvanquam ego & meo ſenſu & judicio humanitatis tuæ nihil videor peccare adverſus religioſam dignitatem muneris tui, quod tam familiariter amores meos fidei ac prudentiæ tuæ concredere non dubitavi: tamen ne ſordium & illiberalitatis nomine tibi ſuſpectum ſit noſtrum inquirendi ſtudium de cenſu reque familiari ſobolis Remigianæ, ſeu Textoriæ malis, recte & ordine me facturum putavi, ſi ſimpliciter & aperte cauſam iſtius propoſiti ſignificarem. Modica ſorte & inculpata paupertate contentus eſſe poſſum, ut ſi quiſquam mortalium, & hunc fructum cottidie magis ac magis colligere ſtudeo ex tractatu honeſtiſſimorum ſtudiorum, ut mihi bene, cum fortuna mea conveniat, & ut inſanis cupiditatibus modum ac frænos imponere queam. Quam multis enim non egemus ad hanc brevem vitæ viam *σὺν εὐθυμίᾳ* traducendam? Sed ſecluſis ambagibus, & omiſſis in præſens Philoſophorum ſententiis, ſcire debes me partim ob pene triennalem uxoris languorem, partim ob parum fidelem peculioli noſtri adminiſtrationem incidiſſe in æs alienum, cui diſſolvendo ægre par eſſe poſſit frugalitas & parſimonia trium aut quatuor annorum, niſi quid adventitii bona ſors, aut opima dos objecerit. Id

arcanum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

arcanum ſine ſcrupulo conſcientiæ non ſuſtinet θυμὸς ἀγήνωρ celare, niſi forte ſi qua nympha nobis favore cœli deſtinatur tam amplis opibus ac facultatibus, ut nomina noſtra expedire poſſit, haud minore ſuo intertrimento, quam ſi ex læta ſegete manipulus, aut ex uberi vindemia racemus deruatur. Quanquam voto meo pauca ſufficiunt, tamen hoc agendum eſt, ne ſpernantur θεῶν ἐρικυδέα δῶρα: & multis hoc eſt perſuaſum, huic homini ſuo tempore non defuturam luculentam aliquam conditionem. Ego quoque ſpes meas ut non refero in rationes accepti: ſic nec temere tanquam rem vacuam cuilibet aucupanti vel occupanti permittam. Tu vero me tacente ſatis intelligis, quam parum ex uſu utriuſque foret τὸν λιμὸν ϗ τὴν πενίαν infelici contubernio invicem ſociari. Quocirca niſi tam bene fundatum ſit patrimonium amicæ, quam unice diligo, ut ſine notabili incommodo noſtris difficultatibus mederi queat, in rem communem eſt ut aliud mihi ſubſidium proſpiciam. Quod ne in eam partem velit interpretari, quaſi quidquam detrimenti ceperit amor ille priſtinus, quo juvenculam forma & ætate florentem ſum complexus, teſtor ex animi ſententia me hoc ejus cauſa facere, ne liberos educemus in ſpem egeſtatis atque eſuritionis. In cæteris jubeo eam bene ſperare, & ſi mihi unctius aliquid obtigerit, libenter filium ipſius gratis admittam in convictus noſtri ſocietatem, ubi ad eum proceſſus gradum venerit, ut cum fructu publicis Academiæ recitationibus intereſſe poſſit. Nec hoc ſolum, ſed peculiari jure diſciplinam ejus commendatam habebo, tanquam ſi ex me natus foret. Id ut ſine fuco & fallaciis nuncupatione verborum teſtor, ita velim ad honeſtiſſimæ matris aures te interprete perferatur: non committam ut vanitatis argui queam, & ejuſmodi officium haud levis erit momenti ad leniendum mœrorem, quo conflictatur ob deceſſum parentis. Vale, vir reverende & mihi multis nominibus chariſſime. Datum Lugduni Batavorum XXIV. Iunii CIↃ IↃCX.

E p p-

EPISTOLA XXV.

Gerardo Voſsio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

DE Remigio mira ſunt quæ memoras, eum tam diu vivam mortem & mortuam vitam traxiſſe. ſed admirationem meam minuit domeſticum uxoris exemplum, quæ ſtupentibus medicorum filiis ſpiritum jampridem damnatum ultra menſis ſpatium produxit. Ad ſummam, quemadmodum (ut ait ille)

—— vis improviſa lethi
Sæpe rapit rapietque gentes.

ita mors interdum venit lento gradu, tardiuſque immortalium opinione. quocirca ſemper in procinctu eſſe debemus ad excipiendam diei decretoriæ legem, quum nemo ſit tam florens ætate ac viribus juvenis, qui ſibi craſtinam lucem auſit polliceri, nec rurſus tam confectus ævo ſenex, ut ab omni ſpe derelictus, quin ei interdum aliquid induciarum detur ad commentandam mortem, hoc eſt ad exercitationem veræ, non ſimulatæ philoſophiæ. Qui nihil aliud toto vitæ ſuæ curſu meditatus eſt, quam ut bene moreretur, huic optime conſtat ratio anteactæ ætatis. Sed me mortalitatis & humanæ conditionis contemplatio abripit extra limites argumenti epiſtolici, nec otium eſt jam ſapientiæ verba funditandi. quamquam ſcio id tibi eſſe non nolenti, apud quem licet nobis hallucinari. Sed ut à leſſo ad luſus, tumulo ad thalamum, à tædis funeralibus ad nuptiales veniamus, omnino & animus ſuadet, & rerum mearum ratio flagitat ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο, non tantum ad diſcutiendum ſolitudinis tædium, ſed ut rei familiari proſpiciatur. Carere non poſſum ſine multis incommodis conſorte, cui Baudius tanquam animæ dimidium curæ ſit. Cæterum ut ad reverendi viri D. Polyandri curam & diligentiam me remittis, ita eundem optimæ fidei debitorem tibi delego, ſi quid ſigillatim de meo in amoribus ſenſu ſcire deſideras. quamquam enim quædam ad eum ſcripſi, quæ non ſit ex dignitate noſtra proferre in vulgus, tamen nihil rerum mearum cupio tibi eſſe clauſum

aut obſignatum. Ea porro eſt inter vos animorum conjunctio, is amicitiæ uſus, ut neuter arcanorum alterius expers eſſe debeat, mihi porro nihil æque in votis eſt, quam ut adſciſcar tertius in tam præclari conſortii ſocietatem. Vale cum univerſa familia, καὶ εὐπράττε, καὶ meis verbis ſalute plurima conjugem impartiare δῖαν γυναικῶν. Datum Lugd. Bat. VII. Kal. Quintiles CIƆ IƆC X.

EPISTOLA XXVI.

Gerardo Voſſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

DOleo ex animo, humaniſſime Voſſi, te tantum oneris ac laboris in gratiam meam ſuſcepiſſe. Nam etſi ſincero affectu nympham illam proſequor, tamen magis liberandæ fidei religione, & veterum repromiſſionum ultro citroque ſtipulatarum memoria adductus ſum, ut conſortium ejus ambire non dedignarer, quam formæ lenocinio, vel divitiarum conditione. Nolim factum, ut duobus viris, quos jure maximi æſtimo, curam iſtius conciliaturæ demandaſſem. Neque enim ſum tam deſertus à bona ſpe, ut ſollicitis precibus, aut diligenti cautione depaciſci debeam, ne Baudium maritum faſtidire velit. Quod ſiccas ſe animas amare ait, ſcio quorſum tendat, nec intercedo, quin Cereri ſe totam voveat, aut ætatem careat temeto. mihi ſententia dia priſci Cratini magis arridet, quam factis approbavit magnanimi Catonis virtus, quæ ſæpe mero incaluiſſe perhibetur. Stat à meis partibus tota manus Poëtarum, genus hominum integrum, vitæ ſceleriſque purum. Non tam parvipendo gloriam carminum, ut aquæ potor eſſe conſueſcam, præſertim in hac fera ætate. Quocirca ne amplius inducat in animum leges magiſtras ferre ſine populi ſuffragio. ſimpliciter dico me conditionem ejus nihil morari. ſed interim gratias immortales habeo utrique veſtrum, quod tantopere mea cauſa laboraveritis.

Tam teneor dono, quam ſi dimittar onuſtus.

Multum item te amo, quod me celandum non putaſti hoc horribile ſecretum. Malignitas obtrectatorum nihil aliud in nobis ſugillare poteſt, quam quod nimis commo-

commodus ſum convivator, & interdum largius aſpergor flore Liberi patris. Sed ut Sertorii miles caudam equinam depilavit ſenſim carpendo, ſic operam cottidie magis magiſque do, ut diligentius vivam, & ad cæteres laudes, quibus fremente invidia clari erimus poſtgenitis, temperantiæ virtutem & ſobrietatis adjungam. Velim eos, qui tam curioſa indagine papulas noſtras obſervant, perpetuum vitæ tenorem atque ordinem conſiderare, & quam aſſidui ſimus in tuenda publici muneris ſtatione, tametſi interdum, ut eſt ingenium humanitatis, pluſculum ſodalibus & innoxiæ hilaritati indulgeamus. Didici ex Horatio heroë, is porro autorem habuit Græcum haud ignobilem, cujus tamen nomen mihi jam non ſuccurrit feſtinanti. ſed Horatius bonæ fidei debitor eſt, nec opus habet ſponſore. is me docuit, ſiccis omnia dura Deum propoſuiſſe, nec aliter pelli mordaces ſollicitudines, tranquillitatis tyrannas, quam dulci Lyæo, ſeu Lenæum mavis. Rutgerſium, qui mihi præſto aderat, cum literas tuas accepi, nomine tuo ſalutavi, &, ut ei nihil clauſum aut obſignatum eſſe patior, epiſtolam cum eo communicavi. Miſſurus eſt ad te proximo die Dominico libros de quibus ſecum egiſti. Vale cum lectiſſima conjuge & omni familia. Reverendis viris Polyandro & Lydio plurimam à me ſalutem nunciari cupio. Fac etiam Blyenburgus intelligat me non eſſe immemorem ſui. De amoribus noſtris verbum amplius ne feceris. gaudeo me bona cum nymphæ ejus gratia liberatum eſſe nexu veteris promiſſi, καὶ διπλεύρου συναλλάγματος, cujus adhuc me nonnulla inceſſebat ſuperſtitio.

Nunc diis auſpicibus reor & Iunone ſecunda.

certe defæcato animo potero ad alias, ut ſpero, longe ſplendidiores conditiones aſpirare. Datum XVI. Iunii CIↃ IↃC X.

Epistola XXVII.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

HVmanitate tua fretus, audeo tibi commendare hunc hominem, ſed ne quid peccem per improvidam facilitatem, aut promiſcuis commiſſio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

miſſionibus deteram florem gratiæ, quam mihi apud te eſſe pateris, eadem lege & conditione bonum illum virum benignitati tuæ trado, qua prius mihi eſt conciliatus à viro clariſſimo Hippolyto à Collibus, ut videre eſt ex ejus literis, quas fidei cauſa incluſi huic epiſtolæ. Rogatus rogo, nec denegare potui humanitatis officium homini, quem eadem fortuna perſequitur quæ mihi moleſta eſt, nimirum *res anguſta domi*, & illa, quam bonæ mentis ſororem appellat elegantiſſimus nequam Petronius, nimirum *duris urgens in rebus egeſtas*. Potuiſſet ejus induſtria non inutilem operam impartiri juventuti Græcarum literarum ſtudioſæ, in quibus ſatis feliciter verſatus eſt, ſed hoc præſertim anni tempore mire ſtudia frigent, & plerique ut reſtinguant æſtum ſitientis caniculæ, pergræcari malunt quam Græciſſare. Quapropter eſt illi in animo transfretare in Britanniam, ſi forte illic reperire poſſit Ditem patrem ſibi magis propitium, quam hactenus eſt expertus. Plura non addo, nam craſtina die ſpero me tecum ſociaturum eſſe ſermones de rebus quæ propius ad me attinent. Vale, & bene rem gere. Dabam feſtinans III. Auguſti CIↃ IↃCX.

EPISTOLA XXVIII.

Iohanni Richardo Nereo Dom. Baudius S. P. D.

In caſtris.

NIhil opus fuit, amiciſſime mi Nereu, tam ſollicita excuſatione ſilentii, qua te uſum eſſe video. Nam & integritati tuæ fueris injurius, & amicitiæ noſtræ gravem notam inuſſeris, ſi in animum inducas credere me quidquam ſequius aut ſiniſterius de ceſſatione tua fuiſſe opinatum. Altioribus enim radicibus amor noſter nititur, quam ut quidquam incrementi aut detrimenti capiat ex crebritate vel infrequentia literarum. Sed, ut

Res eſt ſolliciti plena timoris amor,

præſertim conjugalis, uxor tua neſcio quos inanes metus ſibi fingebat, quod à reditu Chauſſei nihil vel ex fama vel per epiſtolam de tuo ſtatu inaudiſſet. Profeſſor Grotius, ſpecimen illud antiquæ virtutis ac fidei, commigravit ad beatorum ſedes. Extinctus eſt morte

ſomno

ſomno ſimillima, non diu colluctatus cum ſævitia morbi. Placidus ſenex deceſſit è vita quemadmodum feſſus viator è ſemita, vel conviva ſatur ab epulo. Sic decuit ultimum diem non eſſe gravem optimo virorum, qui nemini vixit gravis. Erat mihi in animo proſequi defunctum funebri laudatione, ſed præventus ſum in eo ſupremo humanitatis munere à Pynackero, cui Senatus ille,

Qui pecori imperitat, quem tota armenta ſequuntur,

eas partes aſſignavit. Non tamen abſiſtam detexere inceptum munus. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Etiam Dijckgravius ante aliquot dies ſepulturæ mandatus eſt; & hodierno mane diem obiit alter ille Naſo, ſed non Ovidius, cujus filia nupſit hypodidaſcalo ſcholæ trivialis. hunc dico, qui more ſerpentis beſtiæ gradum ſtruit, quia majeſtate ſua inferius putat, ſcipioni quidquam debere. Plura nugari volebam, ſed campana ſignum dat ut ſacris interſim. Tu vale, & ſtrenue rem gere. Datum Lugduni Batavorum VIII. Auguſti cIↃ IↃC X.

Epistola XXIX.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S.P.D.

Gandavum.

Qvum nuper apud te eſſem, ita me totum ſibi vindicavit incredibilis tua comitas atque humanitas, ut non fuerim recordatus tibi tradere literas ab amiciſſimo Rutgerſio concreditas nobis. Quam culpam & moribus tuis & negligentiæ meæ condonabis, atque etiam haud gravaberis adhuc in aliud tempus reponere nomen jam pridem debitum divis manibus filiæ tuæ. Diutius heic hæſi voto & opinione. blandam mihi moram injecerunt preces, hoc eſt, ut interpretor, potentiora quavis neceſſitate juſſa Remacli Roberti, quo viro non vivit ſub ſole officioſior & ad genium humanitatis accommodatior, niſi te unum excipiam, ut olim, ſuadæ medulla, dium Platonem. Profectus ſum cum eo Lovanium, atque ibi data occaſione reconciliavi in gratiam diſſidentes animos Puteani & Wouwerii. Vtinam eadem ratione poſſent coaleſcere animi Batavorum & Belgarum! ſed opus eſt tractu temporis, nec tam graves morbi niſi mora & quiete

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quiete ſanantur. Generum tum conveniendi facultas data non fuit. Ter quaterve fruſtra eum quæſivimus, aut urbe abſentem, aut negotiis impeditum. Hæc ſcripſi raptiſſime, quum eſſem in procinctu. alias diligentiores erimus. Salutat te reverendus dominus Pantinus. Præſes van Etten & Roberti Antverpiam ſunt profecti. Vive, vale, & noſtri memor eſto, dum

—— *Capitoli immobile ſaxum*

Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Datum Bruxellis x. Septembr. cIↃ IↃc x.

EPISTOLA XXX.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVum eſſem in procinctu ut ad noſtrum Athenæum redirem, certior factus ſum matetreram meam è vivis exceſſiſſe in urbe Valentiana. Quanquam nulla mihi ex ejus obitu ſpes hæreditatis metitur, tamen omnino poſtulat mearum fortunarum ratio ut iſthuc excurram: quia nonnullæ veteris naufragii tabulæ penes eam depoſitæ fuerunt. Itaque rogo te, ut pro jure antiquæ neceſſitudinis benignius interpretari velis noſtram paulo diuturniorem moram, quam feriarum lex concedit. Id apponetur gratiæ, & accedet cæteris beneficiis, quorum cumulo ſum tibi devinctus. Succedanea porro diligentia reſarciemus præteriti temporis ceſſationem. Præſidi van Etten egi gratias ob extremum humanitatis officium ab ipſo impenſe præſtitum optimo & candidiſſimo collegarum Tuningio, cujus repentina mors me quaſi fulminis ictu attonitum reddidit. Pollicitus ſum me effecturum ut publico nomine grates ipſi ab Academia noſtra decernantur, quem honorem viri virtus meret, & ſine mentis ingratæ nota prætermittere non debemus. Vale, & nos tui obſervantiſſimos conſtanter ama. Datum Bruxellis x. Septembris cIↃ IↃc x.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Epistola XXXI.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

IVvenis ille vir, à quo haſce literas accepturus es, pro mediocritatis ſuæ modulo eximias dotes tuas veneratur, ut hoc ipſo ab humanitate tua impetrare poſſet, ne velles ultro petenti denegaſſe tritum iſtud & tralatitium officium inſcribendi albo nomen Grotii per maria ac terras illuſtri fama propagatum. Sed tamen non eſt auſus tantum ſibi confidere ut ad tuam dignitatem ſine parario affectaret viam: quocirca modeſte ac verecunde mecum egit, ut ſe tibi conciliarem hactenus ne grave ac moleſtum ſit hanc levidenſem gratiam homini Germano, juveni tuarum virtutum ſuſpicienti, καὶ ἡμετέρῳ συμβιώτῃ gratificari. Cras aut perendie σὺν Θεῷ ad vos excurram, ut ſuaviter confabulemur de præclaris ſermonibus, quos ordinarii de me ſparſerunt. cave id factum putes de noſtro grege cujus ſum collega ſine ſuffragio, ſenator ſine conſilio, & quid reſtat, quam ut aliquis à ſe natus nos ſubruat. Vale, ô & præſidium & dulce decus meum. Dabam raptim VII. Octobris CIƆ IƆC X.

Epistola XXXII.

Iano Rutgerſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

NVllas accipio excuſationes quibus te purgare poſtulas, quod quum intellexiſſes me eſſe reverſum, non continuo renunciaveris & currui, & toti aurigarum proſapiæ, ut fortunæ reduci gratulareris, quæ me Batavo ſolo cæloque ſoſpitem ac ſuperſtitem redonaviſſet. Peccatum eſt à te inexpiabiliter, nullis februalibus ſacris crimen hoc luſtrabitur. Sed ut complicem tragicum aulæum, & à cothurno deſcendam ad ſoccum, narro tibi omnia eſſe falſiſſima quæ ſubroſtrani homines paſſim fœdis ſermonibus divulgarunt, interim ut ſolent calumniæ pronis auribus excipi vitio humanæ malignitatis, vix ipſis Curatoribus noſtris ante perſuadere quivi, me non eſſe factum monachum, niſi poſtquam ad exemplum increduli

Thomæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Thomæ, verticem capitis curioſo lumine inſpexerunt, nullo cæleſtis raſuræ ſignaculo deformatum. Tuningii deceſſum è vita non prius intellexi, quam quum omnia juſta jam perſoluta eſſent Deiphobo & funeris umbris. eram enim tunc Antwerpiæ. Catholico ritu ſepultus eſt ut decuit hominem tali fide ac pietate præditum, qualis in Metello aut Anchiſæ bajulo nunquam fuit. De oblatis opimis conditionibus non omnino nuncia ficti fuit fama. De Tertio quid velis, comminiſci non poſſum, niſi tu fortaſſis inclytum illum heroëm Bertium innuere velis, qui exſanguis metu, vix fata fugit. Crede hoc meæ fidei, ne verbum quidem cum eo commutavi. Miſſam adiiſſe non diffiteor, ſed muſices cauſa cum moderamine inculpatæ tutelæ. Fui Caleti in gratiam illius homuncionis, quem inaurare ſperabam, ſed ſpes Ennianæ fuerunt, falſæ, fallaces: *καλοῖς βλέπουσι βλέμμασι, μέλλουσι δέ.* Neceſſe eſt ut cum Aſtyanacte ponat ex animo reges atavos, totamque ab origine gentem. Inviſi & patriam, & ipſam domum in qua ſum natus, eam tam facile recognovi, quam ſi *πρώην καὶ χθὲς* inde pedem eliminaſſem. Ad ſummam, ut errores meos generatim complectar, fui in Brabantia, Flandria, in Hannonia, in Arteſia, in Gallia, in Zelandia, & ubi non?

Iſthinc digreſſum Batavis Deus appulit oris,

cætera lætum, niſi quod non ſimul eſſes. Audio te iſthic futurum per totam (hui!) hanc hyemem. *τέτλαθι που κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο πέπονθας.* Vtinam ſerio tandem componere velles animum ad ſtudium legitimæ diſciplinæ, ſi non alio fine, ſaltem ut parentum deſideriis mos geratur! Poſſes privato ſtudio mirabilia patrare, ſi bene te novi. neque enim egent opera interpretis illuſtres heroum animæ, quibus te annumerat & ſæculi favor, & judicia præſtantium amicorum, inter quos omni officio conabor haud ultimum locum tueri. Parentibus totique veſtræ familiæ, avunculis, è quibus Prætorem Bruxellis ſum allocutus, ſed frigore contactus eſſe videbatur neſcio quam ob commeritam noxiam, niſi quod te impatienter amo: iis omnibus ſalutem nunciari cupio, nec non Voſſio, Blyenburgio, Polyandro, quem Middelburgi conveni ſuper negotio

Textricis, ſeu Remigianam malis. Vale, & nos ama. Datum VIII. Octobr. CIↃ IↃC X.

EPISTOLA XXXIII.

N N. W. Adriano à Mathenes, & Cornelio vander Myle, Curatoribus Academiæ Leidenſis, Dom.
Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVum ex itinere huc ſum reverſus, tot ſplendida de me ſparſa mendacia comperi, ut ſi delatus eſſem in ultimas terrarum oras ultra Garamantas & Indos nihil audire potuerim abſurdius, nihil à vero à me alienus, nihil impudentius confictum atque inſolentius. Mortuo mihi nunquam exhibebuntur tales ludi, quales vivo ac videnti præbuerunt Ædiles creati ſine populi ſuffragio. Mens recti conſcia ſceleriſque pura facile diſſipat omnes calumniarum nebulas, ut à ſcopulo fluctus elidi ſolet, & hæc eſt perpetua virtutis ac virorum fortium conditio, ut expoſiti ſint malignitatis ſcopo, quemadmodum eos qui in luce ſolis ambulant, umbra comes aſſectatur. Quocirca mihi ipſe gratularer, & integritate conſcientiæ fretus, quæ

Non eget Mauri jaculis nec arcu,

futiles rumuſculos ſua ſponte ſinerem præterfluere. Nam ut graviter ac vere pronunciat Cremutius apud Tacitum, hæc & hujuſmodi *maledicta ſpreta exoleſcunt ſi iraſcaris, agnita videntur*. Sed quia per meum latus etiam auctoritas veſtra petitur, non potui imperare animo, quin apud vos, quorum curæ, fidei, ac prudentiæ concredita eſt dignitas noſtræ Academiæ, juſtum dolorem vel indignationem potius evaporarem. Nam ab iis, quorum benevolentia & fides mihi perſpectiſſima eſt, certior factus ſum, fuiſſe nonnullos ea temeritate & arrogantia præditos, qui judicium veſtrum in celebri cœtu accuſare auderent, quod profeſſionem honorificam homini profligato, tanquam gladium furioſo, dediſſetis, qui turpi transfugio deſciviſſet à bonorum partibus, & à libertatis ſede ac domicilio tranſiiſſet ad voluntariam ſervitutem, non terreſtrium modo dominorum, ſed ſpiritualis carnificinæ ſuperſtitionum. Iam illorum opinione Baudius ſæculo repudium miſerat, &

adſcriptus erat gregi cucullatorum. Alii ſplendidius de homine opinabantur, propugnatores ſcilicet ac vindices noſtræ dignitatis, & me non clauſtro aut cœnobio includebant, ſed opimo ſacerdotio vel canonicatu auctum eſſe prædicabant. Quidam in vulgus ſparſerunt me aliquoties advolutum eſſe ſupplicem genibus Archiducis cum humili deprecatione ſuperiorum offenſarum, & pollicitatione ſanioris in poſterum ſententiæ. Illud vix quiſquam etiam de nobis optime ſentiens in dubium vocabat, quin factus eſſem fera beſtia, & amiſiſſem animum revertendi. Etiam ſponſionibus certatum eſt, & præſenti pignore pepigerunt quidam, nunquam fore ut reducem Leida me videret. Hæc omnia tam ſunt falſa quam quod falſiſſimum. De monachiſmo ſi me ſollicite apud vos excuſarem, & mihi & vobis pariter eſſem injurius. Nunquam enim de hoc homine tam male ſperaſtis, ut ejuſcemodi abſurditatibus aures nedum aſſenſum accommodaretis. Neque enim, ut opinor, ulla unquam in me deliquia ſanæ mentis, aut delirii ſigna deprehendiſtis, nec educatus ſum à parentibus in ſpem mendicitatis, ſed eas artes ac diſciplinas adamavi unde honos paratur, quæ me clavo Reip. potius quam clauſtro redderent idoneum. Si infami letho mihi pereundum eſſet, ſi ad reſtim me redegiſſet *duris urgens in rebus egeſtas*, digniorem ſuſpendio arborem eligere cuperem, & Æneæ magni dextra cadere præoptarem, quam inglorio vitæ inertis mancipio deſtruere florem ingenuæ libertatis, quam ego dotem unicam præfero omnibus gazis Perſarum. Citius futurum eſt, ut me excipiat hoſpitem domus deſtinata furioſis & amentibus, quam ut collega fiam & augeam numerum cohortis lucifugarum, ego qui à puero ſic vitam inſtitui, ut omnia bona in ſpe haberem, ut ad laudem ac decus omni ſtudio adſpirarem. Invita fatebitur invidia, me magnis & illuſtribus Europæ viris non ignotum nec inviſum nomen extitiſſe. Nunc quoque perſtat idem animus, nec ætatis vigor abeſt capax cujuſlibet eximiæ adminiſtrationis, ſi benigni Mæcenates favore ſuo vela votorum meorum tanquam ferente vento implerent. Venio nunc ad inclytos illos, ſi diis placet, famæ & exiſtimationis meæ defenſores,

qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

qui mihi Gnathoni ſcilicet aut Artotrogo eſurienti, tanquam Cerbero offam, ſacerdotium aut ſplendidum canonicatum ob os objectum eſſe dixerunt. quibus facetis hominibus tantum abeſt ut ſuccenſeam, ut potius gratias agam quod per eorum maledicentiam non jubeor egere, nec voto paupertatis obſtringor, ſed inter divites ac fortunatos cenſeri poſſum. Semper enim in ea fui ſententia, majoris eſſe viri majoriſque animi, recte uti muneribus Deorum quam carere. Sane vir ſapiens & cordatus non aſpernaretur opimam prædam quam dexter Mercurius fert, ſiquidem obvenire poſſet abſque diſpendio libertatis vel religionis. Sed nunquam mihi quidquam obtinget tam infeſtum atque adverſum, ut à recta mente vel latum unguem deſciſcam in iis rebus, ubi non levia aut ludicra petuntur præmia, ſed agitur de ſempiterna ſalute vel diſperditione animarum. Quod me ſupplicaſſe Archiduci fingunt, & provolutum jacuiſſe ad ipſius pedes ut canerem palinodiam, & impetrarem ab ejus clementia beneficium amneſtiæ, id ſi ipſa veritas & innocentia mea non refelleret, conſuetudo ſatis arguit manifeſtæ vanitatis. Neque enim Princeps ille quanquam Cæſarum nepos, filius, frater, qui conjugio ſociatus eſt cum filia maximi regum totius orbis terrarum, eum cultum admittit, ut ad genua ſibi quenquam accedere patiatur. Non me pœniteret ſolitæ venerationis, ſi eum ritum uſurpaſſem quem mos approbaret, nec ſuperiore anno negavi me cum ipſo ſermonem ſociaſſe. Cur enim quiſquam bonus mihi vitio vertat, ſi nullius culpæ conſcius, & auſpice fama ſuæ Celſitudini conciliatus cepi impetum ejus alloquendi, ut ſalvo jure religionis ac patriæ libertatis obſervantiam ipſi meam teſtificarer, præſertim quum ante intellexiſſem ei non ingratum fuiſſe nuntium noſtri adventus, nec injucundum fore conſpectum? Sed ad vitandas malignorum voces, quorum in his locis licet metere meſſem uberrimam, non exiſtimavi pro tempore conſultum, ut ſe compellarem. Itaque dedita opera ſubterfugi occaſiones, ne ſermonibus anſam præberem. Sed quo intentior eſt à me adhibita cautio vitandi ſuſpiciones & morſus calumniantium, eo gravius Theonino dente circumro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſus fui. Vellem itaque factum quod iſti falſo objiciunt. Nam forſitan caput unctius retuliſſem, &, ut veteri verbo dicitur,

Principibus placuiſſe viris, non infima laus eſt.

Nihil admiſi, cur non auſim erecta fronte cum honeſta laudabilique fiducia ſalutare pulvinar magnorum Satraparum, & coram adire humanos iſtos Ioves. Non jam primum huic operi ſum initiatus, ut cum ſummis monarchis ſermones miſceam. Teſtor manus ingentis Elizabethæ, & gloriari poſſum, me reges & regum filios habere debendi reos. Etiam illud ultro fatebor, ut ilia rumpantur Momo & Momi ſatellitibus, propoſitas mihi fuiſſe Attalicas conditiones, ſi iſthic ſedem figere in animum induxiſſem. Dicto citius poteram liberari ære alieno, quo ſic affligor ut mente tranquilla ac defæcata non poſſim incumbere præclaris ſtudiis ac meditationibus. Vtinam ſerio vos tandem invaderet generoſa cupiditas medendi huic incommodo! Non meretur quidquid uſquam eſt ſplendentis luti, ut illa divinæ auræ particula de ſtatu ſolidæ conſtantiæ deturbetur. Sed hæc & his ſimilia ſplendidius ab hominibus otioſis in umbra & ſchola diſſeruntur, quam ab imbecillitate mea rebus & factis comprobari poſſunt. Valde res rationeſque meas conturbavit, quod coactus ſum tribus penſionibus refundere pecuniam mutuo ſumptam à Conſule Brouckhovio, ut ſuppeterent ſumptus ad perſolvendum ultimum humanitatis officium defunctæ uxori. Non fuiſſet invidioſa apud bonos largitio, nec male collocata gratia, ſi id nomen de publico expungendum curaſſetis. Adhuc integrum vobis eſt eam uſurpare gloriam, ſi tribus proximis penſionibus jacturam reſarciri juſſeritis,

Non ſumus indecores patriæ, nec veſtra feretur
Fama levis, tantique adoleſcet gratia facti.

Nam ut ex demenſo honorarii mei conficiam unde & honeſte pro muneris publici dignitate vitam colam, & ſimul creditoribus ſatisfaciam, non poteſt obtineri parſimonia quinquennali, adeo me mœrore confecit, & ſumptibus exinanivit diuturnus languor demortuæ conjugis, niſi aliunde ſubſidium obvenit. quod in manu veſtra ſitum eſt, ſi communi ope conſilioque me ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

me generali Ordinum conſeſſui de interiore nota commendare dignemini, tanquam Academiæ Curatores, cujus haud infima pars cenſemur, ut ad Hiſtoriarum profeſſionem Hiſtoriographi dignitas adjungatur. Non dubito quin Conſules hujus urbis ratum habituri ſint, quidquid eo nomine à vobis geſtum erit. Si tale munus nunquam antea cuiquam fuiſſet conceſſum, tamen haud indigni ſumus à quibus initium fieret honeſtiſſimæ ſuffragationis. Nunc autem rem non novam peto, ſed quam Merula noſter impetravit, cujus in locum ſum ſuffectus, quod ad Academicam provinciam, excepto hactenus honore ordinariatus. Sed ut magnanimus Hector apud Homerum ait, optimum eſſe auſpicium pugnare pro patria: ſic ego recte & ordine fieri cenſeo quæ pro publicis utilitatibus geruntur, & eum optime tueri gradum atque ordinem ſuum, qui plurimum ex parte ſua conferat in commune bonum. Hac in re nunquam me deſtituit voluntas & contentio præclare de juventute promerendi: nec indecorum atque inglorium nomen conciliabo Lyceo, cujus curatio veſtræ fidei commiſſa eſt. Ejus me voti reum ſponte conſtituo, vobiſque libens ac jure dedico conſecroque

Quidquid in arte mea poſſum promittere curæ.

Veſtram viciſſim gratiam & auctoritatem imploro, adjuro, atque obteſtor, ne patiamini veſtrum clientem calumniis & obtrectationibus indigne violari per eos, qui animo concipere non poſſunt merita clarorum virorum, & ideo malunt allatrare eorum famam, quam æmulari virtutes. Concurrant omnes, non dicam ut ille Satyricus, augures, haruſpices, ſed quidquid eſt ubique hominum curioſorum, qui in aliorum acta tam ſedulò inquirunt, ut ea fingant quæ nunquam fuerunt, nihil inveniet quod in nobis carpere poſſit livor, quam quod interdum ad exemplum priſci Catonis liberalius invitari nos patimur, nec ſemper conſiſtimus intra ſobrietatem veterum Sabinorum. Huic quoque peccatulo indies moderari conamur, & pulchre procedit. Porro quanquam odio digni ſunt Vatiniano, qui me tam fœdis mendaciis traduxerunt; tamen in atroci injuria magno honore afficior, quod Reverendum virum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

& inſignem Theologum Conradum Vorſtium in ejuſdem criminis ſocietatem arceſſunt, non quidem apoſtaſiæ, ſed (quod in eo ordine ſcelus inexpiandum eſt) hæreticæ pravitatis. Præclari ſane dictatores, ſed vitio creati judices, qui tam temere de homine inaudito, indefenſo, cauſa indicta atque incognita ſententiam præcipitant, quum olim Nicæna Synodus ob convincendum Arrium congregata fuerit, Conſtantinopolitana propter Eunomium & Macedonium, Epheſina contra Neſtorium, Chalcedonenſis in Eutychen & Dioſcurum: quibus quatuor conciliis œcumenicis Gregorius tantum honoris deferebat, ut eorum auctoritatem pene cum quatuor Euangeliſtis adæquaret. Narro vobis, evadet iſta effrænis audacia in optimi cujuſque deformationem, ſi præjudiciis, ſuſpicionibus, rumuſculis & ſuſurris tantum licentiæ permittitur, ut fama & fructu dignitatis exuantur viri doctrina meritiſque ſpectabiles. Sed de negotio fratrum, & ſacrati gregis, dabitur alias oportunior diſſerendi locus. Multa enim ſunt, nec ad conſtituendam Eccleſiæ pacem infrugifera, quæ ſuper hac re meditatus ſum, quanquam non libenter attracto hujuſmodi vulnera, nec tutum eſt incedere *per ignes Suppoſitos cineri doloſo*. Satis habeo in præſentia quod apud vos, tanquam apud innocentiæ meæ patronos, naturali convitio dolorem exoneravi. Neque enim hæc ea mente ſcripſi ut cauſam dicerem, ſed ut acceptam injuriam expoſtularem. Male mecum ageretur, ſi non eſſem vobis ſine defenſione purgatus & approbatus. Valete, *ô & præſidium & dulce decus meum*. Dabantur v. Eidus Octobris, CIↃ IↃC IX.

EPISTOLA XXXIV.

Ioanni à Wouwer Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

EXſpectas forſitan ut meditato ſermone culpam pertinacis ſilentii excuſem, aut ingenua confeſſione veniam precer. At ego me injuriam facturum arbitrarer religioſi amori noſtro, ſi ad ejuſmodi perfugia diverterer. Vulgarium hominum mos & oratio ſpernatur à literis noſtris, ſicuti in cætera vitæ ſectadamus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

damus operam,ut ſupra vulgum emineamus.Fateor tamen neutri noſtrum, qui ſumma ſequimur faſtigia laudum, convenire ullius officii prætermiſſionem aut negligentiam, præſertim literarii muneris, quod quidem à te profectum maximi beneficii inſtar puto.& video te viciſſim non indelectari noſtra in ſcribendo diligentia. Si tamen, ut aſſolet, non explevero aſſiduitate ſcriptionis aviditatem tuam, quoties ſeſe dabunt occaſiones, imputabis aut blandienti inertiæ quam ſcis eſſe meam veterem contubernalem, aut facilitati tuæ, cujus fiducia facile homini ignavo ſuadet negligentiam. Quidvis denique potius comminiſcere, quam ut de amoris cumulo quidquam deruatur. Sed ne prævaricer, & cauſam ultro prodam, non eſt quod de ceſſatione mea jure conqueraris, niſi communem culpam prius agnoſcas. Nam ſi recte calculum poſui, nec frequentia miſſitandi literarum, nec luxuria verborum poſteriores admodum ſumus. Cæterum hæc putidiuſcula ſunt, nec ad demenſum verba debent exigi, ne ſit ignaviæ colludium, ſi ſermonum vices quaſi ex pacto convento exſpectemus. Verum næ tu ſuaviter delicias agis,& frigido ſane ſchemate cauſam noſtram defendis, quaſi totus ſim in votivo carmine muginando, ut nihil vacui temporis reſideat, quod à tam ardua molitione ſuffurari poſſim.Exercet me quidem interdum iſta cogitatio,nec me unquam piget meminiſſe profuſæ comitatis qua ſum iſthuc exceptus. Quin etiam me judice largiter pecco, nec abſolvi poſſum niſi te advocato, quod tam diu me continui intra ſilentium contra promiſſi fidem, contra fas civilitatis, & officii religionem. Vereor ne ea res mihi pariat apud eos aut ingrati & immemoris animi exprobrationem, aut ſuperbiæ notam. A quibus criminibus velim nos ſuada & gratia tua protegas non tantum fideliter, ſed & cum cura & ſollicitudine, tanquam vehementer eo nomine laborem. Non recipies injuſtam cauſam, nec mentieris pro amico. Nam ſollicitor, & cum una re facillime poſſim mederi huic incommodo, tamen ſolennibus ἀμϐολιεργίαις indulgeo, & cum Albinio, ni fallor, qui olim tactus eſt ſcommate Catoniano, culpam deprecari malo quam carere.Magnam igitur inibis

à me gratiam, ſi virorum optimus Everhardus Eſychius, & ſuadæ medulla floſque populi N. N., quibus licet addas exactam juris limam N., te interprete noverint, nulla unquam oblivione deletum iri memoriam honoris & officiorum; quibus me hominem exoticum & nulla magnopere dote commendabilem, tam benigne ſunt proſecuti. Pene præterii nobile illud par fratrum, è quorum domo tam præclare madulſa abii, vel ſi mavis ſaturitate ebrius. Quod laurum tuum implicari non vis errantibus & ſerpentibus iſtis hederis, mos geretur voluntati tuæ, nec patiar, quod in me erit, Wouwerii nomen promiſcuis commiſſionibus obſoleſieri. Scimus *quid diſtent æra lupinis.* Sed tamen populo & ſcenæ ſerviendum habent, etiam qui imperant gentibus. Et hæc naturæ agilitas non dedecet illuſtres animas, ut ſeſe comiter ſubmittant ad genium ſæculi, ad hominum ſortem, ad rationem civitatis. Modeſtia & moderatio animi nuſquam aptius partes ſuas agit, quam in ampliſſimo virtutum ſuffragio, in ſublimi ſolio dignitatis. Verum, ut me penitus tibi aperiam, majus nunc opus ordiór, ſiquidem à fatali deſidia tantum otii impetrare poſſim. Decretum eſt enim mihi mandare literis memoriæ cuſtodibus ea quæ ad Panegyricum Plinii interdum haud abſurda nobis excidunt, ne fugitiva oblivio, aut invida taciturnitas ſubducat huic homini forte non pœnitendam materiem gloriolæ apud ordinem literarum, & utilitatis apud poſteros. Non me deterret ab hoc incepto, ſed potius cunctanti calcar admovet, quidquid eruditiſſimus Catanæus, Levinæus, & utroque multis rebus potior Lipſius, in eo genere elaborarunt. Video uſu venire magnis viris, ut præ fiducia partæ celebritatis non tantum ſecurius acquieſcant, ſed interdum licentius hallucinentur. Vix ulla recitatio noſtra caret juſta reprehenſione σφαλμάτων Λιψιακῶν cum anteſtatione tamen honoris. Quæ modeſtia & ætatem noſtram decet, & exiſtimationi hominis optime de ſæculo meriti, convenit. Adde quod is τὰ πρὸς ἤθη καὶ τὸ πολιτικὸν parce delibat. nos præcipue ſtadium iſtud decurrimus. Et certe difficiles nugæ Criticorum longe jacent infra dignitatem noſtrarum meditatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ditationum, niſi quod interdum neceſſe habemus, furere cum inſanientibus, ut vafer tuus Petronius monet. Si eventus reſponderit opinioni quam ſpe & animo præcepi, & mecum ante peregi, erit δῶρον βασιλικὸν, καὶ οὐκ ἀνάξιον τῆς βασιλικῆς ἀντιδόσεως. Deſtinavi nuncupationem operis filio regis Britanniarum, ſeu Principi Iuventutis. Sed ſufflaminandus ſum: adhuc enim mea meſſis in herba eſt. Et rem magnam præſtitero, ſi telam iſtam detexere potero intra annum vertentem. Quod ante jeci, ſæpiuſcule à nobis culpari virum illum & à fama & à meritis eximium, nomen mihi perpetua obſervantia cultum & colendum, id ne maligne fieri ſuſpiceris, rem tibi auctorem dabo. Cum enim legerem epiſtolam Nicolai Kellinchuſii, miſſam ad amiciſſimum juvenem, & ſuaviſſimum συμβιωτὴν Cornelium Dalium, reperi hæc verba quæ mihi moverunt ſalivam. *Cl. Ioannes à Woweren* (noſti credo hominem) *Regi Daniæ, optimo & incomparabili principi, optimum quoque & incomparabilem Panegyricum ſcripſit.* Adumbrare voluit eleganti juvenis ingenio elogium Sidonii tui Apollinaris ſuper Panegyrico Plinii, ſed enervatum (ne dicam eviratum) ſcalpello Lipſii & Levinæi, qui quaſi de compacto egiſſe videntur, ut intempeſtiva emendatione ſenſum optime conſtitutum infringerent: ne ſcilicet probus auctor, malignitatis, aut imperitiæ convinceretur, ſi tali medicina caruiſſet. Quid enim ſplendidius, & acutius dici potuit in laudem perfectiſſimi auctoris & operis, quam quod ſcripſiſſe perhibetur Panegyricum incomparabilem incomparabili, id eſt condignam, æquiparandam, ἀντάξιον? at illi vilem, vulgarem, & parvo parabilem interpretari videntur, ut ex correctione conjecturam facimus. Sed magno conatu magnas nugas ago, qui talia chartis illinere ſuſtineo. Fugiebat te ſcilicet hoc horribile ſecretum, niſi commodò doctorem nactus eſſes. Extra jocum, ſi ferens ventus vela Muſarum noſtrarum impleret, libido mihi eſſet parænesin adornare nobiliſſimo Iuvenum D. Frederico Bertramo ab Alevelt, alumno tuæ diſciplinæ, quem pleno gradu ad omnia ſumma ſurgentem fauſtis ominibus incitare, καὶ τὸν σπεύδοντα ὀτρύνειν, θυμὸς ἀνώγει. Sed me

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

curæ multiplices in diverſa rapiunt, & ſuper publicas occupationes etiam privatis exercitationibus diſtringor, ut vix animum ad iſtas ſtudiorum amœnitates appellere poſſim. Si mihi exploratum erit, utrum & quando huc venturus ſit Bertramus, domum contiguam iis ædibus quas inhabito, conducendam curarem. **** **** Boëthiani librum De ſervitute voluntaria ſeu ἐθελοδουλείας nondum à filio ſororis meæ recuperare potui. Monebo illum iterum proximis literis. Iam fere tres menſes ſunt ipſi poſtquam ſoror abiit ad plures. ab eo tempore unas tantum literas ad me miſit. Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum XII. Ianuarii, cIↄ Iↄc III.

EPISTOLA XXXV.

Ioanni à Wouver Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

ITa multa pariter ſeſe offerunt cogitationi meæ, ut præ copia & nimietate, principium ſcribendi evolvere non poſſim. Anguſtiis temporis excludor quo minus ſtylo manum poſcenti licentius indulgeam. Salvus & incolumis huc veni cum conſorte itineris & thalami, quæ te ſolida ſalute ſalvere jubet. Cum Brema diſcederemus, furcifer iſte qui latuit ſub nomine nepotis Baronii, currente rheda oſtentatus eſt oculis uxoris, raptuſque ſimul. Pedes eum dicto citius abſtulerunt. Ac ne quidem tantum ſpatii reliquit mihi violentia & impatiens animus Iunonis iniquæ, ut fugitivum oculis ſequi poſſem. Nam quia ſæpe in ſermonibus eram minatus, ſi unquam impurum iſtum nebulonem offendiſſem, fore ut noxio ſanguine parentarem tot flagitiis & ſceleribus, quibus ſacrum caput alligavit nequiſſimus bipedum: illa, ſive quod attonita ſubito & improviſo occurſu hujuſce monſtri, non erat apud ſe ut animum inſtituere poſſet ad cogitandum, quid tali tempore faciendum eſſe videretur, ſive metuens ne verba in eventum erumperent. Ad ſummam, non invenio quid fecit, niſi quod toto corpore ſuperſtans impedivit ne proſilirem è curru. Certo non mediocri mactus incedebam iracundia, & ardebat animus ἔρδειν πάμμεγα χρῆμα καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Δυ-

Δυστλώων γὰρ παῖδες ἐμῷ μένει ἀντιόωσιν. Teſtis ille ſtratioticus, cujus caput candelabro comminui. Et quæ *multa alia victrix noſtra patravit manus.* Sed hæc prius fuere, nunc uſu facio meum dictum Horatii, *Lenit albeſcens animos capillus.* Divina Nemeſis tradiderat nobis hominem in manum, niſi elapſus eſſet ἡμετέρησιν ἀτασθαλίῃσι νόοιο. Vide quam pulchre mihi conſtitiſſet itineris ratio, ſi periculo & facinore meo compingi potuiſſet in carcerem ſcelerum caput! Tuæ nunc partes erunt, qui apud magnos Dynaſtas gratia & ſuada plurimum vales, efficere, ut diligenti indagine cingatur. Omnino fata præcipitem agunt, &, *Si qua eſt quæ reſtet adhuc mortalibus ægris Intemerata fides*, ad ſupplicium depoſcunt. Vbi ſunt *i bravi amazzatori?* crimen eſt quod ἔτι ζώει καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο. Per aliquot dies Stadæ hæſit, & technas ſuas venditavit populo, ſed non reperit emptorem. Otioſe nugor, cum inſtet hora finiendi. Vale, & quamprimum longiores literas à me exſpecta. Hanc operam ſurripui feſtinanter, ut vides. Suſtenta meam fidem apud D. D. van Bergen, Eſychium, Rolandium, quibus in præſentiarum non ſcribo: iiſque à me & uxore plurimam ſalutem nuntia. Iure autem præcipui ſalveat immenſa patriæ & ſæculi ſpes, alumnus diſciplinæ tuæ, nobiliſſimus ab Alevelt, cum inſigni juvene Nicolao Kellinchuſio & tota veſtra familia. Datum Lugduni Batavorum IX. Septembris, CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA XXXVI.

Ioanni à Wouwer Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

ECce, iterum ad me veniunt literæ cum litigio & querimonia. Patior, imo dolenti faveo. Nam quod tantopere ſtomacharis, & in re comica paratragœdias, amoris deliquium eſt, cujus tener ſenſus in plagam patet, etiam ad leviculas offenſiuncularum ſuſpiciones. Quod autem de frigore ſuſpicaris,

ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

tu *cujus amor tantum mihi ſurgit in horas, Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus*, id temerarium verbum effari auſus es? Ipſa cogitatio tam atrocis flagitii mereba-

rebatur juſtam indignationem, ſi poſſem iraſci. Sed ſane iraſcor, quantum iraſcuntur amantes, ne veniam me poſtulaturum cenſeas. Crebritate literarum eſt, ut nos viceris, at culpam ſilentii garrulitate, infrequentiam literarum intemperantia ſtyli penſamus. Manum de tabula ponere nequeo, cum ſcriptitando videor mihi tecum loqui, &, ut aiunt noſtri Themidis ſacerdotes, in rem præſentem quodammodo deducor, ut ſic haud mediocriter leniri ſentiam doloris igniculum, quo maceror ob abſentis deſiderium,

— καὶ γὰρ μάλα πολλὰ μεταξὺ
οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα.

Plus eſt igitur quod præſtem mihi, quam quod gratiæ apponi poſſit, cum te literis alloquor. Nec vero infrequentiores ad ſigna fuimus, niſi me ratio fugit. Sed hujuſmodi officia quæ utrinque gratiſſima ſunt, inter tales amicos nec ad calculum vocari, nec invicem imputari debent. Igitur ſi forte aſſiduitas noſtra non fecerit ſatis aviditati tuæ, vel occupationes noſtras tum privatas, tum publicas cogita, vel tabellariorum infidam fidem, vel longinquitatem viarum, quibus disjungimur, vel caſus ex tranſverſo incurrentes, quos negant πραγματικῶν παῖδες ullo bonæ fidei judicio præſtari. Denique intra fiduciam pone quidquid humanitus accidere ſolet, dum ſaltem animum expies tam nefaria cogitatione læſi aut imminuti amoris, quem ad imos manes ſanctum & inviolabilem perferam, nec frigida mors finiet hunc ignem. Vides me hîc verſari in tuo foro Petroniano. Cæterum quod de me joco uſurpare amas, te fere unum & unicum exſtare in terris, qui hunc mortalem digne æſtimare poſſis, id ſerio de te pronunciabo, & (ne diſcedam à patre elegantiarum, & arbitro leporum) reddam tibi tuas voces. Sed hoccine verum fuit, ut beneficio N. Panegyricum tuum potius debuerim, quam tuæ liberalitati? Veritus es ſcilicet ne ſtomachum minus aptum haberem ad probe concoquendas ejuſmodi delicias & divitias orationis. At ego quanquam in reliquis merito ac libenter aſſurgo literarum Principi, tamen hac in parte ne quidem ceſſero, ut verius ſimul & candidius de tam inſigni monumento ſententiam ferre poſſit. In Criti-

cis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cis deus eſto, in Politicis vix abſolvi poteſt ob (non audeo dicere imperitiam, ſed ſupplebis per ἀποσιώπησιν.) Malignitas etiam non videtur cadere in candidum pectus. Sed ὅσιον προτιμᾶν ἀλήθειαν, πάνυ μοι δοκεῖ εὐτυχεῖν καὶ σφάλλεσθαι καὶ (ὡς ἔπος εἰπεῖν) παραπαίειν ἐν τοιούτοις. Specimen pravi judicii vides in eo quod C. V. Lipſii politica faſtidioſe traducit, & ludibrii cauſa, ne forte honorem putes, vocare ſolet, *Poca nimeſtra*. At meo puncto, & opinor omnium recte ſententium judicio, palmam obtinent inter omnia viri ſumme de literis meriti monumenta. Sed hujuſmodi myſteria non ſunt enuntianda profanis. Linquamus illis ſuam hæreſim, & intelligamus noſtra bona, quibus ſi taciti paſcamur, habebimus, ex conſilio vafri vatis Venuſini, *plus dapis, & rixæ multo minus, invidiaque*. Verum, ut revertar ad tuam orationem Panegyricam, nolo mihi arrogare eam laudem ut poſſim diſtincte & exacte de ſingulis partibus pronunciare. ἡ γὰρ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα, ut recte & ſapienter definit ſubactiſſimi judicii Rhetor Longinus, qui nunquam dimittit ſedulum & attentum lectorem ſine bonæ frugis proventu, *& cum ſpe divite manat in venas animumque*. Sed iterum digredi videor à propoſito, nec tamen aberro à recta ſemita, ſi obiter virum ſingularem ſaluto, qui certe meretur, ut ob eum viator properus inhibeat feſtinationem. Omnino te hortor, noris familiariter hominem, quod hactenus te ſedulo feciſſe ex erudita præfatione haud obſcure conjicio. Quanquam non ſunt hæc ſcitamenta publici ſaporis; ſed neque nos ad populi guſtum ſapere poſtulamus. Itaque fruere ipſe tuis bonis, & contentus eſto tali Catone, ſecurus unice

Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi.

Miſerum eſt naſci non ſuo ſeculo, ſed conſcientiæ fructus antiſtat facile omnium mortalium vel vanis adulationibus, vel malignis rumoribus. Verum mihi mittas exemplum literarum quas D. Scaliger poſtremas ad te dedit. Ego generoſos impetus, & ardua tentamenta felicis ingenii non tantum laudem apud doctos, amorem apud honeſtos mereri arbitror, ſed admirationem apud peritos rerum æſtimatores, qui legitimam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

eloquentiam præceptiunculis magiſtellorum non circumſcribunt, ſed dignitate magnarum cogitationum metiuntur, ad quas vulgi ſors non aſſurgit. Vividæ & erectæ mentes artium repagula fidenter perrumpunt, & amant ferri libero curſu, ac ſi metam non attingant, præclare tamen voluntatis gloria ſe ſuſtentant, quæ longe potior eſt humili & minuta felicitate eorum, qui nihil arduum & aſperum cogitatione complectuntur. Vnum id doleo, vix ullum idoneum plauſorem huic Roſcio contingere potuiſſe. Nam contumelioſum honorem interpretor laudari ab iis qui ea potiſſimum admirantur, quæ non intelligunt. Sed virtus amplum ſibi theatrum, ſatis una ſibi merces eſt. Non tamen arbitror regem tantis laudibus abundantem, aut certe tam eximie laudatum, nihil gratiæ retuliſſe. Si faſtidis κτήματος δόσιν, at τιμῆς σημεῖον οὐκ ἀπόβλητόν ἐστι, ne iis quidem tetricis qui virtutem propter ſe expetendam, nec ullum extra eam præmium quærendum cenſent. Rolandii negotium jam ante, ſed (ut ingenue fatear) indiligenter commendaram D. Thuano. Non mirum ſi fructum ex ea re non ſenſit. Itaque diligentius ad Servinum ſcripſi. Sed qui libuit tibi delegare alienum nomen, cum ipſe gratia apud eum maxime polleas. Niſi forte aut diſſimulas, aut non intelligis tuas vires, aut compendioſius putaſti per procuratorem experiri. Quod ſi virum illum bearis & munere Panegyrici tui, & epiſtolium adjunxeris, efficies ut clientem expediat, etiamſi capital fecerit. Noſti enim quid tentare ſoleat hominis ambitionem, & quam ſit efficax imo pervicax in iis quæ cum affectu molitur. Nondum ex Zelandia litteras à filio ſororis meæ recepi, nec librum quo continetur tractatus de ſervitute voluntaria. Rumor hîc ſparſus eſt ex relatu principis Anhaltini Pſeudo-Baronium profiteri Philoſophiam in Academia Wittebergæ, ſi quos illic habes *bravi inquiſitori de gli huomini*, vide ut è cubili peſtiferum iſtud animal ad debitam ſibi peſtem protrahatur. Crimen eſt quod vivit. Plurima ſalute ſalvere jubebis ocellum Gratiarum & Muſarum tuum ab Alefeldt, qui ſi huc venerit, οὐ χειρὶ ἀλλ᾽ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ communicabo illi totum Baudium .... Kellinchuſius etiam,

iam, quem valde diligo & plurimi facio, non abibit inſalutatus. Etiam *** heroës non fruſtrandi ſunt dataria ſalute. Lugd. Bat. v. Kal. Febr. cIↄ Iↄc IV.

EPISTOLA XXXVII.

Ioanni à Wouwer Dominicus Baudius S. P. D.

Hamburgum.

IAm, opinor, verſæ ſunt rerum vices. Nam & tu ſilere perſeveras, & ego jure poſſum tuo te ludo lamberare. Nec tamen id facere decretum eſt mihi, ne gratiæ apponam qua in re nihil merear, quod negat eſſe ingenui hominis officium bonus noſter Terentius, oſor aut inſolens aulicarum artium noſtri temporis, inter quas eminet hoc præclarum, & utile ad multas res arcanum, ex omni facto gratiam & gloriam aucupari. Sed ejuſmodi inſaniens ſapientia reſervetur, ſi neceſſe eſt, ſæculo, ſerviat ſcenæ & populo, jactet ſe etiam ſi volet in vulgaribus, fucoſis & ambitioſis amicitiis: ſpernatur autem quam poteſt longiſſime ab adytis noſtræ neceſſitudinis, quæ ſupra omne ſanguinis pignus aſſurgit. Quid enim imputem id genus officii, quod ſine piaculo à me prætermitti non decet, vel hoc unico nomine, quod eo te non indelectari ſentio ex lamentabili ſermone literarum tuarum, qui tantopere commoveris ob infrequentiam noſtræ ſcriptionis

Vt orba natum quæ flet unicum mater?

Sed deſines tandem mollium querelarum, nec tanti facies, ſi ſapis, mortualia gloſſaria, quanti hunc animum quem certo ſcis tibi perpetuo nexu & mancupio endopeditum fore, donec uſurpabo oculis (nam videre pervulgatum eſt nimis) γλυκερὸν φάος ἠελίοιο. De mutua fide benevolentiæ tuæ ſi dubitem poſt tam illuſtria documenta, ſacer inteſtabiliſque vivam. Cæterum, quod alias te rogavi, velim perſcribas utrum huc ſit venturus nec ne flos ille juvenum ab Alefeldt. Quanquam equidem fretus fiducia promiſſi talium virorum, qui nihil æque colunt ac fidem, jam domum conduxi majorem nido, quæque mercedibus anguſtas facultates noſtras, & ſtipendiola multum onerare poſſit niſi munificus hoſpes eam impleat. Poſſem abunde nanciſci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ciſci convictorum, ſed non placent turmales ſtatuæ, ut umbraticus doctor uſurpem ſummi viri magnificam vocem. Nam ſi humilis taberna capere poteſt Thebarum par, quidni cavere debeam ne Baudii domus promiſcuis commiſſionibus obſoleſiat? Vtitur noſtro contubernio probiſſimus juvenis Cornelius van Dale. qui te non amat, ſed perit. Ad Iuriſprudentiæ arcem tanto impetu feſtinat, ut cum Haterio ſufflaminandus eſſe videatur. Habeo & alium convictorem nobili genere, & divite fortuna, Gallum gente, ſed morum indole minime reſipit patriam ἔχουσαν νοῦν μηδὲν ὑγιές. ignoſcat mihi Genius antiquæ Galliæ. Certe nihil in noſtro leve aut inane, nihil fictum & ſimulatum, omnia potius apta ad Germanam gravitatem & ſinceritatem. In ſumma, non

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ,
Οὐ χρυσὸς, χαλκός τε πολύτμητός τε σίδηρος.

verum ſunt mihi duo convivæ

Exigui numero, ſed bello vivida virtus.

Non erunt indecores alumno tuæ diſciplinæ,

—— Nec veſtra feretur
Fama levis, tantique aboleſcet gratia facti.

Accepi Tractatum de ſervitute voluntaria, quem mittam proxima occaſione una cum Heſiodo Heinſii, qui jam recens editus eſt, ſed auctor eum nondum communicavit niſi cum iis quibus dedicavit. Vale, ocelle noſter, & ſalve cum tuis ab uxore, quæ te fert in oculis. Datum Lugduni Batavorum x. Martii CIƆ IƆC IV.

EPISTOLA XXXVIII.

Iohanni à Wouwer Dom. Baud. S. P. D.

Hamburgum.

GEſtio ſcire quam tandem cauſam dicturus ſis tam obſtinati, tam pertinacis ſilentii. Merebaris talionem, ſed lex amicitiæ ſuggerit μὴ μνησικακεῖν. imo noſter ardor contumeliis excitatur magis atque inflammatur, & ex offenſis, ut ille terræ filius à caſu *vinci dolentem crevit in Herculem*, animos & robora ſumit. aut potius ut fortiſſimus heroum Entellus (non

enim me turmales ſtatuæ, non plebeia exempla delectant)

Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat ira.

Non lubet ad calculos ſedere, ſed niſi me ratio fugit, jam tres *volvendis menſibus orbes* lunares expleti ſunt, poſtquam ὐδὲ γρῦ ex cenſu tuo literario in peculium meum venit. Ἐγὼ μὲν ὖν ὐκ ἔσθ' ὅπως σιγήσομαι, licet ætatem indormias blandienti inertiæ ob fiduciam amoris noſtri, quæ tibi tantam negligentiam perſuadet. Non enim cauſam aliam comminiſci queo. Dices, μάλα πολλὰ μεταξὺ Οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα. Delegabis tuam culpam tabellariorum incuriæ, vel infidelitati. Sed ego talia nomina non accipio, ſaltem περὶν ἀμφοτέρων ἀκροάσῃ. Illud enim averruncet Ζεὺς καὶ ἀποτρόπαιος Ἀπόλλων, ut ſonticus aliquis caſus, aut vis major inciderit, quæ tanquam vehemens Tribunus plebis officio tuo moleſtam interceſſionem oppoſuerit. Vtor inſolenti & non vulgari dictionis ſtylo, ut intelligas, me non vulgari iratum incedere iracundia: quam tamen una re facillime placabis, ſi guttulam literarum tuarum aſperſeris. Nam ut irritabilis eſt ſenſus tenerè amantium, ad ſumendam, ita mollis, & agilis ad deponendam offenſionem. Itaque pro peccato magno paululum ſupplicii mihi ſatis erit, imo abſterſeris omnem animo ſcabitudinem, ſi ſcite verba dederis. Non eſt iſtud officium ingenui hominis, inquies. At ita res nata eſt, ut & tibi neceſſe ſit fallere, & mihi ultro libeat decipi. Suffragabor fraudi tuæ & vincar haud ægre proditione mea. Laudabilis eſt, certe non admodum reprehendenda in tali re prævaricatio. Vide quantum faveam victoriæ & abſolutioni tuæ, qui me vinci paratum palam profiteor. Eo inexcuſatius peccas, quo veniam dare promptior ſum:

ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.

Nunc audi caſum mirificum de noſtro illo inſigni agyrta. Fuit per aliquot dies Franickeræ ſuperiori menſe, captavitque illic conditionem profeſſoriam armatus ſolenni impudentia. Nihil enim in eo animali eſt præter frontem ferream, & tolutiloquentis linguæ volubilitatem. Actæ ſunt homini gratiæ, ſed quarum corollarium

rium fuit magnifica & honeſta repulſa, quod tunc temporis non vacaret locus.

O qualis facies, & quali digna tabella!

Si contigiſſet à tam præclaro Catone præcepta virtutis & ſapientiæ juvenibus edictari. Prægeſtiebat mihi animus illo proficiſci, ſimul ac à noſtro Mylio nuntium iſtum acceperam, ut me in diſciplinam traderem huic Eumolpo. Sed ubi non vidit illic eſſe aliud pretium illuſtribus ingeniis, quam inanes gratiarum actiones, ſolum vertit, & ad Mercuriales noſtros Amſtelrodamenſes vorſoriam fecit. Vbi per quadriduum ſine ſpe prædæ moratus eſt. Ego adventi illius certior factus, continuo cum uxore Amſtelrodamum gladiatorio animo advolavi. Sed evaſerat infandum caput, non quidem δίκης ὀφθαλμὸν ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ, ſed vim meam. Prorſus enim decretum erat mihi, vadimonio memet obſtringere, ut nequiſſimam beluam in carcerem compingendam curarem, ut illinc tanquam è promptuaria cella depromeretur ad ſupplicium. Sed poſtea cogitare cæpi, quorſum attinet me privato periculo rem curare publicam? Si ordines quibus tam ſplendide os ſublevit, hanc contumeliam ad animum ſuum non revocant, quid ego me macerem? etſi ſane crimen eſt quod tale ſcelus in terris vivit. Itaque pene eſt ut gaudeam illum effugiſſe. Quod ſi in fatis eſt ut ſonti animâ Nemeſi parentet, malo alterius invidia id fiat quam mea. Quanquam Legatus Bellimontius id unice mihi in mandatis dedit, ut ejus omnia latibula diligenti indagine perveſtigarem. facturum me rem gratiſſimam ipſi Galliarum Regi, ſed in primis Domino de Villeroy, cujus ille fidem & famam atroci calumnia violavit. Sæpe enim mihi affirmavit eum à rege Hiſpaniarum quinque ducatorum millia, à Pontifice duo quotannis accipere. Sed & de Sereniſſimo tunc Scotorum, nunc totius Britanniæ Rege prædicabat, eum Romæ habere ſuos agentes in rebus, quorum opera ſibi gratiam & benevolentiam ejus partis præparatum iret. Verum hæc & alia iſtius furciferi magnidica mendacia ſæpe coram commemoravi. Pater ejus pueri, quem ſtupro polluit, cum ſuperiori anno in hominem incidiſſet, nihil illi objecit quam quod furto telam Came-

Cameracenſem ei ſubduxiſſet, quam poſtea vendiderit Londini, ut ex ipſo ejus hoſpite certo compererat. De nefario ſtupro verbum non fecit, quia ſcilicet erat *un picciolo peccatiglio*, vel ne familiæ dedecus propagaretur: vel (quod magis arbitror) ne magiſtratus de eo crimine cognoſceret. Eſt enim Mennoniſta pater is quem dixi, quibus religio eſt dedignari omnem politicam poteſtatem. Cras Hagam ire ſtatui, & cum Barneveldio heroë loqui, ut ex eo cognoſcam definite & categorice quid faciendum eſſe videatur, ſicubi ſator ille ſartorque & occator ſcelerum deprehendi poterit. Non enim committet quin tandem vulpes ad pellionem veniat. Sed nimis multa de homine nullius pretii. Volo neſcius ne ſis, habitare mecum filium Ioannis Erneſti ab *** hæreditarii in Penskendorp, Walhuſen, &c. conſiliarii apud Electorem Brandenburgicum, viri, ut audio, maxime lauti & opulenti, aiunt etiam egregie eruditum. Habebo quod ipſe judicem ubi reſponderit literis quas ad eum miſi. In filio ut rem loquar, parum induſtriæ, nihil nervorum, ingenium ſtatua taciturnius. Lenta materies & minime digna cui quidquam affricetur ex contagione noſtræ diſciplinæ, niſi quod caret notabilibus vitiis, ſed caret & virtutibus. Ætas tamen in eo flexu eſt, ut facile manum ſequi poſſit. Agit enim annum decimum octavum. Si reſponderet ingenium moli corporis, eſſet unde ſeculo noſtro Catonem cudere poſſimus. Itaque tanto magis exopto adventum lectiſſimi alumni tui. Sed vix arbitror obtinebitur ut à contubernio convictuque tuo divelli poſſit. Vtinam te caperet impetus huc proficiſcendi. Cauſatius id faceres quam ego ignaris meorum conſiliorum ἀῤῥήτων feciſſe videor quod cum uxore mea ad vos ierim. Sed tu horribile iſtud ſecretum noſti cum pauciſſimis. τῷ τέκτονι ἥρωϊ πολλὰ χαίρειν κελεύω. Vos item valete & plaudite. Calepinus recenſui. Datum Lugduni Batavorum x. Kalend. Majas, CIↃ IↃC IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XXXIX.

Iohanni à Wouwer Dominic. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

IVre meo poſtulare videor, ut ſemel ignoſcas Laconiſmo noſtro, quum tamdiu nos pertinaci ſilentio cruciaveris. Abunde tamen purgaſti hanc culpam & copioſa ſcriptione, & antea miſſione pignorum ingenii tui, quæ ſæculo imputaſti, ſed ſæculo parum idoneo æſtimatori tantorum munerum. Quotuſquiſque enim eſt qui hæc capit? At imperiti etiam laudibus extollunt, nec ſugillare audent, quæ ſentiunt in infinitum aſſurgere ſupra ſpem cogitationum ſuarum. Sed contumelioſum honorem, & præficarum næniam arbitror, laudari ab iis qui ne imaginando quidem concipere poſſunt pulcritudinem operis cujus admirationem præ ſe ferunt. Illud vero monſtri inſtar eſt, quod narras περὶ τῆς τοῦ κρατοῦντος ἀνελευθερίας, ἀλαζονείας, ὑπερηφανείας. Quid dicam, neſcio. Omnia infra indignationem verba ſunt. Dignius tamen generoſitate tua fuerit, ſi hæc rerum humanarum ludibria riſu ultus fueris, quam ſi iram præ te tuleris. Ita mos & ingenium eſt τῶν πολὺ δυναμένων, omnia etiam liberrimæ mentis & voluntatis officia in ſolutum accipiunt, & fortunæ ſuæ deberi arbitrantur. Adde quod beneficia quæ magnitudine excellunt, magnatibus inviſa ſunt, eorumque auctores tanquam exprobrantes aſpiciuntur. Sed non eſt mihi nunc otium aut animus philoſophandi. ſupereſt ut virtute noſtra nos involvamus adverſus hanc ſæculi & hominum ſiniſteritatem. Quid præclarius & magnificentius ad gloriam, quid ad conſcientiæ oblectationem gratius & acceptius evenire poteſt, quam ſi reputaveris, inter nomina quæ ſolvendo non ſint habere te χρέος βασιλήϊον? Cognato tuo locus erit apud me, & totum hoſpitium, ut ſpero, cum huc venerit. Iam enim honeſta miſſione donavi duos è convictoribus, quorum ingenia non erant ad genium noſtrum, ſimul etiam compereram eos conſutis dolis domeſticam velut conjurationem iniiſſe, ut reliquos συμβιωτὰς averterent, ſed non invenerunt cedentem materiam. *Longa eſt injuria, longæ Ambages.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ges. Ad ſummam, ſine populi ſuffragio οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο, ut apud Homerum Telemachus. Metuo Ædiles, volo mihi mundas eſſe ædes. Cis paucos dies emigrabit hoc ſeminarium Catilinarum. * * * * * * me libente id factum eſt, nec eo minus illi volo. Eſt enim udum & molle lutum. Sed lenta materies. Patri ejus forſitan moleſtior accidit emigratio filii, quam nobis. Plura cum vellem non potui negotiis impeditus, quæ meo mihi jumento accerſivi. Salve cum tuis à me, uxore & Vandalio, ex quo recens intellexi te ſtrenue apud ejus matrem & fratrem adminiſtraſſe munus, de quo te per literas rogaram. Valde te amo, & in æternum amabo. Datum raptiſſime Lugduni Batavorum xx. Iulii cIↃ IↃc IV.

Epistola XL.

Ioanni à Wouwer Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

INjuriam fecero ſanctiſſimæ neceſſitudini noſtræ, quam olim forte loquetur poſteritas, & inter rariſſima ſæculi exempla recenſebit, ſi ſilentii veniam deprecer ob multiplices curas, quibus in diverſa trahor, ut expedire nequeam, unde prius auſpicandum, & quo denique progrediendum eſſe videatur. Omnino laborioſa eſt & exercita res cupido proferendi ingenii, quam publicam febrem & penitus adhærentem magnis mentibus ejerare non poſſum, etſi vanitatem ejus judicio ſatis complector, ſed aſſentior magno Platoni, qui κενοδοξίαν appellat τὸν τελευταῖον χιτῶνα. Cui ſuccinit pater civilis prudentiæ, & hiſtoricorum eximius, nunquam tacendus Tacitus, quem ut prælegerem ſtudioſæ juventuti conſenſit conſcivitque Senatus noſter Academicus. Abſque hoc foret, non licuiſſet Baudio bene mereri de re literaria. Quid aliud his hominibus acclamem quam illud ἐπιφώνημα Catullianum?

O ſæculum inſipiens, & inficetum!

Quanto melius ſentit Hector ille Homericus,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης!

quaſi non publica utilitas ſuprema lex ſit, quaſi venerabiles iſti, quorum nos ſocietate onerum & laborum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

collegæ ſumus, ſed ſine ſuffragio. Senatores ſine aucto-ritate conſulendi, rectius æſtimare poſſint, *quid ferre recuſent, quid valeant humeri*, quam hic homo de cujus corio luditur. Cæterum, ut ante jeci, tot me circum-ſtant occupationes, tam multa ſimul ordiri meditor ad colligendam gloriolam & nominis celebritatem, ut rem magnam facturus videar ſi nonnullam partem Perſicâ adſpirante pertexere poſſim. Interea, ut vides, quaſi abundans otio, nugas chartis illino, & literis in-fercio quidquid in buccam venit. Hæc allucinatio ſi animum tuum ulla ſuſpicione offenſæ perſtrinxerit, talione mecum experire. Sed quia publica hominum exſpectatio gravem mihi adverſariam conſtituit, quam aut vincere, aut ſaltem diligentia placare decrevi, non eſt mihi integrum in re capitali ubi de ſumma famæ & exiſtimationis certamen cernendum erit, licentius jo-cari. Compeſcam itaque luxuriantem calamum, eo magis quod hic literarum portitor (ignoſce Sidonei-tati) colloquio & ſermone ſuo facile explebit cupidita-tis tuæ ſitim. Novit enim εἰς τὸ ἄκρον ϗ ἀκριβέστατον omnia mea magna, parva, medioxima. Nihil enim ei rerum mearum clauſum aut obſignatum fuit: quem quod amare occæpiſti non ante viſum ob eximium amorem artium optimarum, & præclaram indolem in-duſtriæ, tanto intentius perſeverabis in priſtina vo-luntate, non tantum conſtantiæ cauſa, ſed quia mere-tur optimi juvenis virtus, & probitas, ut mutuum fa-cias ſecum. Non placet ulterius ire per ejus laudes, ne ſpeciem aſſentantis præbeam, profeſſus amicum, aut ne quid delibare videar de judicii tui libertate. Ianum Douſam, qui tam felici conſortio doctrinam cum vir-tute, & ornamenta literarum cum inſignibus nobilita-tis conjunxit, audies & communiter dolebis ad plures iviſſe. Senatus noſter una voce mihi decreverat pro-vinciam habendæ orationis ſuper ejus funere, ſed ita tulit caſus infeſtus, ut tunc abeſſem ab urbe, cum hu-jus rei nuntius ad uxorem venit. Periit mihi pulcher-rima occaſio vel fungendi officio neceſſitudinis, vel exercendi eloquentiam in argumento plauſibili ſimul & maxime feraci. Merito poſſum referre hanc abſen-tiam inter præcipuas fundi noſtri calamitates, per

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quam factum eſt, ut fortunæ vocanti, & ultro invitanti defuerim. Sed deſino querelarum, deſinam & ſcriptionis hujus, quia *nos alia ex aliis in fata vocamur*. Datum Lugduni Batavorum XIII. Kalend. Novembris, CIƆ IƆC IV.

Epistola XLI.

Frederico Sandio Dom. Baudius S. P. D.

Arenacum.

Quemadmodum iis evenire ſolet qui interfuerunt concentibus muſicis, ut in aure circumferant jucundæ vocis modulationem, ita memoriæ & cogitationi meæ obverſantur, & inerrant idemtidem ſermones lepidiſſimi quibus ſuaviter admodum tempora fefellimus apud vos. nec tam me juverunt cœnæ dubiæ, dapeſque magnifico luxu extructæ, quam animo hærentia colloquia, qui cibus & pabulum eſt ingeniorum. Vere vetus illud verbum uſurpare poſſe videor, quod olim (ni fallor) de Platonis conviviis dici ſolitum accepimus, iis non tam corpus quam animum paſci conſueviſſe. Non celabo te: præcipuus meæ profectionis ſcopus fuit ut te præſens affarer, quem jampridem glorioſa fama mihi notum & celebrem effecerat. Tum autem eximiæ voluptati fuit recolere veterem amicitiam cum fonte candoris & inculpatæ hilaritatis Hermanno Haghio, nec non Fontano, quo viro nihil vivit ſincerius, magiſque factum ad priſcam illam ſimplicitatem, ut jure vocari poſſit λείψανον χρυσοῦ γένους. Non inſtitui hoc loco recenſere omnes quos per occaſionem iſtius nuptialis feſtivitatis amicos mihi paravi. ſed tamen inter tam bona & fauſta nomina nefas fuerit ſilentio præterire Iacobum Brunonem, cujus notitiam haud mediocri in lucro deputandam eſſe cenſeo. Sed quo piaculo taceam incomparabile par ſororum tuarum, quibus in ſumma divini humanique juris concordia hoc unicum certamen eſt, utra fratrem magis amet? Ad ſummam, non credo in campis Elyſiis, ubi beatorum domicilium eſſe perhibetur, vivere candidiores animas quam in veſtro Areniaco. Vereor ne ſi plura dixero, videar πρὸς χάριν ὁμιλεῖν & immodeſtis laudibus deterere veri dignitatem,

tatem, loquor tamen uti ſentio, nec unquam ingenium mihi comparatum fuit ad aſſentandum. Sæpius in me deprehenderunt amici nimiam παῤῥησίαν, quam vile & ſervile iſtud probrum adulationis. Non ſum equidem Pelei filius, nec me genuit ἀργυρόπεζα Θέτις θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος: vere tamen illud heroicum Achillis dictum uſu meum fecero,

Ἐχθιστὸς μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζῃ.

Sed de his tantum eſt. Arbitror ad curas tuas pertinere quid princeps bonarum artium Lipſius moliatur. Edidit recens librum de Diva Virgine Sichemienſi quam Aſpricollem nominat, quia ſcilicet indecorum matronæ videbatur ire ſine comitatu. Miſeret me hominis alias optime de ſeculo & re literaria meriti, nec hanc laudem ulla poſteritas illi unquam invidebit, quamdiu doctrinæ nomen in terris exſtabit. Monui rectorem noſtrum Arminium, ut ad affinem mitteret theſes quarum vos vivendi deſiderio teneri certo ſcio. Spes eſt pacatum iri diſcordiolas quæ pravo more & malo exemplo verſantur inter ſymmyſtas, quibus Redemptor generis humani nihil teſtamento legavit præter pacem. Ad id obtinendum, forte non inutilem operam navabo. Vale vir eximie, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum XIII. Iunii CIↃ IↃC V.

EPISTOLA XLII.

Hermanno Hagio Dom. Baudius S. P. D.

Arenacum.

OFficium ſcriptionis uſurpo ſerius quam vel debui, vel opinio tua tulit. Culpam tarditatis excuſabit tuus candor, & tarda reverſio nepotis tui Winandi ab Everwijn, ſumma ſpe indolis ac doctrinæ. Reſcivi ex eo cauſam cur duo illi fratres nondum huc venerint. Obſtitiſſe nimirum incommodam valetudinem patris, quam nunc in ſolido locatam eſſe ſpero voveoque Loci abunde eſt apud nos. abiit enim in Galliam nobilis ille juvenis, quem à melancholia & phrenitide laboráſſe tibi ſignificavi. Gaudeo me liberatum eſſe è domus impedimento. Sed huic Democrito aſſidue citra cauſam ridenti ſucceſſit ἀντίστρο-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Heraclitus, perfunctumque vetere cura excepit gravior ſollicitudo circa juvenem ſummo genere natum, cujus etiam nonnullam mentionem apud te feci cum iſthic eſſem. Filius eſt Comitis Palatini Poloni, juvenis abundans multis virtutibus & pene integer omnium vitiorum niſi humor melancholicus aciem mentis ejus obnubilaſſet: multiplex idea dementiæ tandem in maniam & furorem erupit, adeo ut catenis conſtringendus fuerit. jamdudum nutu præſagiebam fore ut conſors eſſet divi Petri ad vincula. ſed ob familiæ dignitatem, atque etiam hominis cauſa, quem valde obſervo, non audebam publicare quid animus augurabatur. Spem melioris eventus conceperam hoc potiſſimum indicio, quod valde ſe morigerum præbuit decretis medicorum. Norat enim ſuam calamitatem, nec, ut noſter Gallus, remedia tanquam venena abominabatur. Actum eſt ab illuſtri viro Scaligero, & ab aliis nonnullis de accerſendo Anglo iſto ab urbe Amſterodamo, qui olim ſuſcepit curandum Ducem Cliviæ, felici, ut fertur eventu, niſi ex tranſverſo incurriſſet Ieſuitarum factio, qui vecordem hominis animum anili ſuperſtitione infecerunt. Hoc tantum in eo culpatur quod adhibeat medicinam triſtiorem pene ipſo malo. Vellem paulo definitius & exſertius hominem ex tuo ſermone cognoviſſem. arbitror enim eum penitus tibi notum. non deſunt à quibus traducitur tanquam ſycophanta flagitioſæ vitæ, & nullius in arte pretii. ſed, ut ſperamus, non erit opus curioſiori indagine circa hunc mortalem. Quotidie enim meliorefcit generoſi Comitis valetudo, præſertim ex quo cœpit eum curare domina de Cruninge, matrona genere nobili ex familia Kniffhauſen, quæ à majoribus ſuis quaſi hæreditario jure poſſidet exercetque artem proſpere tentatam in perſanandis ægris quibus non eſt ſanum ſinciput. Venit mihi ſæpe in mentem faceta vox quam haud ſemel ex te audivi, nimirum, feliciter agi cum eo medico qui ſupervenit ægro cum jam morbus vergit in meliorem ſtatum. Hoc bonæ iſti matronæ contigit, quæ laudibus in cœlum tolletur, & ſolidam proſperæ curationis gloriam ſola reportabit, ſi cum felici auſpicio extrema convenerint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Ille prorſus in animum inducit, & crebris ſermonibus prædicat, eam Dei dono ſibi oblatam eſſe tanquam numen aliquod ſalutiferum, & auxiliare. quæ perſuaſio non leve momentum habere ſolet ad obtinendam incolumitatem. Dolebone vicem veſtri artificii, an gratulabor fauſtitati temporum quibus contigit, ut arcana penetralia medicinæ fœmineo generi paterent. Quidquid hujus eſt, ego hanc heroinam præ Hallenſi & Sichemienſi diva venerabor, ſi incepta ejus optatam metam attigerint. Cæterum cum diligentius inquiro, longe major eſt proventus inſanorum quam opinabar. non dico ex mente Stoicorum, qui præter ſapientem ſuum omnes fugitivos, exules, & inſanos eſſe arbitrantur, ſed ex communi more & opinione hominum. Permulti, inquam, in hac urbe conflictantur morbo dementiæ, ſive anni tempeſtas & fabarum occultæ vires id efficiunt, ſive hic annus ejuſmodi affectionem epidemicam adduxiſſe potuit. Memini enim me legere apud Lucianum in principio ejus opuſculi, quo de legibus in hiſtoria ſervandis utiliter & eleganter diſſerit, perfacetam rei geſtæ narrationem de Abderitis, eos repente univerſos febri continua fuiſſe correptos, quæ ſeptimo die finiens in quibuſdam cum fluxu ſanguinis è naribus, in aliis cum ſudore copioſo, genuit mirificam & ridiculam animi affectionem, effecitque ut omnes ad poëticandum quaſi inſtinctu numinis excitarentur. Plura volebam nugari in hanc ſententiam, ſed veritus ſum ne & ipſe ex eadem fœcunda ſtultorum gente cenſeri poſſem. Vale & ſalve ab uxore cum cariſſima Coſta. Datum Lugduni Batavorum x.III. Iunii CIↃ IↃC V.

EPISTOLA XLIII.

Laurentio Syllæ Domin. Baudius S. P. D.

Arenacum.

FAcis abundantia quadam humanitatis ut rem magnam impetraturus videaris, ſi florum ſemina quæ ſum pollicitus ad te miſero. Fuit mihi petitio tua curæ ſimul atque huc ſum reverſus, convenique ea de re primarium Floræ candidatum ***, cujus filius apud me habitat. Nulla jam habet ad manum,

num, ſed quo tempore maturuerint ejus Tulipæ, promiſit ſe daturum quod oppido ſatis ſit, & quidem ex ableᴄtiſſimis, arbitrio boni æſtimatoris talium elegantiarum. Igitur ſufflaminanda erit tua cupiditas in finem Auguſti. nec vero quidquam eſt periculi aut damni in mora, quandoquidem hæc ſemina non ſunt committenda gremio almæ telluris niſi principio menſis Decembris. tum autem per aliquot annos erit exſpectandum priuſquam flores enaſcantur. Vſque adeo

—— *nil ſine magno*
Vita labore dedit mortalibus.

Ridebis forſitan ineptias meas quod in re levi & ludicra ſententias effundam. ὡς ἐν φακῇ μύρον. ſed eſt in animo præclara conſuetudo ſapientiſſimi Socratis, qui ex omni occaſione anſam arripiebat hortandi homines ad virtutem. quidni id faciam? præſertim cum aliud ſcribendi argumentum non ſuppetat, niſi forſitan auribus tuis occinam ſolennes formulas me valere, & ut idem tibi ſit ex animo precari. facio id ſedulo, ſed ut in bonæ fidei contraᴄtibus multa inſunt vi & poteſtate judicii, de quibus nihil inter contrahentes nominatim cautum eſt, ita hujuſmodi vota ſi non aſcribuntur conceptis verbis, tamen à benignis & benevolentibus amicis facile ſupplentur. Hoc eo pertinet ut ſi forte omittantur datariæ ſalutationes, quibus familiares epiſtolæ condiri ſolent, ne id incuriæ aut malignitati aſſignetur. Mihi liquet jurare nunquam in vita fuiſſe melius quam in feſtivitate tuarum nuptiarum, non tam ob exquiſita cœnarum ingenia, & ſtruices patinarias, ut loquitur Comicus, quam quod abundabat convivium condito ſermone bono. Vxor jam convaluit à dolore gutturis, & jubet vos omnes, præſertim te cum tua conjuge, plurimum ſalvere, καὶ εὐπραγεῖν. Datum Lugduni Batavorum, XIII. Iunii, CIↃ IↃC V.

EPISTOLA XLIV.

Ioanni à Wouwer Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

ETſi paucis abhinc diebus ad te ſcripſi, tamen flagitium ſit, ſi bonus noſter Niburnius ad vos revertatur incomitatus meis literis. Non enim ita

ſe geſſit ut expers eſſe debeat honeſti noſtri teſtimo-
nii, nec ullum crimen aliud ei objici poteſt, quam quod
affinis fuerit earum rerum quas fert adoleſcentia.
Quid mirum aut inſolens in ea ætate? Quocirca ni-
mium durus & rigidus mihi viſus eſt ſtylus, quo eum
differunt tuæ literæ, tanquam ſi flagitia ejus potuiſſent
viritim diſpartirier, ut loquar cum Comico. Sed apud
deparcos parentes qui cum genio ſuo belligerantur
apex vitiorum eſt, ſi filii in faciendis ſumptibus mo-
dum excedant. Vellem parſimoniæ magis litaſſet, ve-
rumtamen non prorſus periit impenſæ ratio. nam
quamvis argentum ᾤχετο, tamen aliquid etiam hauſit
bonæ frugis ex officina noſtræ Academiæ, quod for-
taſſis progreſſu temporis evadet in ſolidam & matu-
ram virtutis indolem, unde patria meſſem aliquam
utilitatis ſperare poſſit. Non eſt quod ergo magnope-
re pœniteat aviam hujuſce profectionis. αἰσχρὸν μὲν, δη-
ρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι. Redit ſi non ornatus he-
roïcis virtutibus quæ ſpiſſo comparent hac tempeſtate;
ſaltem exutus multis vitiis, & deterſo ſitu ruſticæ inci-
vilitatis, qua ſqualebat ejus ingenium cum huc primum
ad nos venit. Ego ſane illum ex animo amo; & quo-
cunque terrarum abit, comitabitur eum cura, votum-
que noſtrum, ut errata parum prudentis ac diligentis
adoleſcentiæ ſuccedente ſenſim induſtria, & mature-
ſcente judicio ſarciri poſſint. Quod fore confido, ſi li-
berali cuſtodia facilitas ejus muniatur, donec prorſus
habeat vitæ ſuæ modum. Ægre admodum divelli ſe
paſſus eſt à convictu conſortioque noſtro, ſed mos ge-
rendus fuit optimæ matri. Reliquit apud nos ſarcinu-
las & libros, tanquam obſides reverſionis. Sed de ea
re quid ex uſu ſit, vos arbitratu veſtro diſpicietis. Ne-
que nihil, neque omnia indulgenda ſunt ejus volun-
tati. Quamcunque in partem ſeſe deliberatio D. Rum-
pii, tuumque conſilium flexerit, ego ad omnia quæ te
velle ſenſero promptum ſemper paratumque fore me
profiteor, polliceorque. Datum Amſtelrodami XXIII.
Iulii, CIↃ IↃC V.

EPI-

EPISTOLA XLV.

Henrico Rumpio Domin. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

IAm tertium ad te ſcribo, partim incitatus mea ſponte, partim adductus rogatu Iohannis noſtri Nieburnii. Valde eum diſcruciavit animi ſiniſtra ſuſpicio aviæ, quæ quia alterius annulo ſignatas literas nepotis advertit, exinde facili credulitate ſibi perſuaſit, eum ſuo circumductum fuiſſe. Velim, ut eam hac cura liberes, & pro tua prudentia bonam fœminam moneas ut melius opinetur de filio, cujus cottidie modeſtia & bonitas magis magiſque ſeſe mihi probat. Quod certum eſt bonæ mentis argumentum, ultro deliquia naturæ ſuæ libens agnoſcit, & æquiſſimo animo patitur ſe reduci in viam ſi quando deerravit. Etiamſi non eſt ex eo ligno unde exſculpi poſſit Cato aliquis aut Socrates: tamen ſi pergat eo tenore quo occepit, poterit in mediocri laude conſiſtere. Οὐ πᾶσιν ἀνδράσ' εἰς Κόρινθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς. Ego illum & conſilio, & opera comiter juvo quoties mecum ſermones communicat. Non ſum ille laudatus Cæſar, quem conſentiens hominum favor appellavit amorem ac delicium generis humani, ſed ut captus eſt parvulorum, eam laudem maxime affecto, ne quis à vultu aut ſermone noſtro recedat ineruditior. Vale, & nos ama. Datum raptiſſime Lugdun. Batav. VI. Novembris, cIↃ IↃC V.

EPISTOLA XLVI.

Hermanno Hagio Domin. Baudius S. P. D.

Arenacum.

ETiamſi parum aſſiduus ſum in officio ſcriptionis, tamen ſilentii aut oblivionis nomine ſuſpectus eſſe non debeo. Vix enim dies ullus elabitur quin grata recordatione memoriam veteris noſtræ conſuetudinis recolam. Tum autem hærent in animo ſuaves illi & bene conditi ſermones, quibus tam lepide & innocenti hilaritate tempora tranſegimus, dum iſthic apud vos Arnemiæ fui. Nunquam in vita melius mihi fuit. Ab eo tempore junxit me menſa Legati Galliarum cum integerrimo viro, & optimo patriota do-

mino van Heyen, cui mirificum in morem bene congruit cum morum tuorum ingenuo candore. Non arbitror ex omni noſtra nobilitate quenquam vivere magis ad genium antiquæ illius & germanæ ſimplicitatis, virtutis ac fidei: quæ raro nunc in cætibus mortalium conſpiciuntur, niſi forte apud vos domicilium elegerunt, ut de agricolis narrat Virgilius,

—— Extrema per illos
Iuſtitia excedens terris veſtigia fecit.

Hîc ſane fucus & ſimulatio regnat, cujus rei plura documenta ſum expertus. ſed non eſt jam querelis locus, potius gratulari debeo meæ felicitati, quod mihi contigerit tam candidas & innocentes animas noſſe, quales veſtra tellus alit. Nepos tuus Winandus, quem nominari à me nefas eſt ſine teſtimonio admirationis, ita publice privatimque ſuæ doctrinæ ſpecimen edidit, ut laudes ejus verbis exæquare non poſſim, is mihi ſignificavit, nobile illud fratrum par brevi nobis adfuturum. quod quidem mihi & coſtæ pergratum accidit. Valde enim prædicatur & patris virtus, & filiorum non degener animus. Vacabit illis locus, & hoſpes nulla in re honeſtis eorum ſtudiis deerit. ita voveo, & factis præſtabo. Salvebunt à me & uxore tu inprimis cum animæ dimidio tuæ, cum inſigni viro Frederico Sandio, lectiſſimiſque ſororibus, Laurentio Sille cum tota familia, &c. hæc etiam non addita ſupplentur ex bonæ fidei interpretatione. Vale amicorum ocelle. Datum Lugduni Batavor. XVI. Novembris, cIↃ IↃC V.

EPISTOLA XLVII.

Stephano Douſæ Dominicus Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

MIttit uxori tuæ mea conjunx ſpecimen panni, ſeu quocunque alio commodiori nomine voles appellare, particulam, cujus copiam ſibi fieri mandavit. In re mea nihil eſt actum, certe nihil peractum. Quid in cauſa ſit, ſuſpicari non poſſum, niſi forte mihi obfuit Illuſtriſſimi Principis ſuffragium, quaſi non merito virtutis, & honore famæ collectum, ſed exoratum precibus. Atqui conceptis verbis jurare mihi liquet, me verbum nullum commutaſſe cum D. Milan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

D. Milandro, qui fuit iſti rei caput, ex quo pars eſſe cœpi hujus Academiæ. Valde mihi periiſſet omnis anteactæ vitæ labos, ſi degeneri ambitu, & ignava prece paciſcendum habeo ut proſim publicis utilitatibus. Interim ita vivitur, & eo fato natus videor, ut nunquam rem facturus ſim niſi bellum indicam naturæ meæ, & mortalibus palpum obtrudam. Hoc eſt mihi pervincendum, aut forti animo toleranda ſplendida paupertas, niſi oriantur alii Mecœnates qui fortiter ament columina litterarum, & quibus in ſtatuendo de re ſumma fixum immotumque ſedeat illud, *Salus populi ſuprema lex eſto.* De * heroë queri nec fas eſt, nec debeo, priuſquam mihi liqueat quid egerit aut non egerit. magnifice omnia pollicitus eſt, & implevit me ſpei bonæ, ſed *neſcit ſacculus iſta meus.* neque *enim ramenta factus ſum plumea propenſior*, ut loquuntur rationes Quæſtoris noſtri, niſi forte aliquod retentum latet in mente Curiæ. Boni me Semonis Neoſtadii,qui jamdiu de lucro vivit, ex animo miſeret, cujus mens, & illa divinæ particula auræ,magis adhuc languet infractaque eſt quam ipſum corpus. Offendi viſus eſt, cum operam obtuli in ſupplendo defectu ejus quem noſti, tanquam piaculum admiſiſſem: quid faceret ſi dediſſem damnum aut malum? An crimen eſt conſulere in medium & totas vires periclitari ut patriam juvemus? Vtinam tali crimine convictus occidam, ſi eſt ut occidere poſſit qui per virtutem perbitat, ut loquitur Plautus. Atqui magnum animum gerere eum oportebat in hoc extremo actu, vel ob id quod per naturam vix poterit diutius uſurpare gloriam bene de bonis merendi. Quid enim homini in tali ſtatione conſtituto magis convenit quam honeſte decumbere, quod etiam gladiatoribus, infimo generi hominum, curæ fuit? Solon olim Piſiſtrato Tyrannioni indigne ferenti cur ſibi tam audacter obſiſteret, & quærenti qua tandem ſpe fretus id faceret, reſpondiſſe dicitur, Senectute. Sed minus iraſcor ſorti meæ, cum nec tui rationem haberi videam, cui paterna virtus, nobilitas, eruditio, quarum tu laudum hæres es, expeditum iter ad omnia magna conſequenda munire debuerunt. Concludam cum Teucro apud Sophoclem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Φεῦ τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς
Χάρις διαῤῥεῖ, καὶ προδοῦσ' ἁλίσκεται.
Heu quam citatim mortuorum gratia
Ingrata cedit, atque partes deſerit.

Vale, & nos ama. Lugduni Batavorum x v. Februarii, cIↃ IↃc VI.

EPISTOLA XLVIII.

Ioanni à Wouwer Dominicus Baudius S. P. D.

Hamburgum.

GRavis nuncius nos percuſſit de exceſſu viri Illuſtris Benedicti ab Aleveldt. Quam immanem jacturam & publice doleo, & privatim tuo meoque nomine, cui alieno tempore quaſi tempeſtate ſubtractus eſt magnus Mecœnas. Ego etiam non mediocri ſpe excidi, quam conceperam animo ob certum filii adventum. Quem tali caſu afflictum difficulter patietur avelli mæſtiſſima parens, niſi poſtquam dies crudo mærori medicinam fecerit. Ego interim certa expectatione delinitus, & nulla cogitatione mortalitatis, ædes amplas conduxi, ne humilis taberna ſpectaret tam egregium hoſpitem, quem omni laudis exemplo decreveram exornare, ut in eo exſtaret ſpecimen diſciplinæ Baudianæ. Quod quidem eo mihi proclivius futurum ſperabam, quod & fortes creantur fortibus, & quod à tua manu fabrefactus eſt, quem ſingularem eruditionis artificem, & majorem genio ſæculi, non amore, ſed judicio ſemper arbitratus ſum. Certe neminem arbitror vivere peritiorem artis vivendi (qua diſciplina nihil eſt majus) niſi quod furere neſcis cum inſanientibus; quæ tamen in loco ſumma ſapientia ducenda eſt. Paucis abhinc diebus ſignificavit mihi ὁ υἱὸς τοῦ νεωστὶ παρ' ὑμῖν κλιθέντος ὑπάτου. αἰδέομαι γὰρ αὐτὸν νῦν ὀνομάζειν ὥσπερ πρότερον Ἐπαφρόδιτον, ἐπεὶ τούτου πατρὸς εὔχεται εἶναι ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε. Is mihi ſpem fecit, te propediem huc venturum, quo nihil optatius evenire nobis poteſt. Si tamen eveniat, nam quia miſere cupio, formido male. Noſter heros Scaliger lento pene languore nobis ereptus fuit. Quippe σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή. Nunc ejus valetu-

ſetudinem in ſolido locavit ἵλαος ὑγίεια, ſive cum Symmacho mavis, pax Deorum. Euſebius ejus jam affectus eſt, & intra menſem, opinor, forte maturius prodibit in publicum. Vidimus fugiente oculo quæ in te inclementer jacit impurus iſte furcifer Schoppius in præfatione ad notas Apuleianas. Niſi verear manus inquinatas habere; libens luderem hoc luto. Sed ſuſtineo me dum procedat in medium alius ſacer & horribilis liber in Varronem, ubi poſtremus iſte nebulo (ſi qua fides eſt Heliæ Putſchio ad Scriverium ſcribenti) magiſtellum & pædagogum audet appellare virum nunquam ſine honore & horrore nominandum. Quid dicam de tota illa colluvione Lojolitarum, niſi quod exempla cottidiana comprobant, eos qui hoc peſtilenti ſidere afflantur, tanquam ſi Circæo poculo & veneficio contacti eſſent, degenerare in brutas pecudes, imo nocentiſſimos ſerpentes? Vidiſtine unquam ex quo te genuere parentes, imo fuitne unquam in rerum natura jam inde à primordio conditi orbis, tale monſtrum ac portentum ex omni colluvione barbariæ & impudentiæ conflatum, qualis eſt ille qui edidit librum cui inſcriptio *Amphitheatrum honoris*? Sed voluminis, non epiſtolæ res foret plura de bipede nequiſſimo dicere. Deſcendam tamen in hanc arenam, non tam ſponte mea incitatus, quam hortatu ſummorum virorum: præſertim ampliſſimi Præſidis Thuani, itemque Caſauboni, qui talem operam ſerio per literas à nobis efflagitant. *Niſi quid tu, docte Trebati, diſſentis.* Etſi indignus eſt auctor inteſtabilis, in quem tela cujuſquam eruditi diſtringantur, tamen intereſt & literarum humaniorum, & ipſius humanitatis, ut acerbe vapulet confodiaturque atroci ſtylo, non ut habeat pudorem, qui non cadit in hanc verbeream ſtatuam: ſed ut exterminetur è manipulis librorum, quos viritim terit publicus uſus. Redeo ad id quod ante jeceram de tuo ad nos adventu. Per omnes Muſas te rogo, fac nos compotes tantæ felicitatis. Non pœnitebit viarum & laboris. Ego conſpectum tuum & familiare alloquium Picis antefero, qui aureos montes colere dicuntur. Et vero quid in vita dulcius ἢ πιστὸς ἐν κακοῖς ἀνὴρ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

qualem te factis ſum expertus? Iterum rogo, ſi eam mentem tibi Deus, aut urgens aliqua moles negotii conſiliique injecit, ἔπου τῷ θείῳ, nec in minima parte, cur omnes moras abrumpere debeas, repone quod Baudium videbis, cætera forſan haud magni mortalem pretii, ſed tui colentem & amantem inſanum in modum. Multa, μᾶλλον δὲ μυρία πολλὰ ſunt quæ geſtio effundere in tuum ſinum, fide & prudentia mihi perſpectiſſimum. Quod ſi tecum adduxeris, non umbram, ſed clarum illud ingenii lumen, noſtrum Fredericum Bertramum ab Alefeldt, nihil mihi optandum erit, quam ut poſſim μετρίως καὶ σωφρόνως φέρειν τοσοῦτον ὄγκον εὐτυχείας, καὶ ὡς ᾄδει ὁ Πίνδαρος, μέγαν ὄλβον καταπέψαι, ne labar ſub onere tot concurrentium proſperitatum. Sed vereor ne fruſtra has egomet mecum rationes deputem. Interim fruar uſura jucundæ exſpectationis, donec eum amabilem errorem aut exemeris præciſa ſpe (quod abominor) aut grato exoptatoque ſuperventu confirmaveris.

O dii reddite mî hoc pro pietate mea!

Non potero auſpicatius deſinere, quam ſi in tam bono omine finem faciam ſcribendi. Vale φίλτατον κάρα, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum poſtridie Paſchatis, CIↃ IↃC VI.

Omiſeram dicere rem quidem ridiculam, ſed quam tamen te celandam non puto, ſi non aliud, ſaltem ut & ipſe rideas. Lepidum noſtrum ſalaputium aliquoties mihi quaſdam literarum particulas oſtendit, quas acceperat ab Henrico Rumpio, ubi jubebar ſalvere verbis, quæ, ut ille ait, non quærebant cinerem. Sed dum ſollicite cavet, ne reliqua myſteria cognoſcerem, quæ negabat ad me pertinere, notavi mihi quædam verba, unde colligo eum ſignificaſſe ſuis, intereſſe honoris ſui, ut nos aliquo munuſculo proſequeretur, quia ſcilicet bella materies eſt, unde exſculpatur Thales aliquis Mileſius. Sed ad rem errante oculo ſublegi nonnulla, vel videor mihi ſaltem vidiſſe, quaſi jam eo nomine aliquid ipſi miſſum foret. Si per ludum & jocum reſcire poteris quidquid hujus ſit; cave enim quiſquam ſuſpicari poſſit, me tam μικρολόγον καὶ κυμινοπρίστην εἶναι; facies me obiter certiorem. Ego ſaltem affirmo, me nihil

hil accepiſſe. Hoc volebam, neſcius ne eſſes. Nonne beatus es, quod in ea tempora incidiſti, ut tam frugifera ſcire poſſes? Iterum vale.

Epistola XLIX.

Henrico Stapelio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Legi ſedulo formam actus procuratorii ſeu mandati quem ipſe concepiſti. Perſpicue illic complexus es ordinem rerum geſtarum, & æquitatem cauſæ tuæ velut ob oculos expoſuiſti: ſed vitandæ prolixitatis cauſa, multa poſſunt omitti. nimirum principia & fines, ſeu prima & poſtrema verba multorum inſtrumentorum quæ ibi paſſim inculcantur. Scio id fieri ſolere in Germania, ſed in Gallia non eſt neceſſarius iſte labor: præſertim cum copiæ collationatæ cum originali adjungantur. Sufficit ut poſt enumerata nomina præcipuarum perſonarum, quarum nomine procedis, ſubjiciatur hæc clauſula à Notario, *Quorum inſtrumentorum originalia ſolenni more & ritu conſcripta ſignataque mihi ſubſcripto Notario prædictus conſtituens Stapelius videnda & inſpicienda exhibuit*. Sed præcipuum rei ſecure gerendæ fundamentum in eo verſatur, ut reperiri poſſit idoneus fidejuſſor qui caveat adverſariis poſtulantibus *Iudicatum ſolvi*. Nam moribus & conſtitutionibus regni Galliæ obtinet, ne quis extraneus ad agendum admittatur niſi præſtita ea cautione. Sunt quidem nobis idoneæ exceptiones adverſus hanc petitionem, nimirum ut hîc præſtetur ubi cauſa pendet, ut petatur competens dilatio intra quam ſatisfiat deſiderio adverſariorum. & ſi judex aliud ſtatuerit, ut ab ejus ſententia appelletur. Hoc pacto tempora prorogabuntur, & forte interim triumphabis in magno Conſilio. Quod ſi fit, omnis res eſt in portu ſalutis. Verum ad omnem tollendam tergiverſationem, longe ſatius foret aliquam rationem inire, qua caveri poſſet à cive Pariſienſi de judicato ſolvendo. alioqui verendum erit, ne ob defectum cautionis inhibeatur nobis ſtatim litis ingreſſus. De ea re & de tota ſumma quid ſit agendum, diligenter deliberabimus proximo die Iovis: tunc enim, volente Deo, cum Franciſco Petit

aderimus. Vale. Datum Lugduni Batavorum XXVII. Aprilis, cIↄ Iↄc VI.

EPISTOLA L.

Frederico Sandio Dom. Baudius S. P. D.

Arenacum.

Cognatus tuus abunde locuples & idoneus teſtis eſt, quantis hoc tempore diſtringar oneribus negotiorum, neque tamen ullam exiſtimo cauſam aut excuſationem ſatis aptam ac ſpecioſam inveniri poſſe, quæ me à nota deſerti neglective officii vindicare queat, ſi neglexero hanc ſcribendi occaſionem. Quod tam ſollicite te purgas ob alienam culpam, cauſæ nihil eſt. ſed interim non ingrata mihi accidit tua iſta minime neceſſaria ſollicitudo, tanquam argumentum maximi amoris. Domus mea jam plures habet contubernales quam capere poteſt, verumtamen locus ſemper erit iis qui tuæ ſuffragationis prærogativa muniti ad nos viam affectabunt. efficiam omni officio, ſi convictu & domeſtica vitæ conſuetudine non potero, ut intelligas te non fruſtra uſum eo jure quod æternum apud me poſſidebis. De Thomſono, fefellit te nominis ſimilitudo. non enim noſter Richardus optimus virorum hunc ſacrum & horribilem libellum compoſuit, ſed alius gente Scotus, prænomine Georgius, nupere quidem mihi in Angl[illegible] notus, ſed non de ea nota qua ſe poſteritati notabi[illegible] ..n fecit, cum tam inclementer immiſericorditerque, atque etiam, ſi eſt dicendum, prorſus illiberaliter egit cum viro inter pauciſſima ſeculi ingenia multis de cauſis eminenti. cujus quidem delirationes non excuſo, ſed tamen reverentius hominem talem excipi verum fuit. Ego etiamſi centum habeam linguas, tamen nunquam ero diſertus ejus periculo ac diſpendio. ſed quidquid in nobis ingenii eſt, militabit ipſi, & ipſius gloriæ, ſalva tamen religionis & veritatis majeſtate. Arbitror te non ignorare eum ex vivis deceſſiſſe viceſimo ſecundo die menſis præteriti, cum per dies tantum quinque decubuiſſet. placide conſtanterque dicitur peregiſſe hunc extremum vitæ actum. Omnibus bonis flebilis occidit, paucis flebilior quam mihi. tamen quia fortiter

&

& ſevera lege amavi hominem, ſæpe ex animo vovi ut prius iviſſet ad ſuperos, quam ſuas Divas limine protuliſſet. De editione noſtrorum poëmatum jam decrevi non ulterius morari, quanquam multa ſunt ejuſmodi unde poſſint offendi οἱ κεχλῆντες, ſed non dignabuntur eo ſe demittere, ut feriri ſe ſentiant, aut ſentire videantur. Cognatum tuum nunc quidem ob anguſtias temporis commendo ſoli Caſaubono, ſed ita ut ejus opera confidam eum inſinuatum iri multis primariæ notæ viris, ſi id operam dederit. Salvebunt à me & uxore lectiſſimum par ſororum tuarum, Doctor Haghius, Fontanus, Bruno, cæterique quos non pigebit meminiſſe noſtri. Datum raptiſſime v. Kalend. Maias ſtylo novo, c I ɔ I ɔ c VI.

EPISTOLA LI.

Henrico Rumpio Dom. Baud. S. P. D.

Hamburgum.

QVanquam nihil reſponſi ex parte tua ad manus noſtras pervenit, tamen nunquam mihi dubium fuit quin tibi de interiore nota carus eſſem, cujus rei certam fidem fecit caput amicorum meorum Ioannes à Wouweren. Itaque libens perſiſto in priſtina conſuetudine ſcribendi. Vt me noris tui memorem eſſe, futurumque

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Ad hoc officium me alioqui ſegnem & ignavem crebra exhortatione incitat Nieburnius qui magis magiſque ingenua morum honeſtate, & amore bonarum artium ſe mihi probat. Conflictatus eſt per aliquot hebdomadas acri febre, quæ tandem erupit in ulcus circa buccam, cujus etiamnum cicatrix apparet. nunc bene ſe habet, ſed non ſine ope medicorum & pharmacopœorum, quibus ungendæ fuerunt manus collybo. non enim aliter hæc ſacra conſtant. Accepit heri nonnihil nummorum, ſed quibus expungere nomina omnia non potuit, quin multum æris alieni remaneret. Paulo enim largius quædam inſumpſit non quidem domi meæ, ſed apud combibones, & damnorum conciliabula: à quibus jam ſeſe ſubducit, & cum alma ſobrietate in gratiam revertitur. Ad ſummam, prorſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

eſt bonæ frugis, ſi conſtanter ſervet hunc tenorem. Id tibi, quem patris loco obſervat, aviæque gratum auditu fore arbitror. ego etiam quantum hortatu & auctoritate valebo, efficiam ne quid ei ſit commercii cum pravis ſodalitiis, quæ adoleſcentes improvidos illiciunt in diſpendium. Viſus eſt Wouwerio noſtro plane immutatis moribus, & quidem longe in melius. Plura in præſens non addam, niſi ut valeas, & nos ames. Datum Lugd. Bat. v. Maii, ſtylo novo, cIↄ Iↄc vi.

EPISTOLA LII.

Henrico Rumpio Domin. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

QVanquam in tacendi lege perſeveras, tamen ego priſtinam ſcribendi conſuetudinem non omittam. Fruor enim hac perſuaſione, tibi non ingratum & injucundum accidere quidquid iſtud eſt officii. Vellem occaſio ferret ut majori in re teſtari poſſem meam erga te benevolentiam, dicam, an obſervantiam Nam inter cæteras ingenii doctrinæque dotes valde fama & ſermone bonorum omnium commendatur animi tui æquitas & moderatio: quæ virtus rara reperta eſt inter homines tui muneris atque ordinis. Ita enim judicat hoc inſipiens & inficetum ſeculum, eos ſolos vero zelo cenſeri oportere qui intemperanter debacchantur in eos qui iiſdem ſacris initiati ſunt, & in pleriſque ſervant eandem doctrinam extra pauciſſimos articulos, quibus ad liquidum perveſtigandis impar eſt mens imbecilla mortalium. in quibus ſobria ſimplicitas & ingenua fragilitatis ſuæ notitia confeſſioque vincit inanem ſui fiduciam, & periculoſam ſciendi curioſitatem. Sed non eſt hîc locus de talibus rebus diſſerendi. forte ſi mihi juſtam bilem moverint iſta præfervida & ignea ingenia, quæ nihil ebulliunt præter atroces minas & inexpiabiles iras, oſtendam poſteris aliquo publico ingenii monumento, quam hæc parum conveniant cum officio hominis Chriſtiani, cui Servator & Dominus noſter nihil legavit præter pacem ſuam, & caritatis commendationem. Nam ut in maximis tempeſtatibus naucleri ſe à vectoribus haud ægre admoneri patiuntur,

ita ubi tanta res geritur, unicuique viro bono & recti ſibi conſcio jus eſt cum honeſta modeſtaque libertate conſulendi in commune. Sed iterum digredior ab iis quæ conveniunt argumento epiſtolari. Potiſſima cauſa, cur nunc ad te ſcribendum exiſtimarim, accepto ferenda eſt juſtæ poſtulationi Ioannis noſtri Nieburii, qui cottidie magis ac magis in curriculo veræ laudis atque virtutis progredi ſumma ope contendit. In primis autem mihi placet ejus verecunda indoles, & quod benigne gratias agit cum à nobis admonetur ſicubi ab officii ſemita divertitur. Hic enim eſt directus limes ad bonam mentem, æquo animo ferre liberas amicorum voces, nec monitoribus ſeſe aſperum vultu aut ſermone contumaci præbere. Cæterum per aliquot dies valde eum exercuit febris, quæ præter damna moleſtæ valetudinis exhauſit etiam peculium, ut nomina expedire non poſſit niſi liberalior commeatus ei primo quoque tempore ſubminiſtretur, quod haud gravatim factura eſt optima fœminarum avia ejus, ſi commendationis tuæ auctoritas acceſſerit. Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum IX. Maii, cIↃ IↃC VI.

EPISTOLA LIII.

Franciſco Douſæ Dom. Baudius S. P. D.

Vltrajectum.

NEſcio an ex fratre Stephano vel aliunde intellexeris adfuiſſe nobis per biduum Ioannem Wouwerium Hamburgenſem, τὸν olim Pariſiis συμβιωτὴν σου. Ille vero nos ſuo exoptatiſſimo conſpectu beavit, ſed ad breviſſimum tempus, ut nullum in vita agunda mortalibus proprium & perpetuum bonum eſt. Cur enim non etiam obiter ſententias tecum loquar, qui hoc genere unice delectaris, & nos aliquid in eo poſſe judicas. Non eſt quod expectes ut ejuſmodi amabilem errorem tibi demam, augebo potius, & ut nos magis noris, ſcire debes, quandam forte etiam ſano homini optandam phreneſin huic homini incidiſſe tunc temporis, non *cum caletur maxime*, ſed

— *cum triſtis hyems etiamnum frigore ſaxa*
Rumperet, & glacie curſus frænaret aquarum.

Tunc,

Tunc, inquam, nos invaſit Pierius calor, & ſanus furor, quo ſtimulante effudi majorem vim carminum, quam plurimis ante annis. Nunquam magis experimento didici aliquid ineſſe ingenio Poëtarum ἔνθεον ἠδὲ ἐνθουσιαστικόν. nunc purgatus ſum illius morbi, adeo ut ne *mu* quidem Lucilii tui *facere* poſſim ἐμμέτρῳ quidem λόγῳ, & ſermone numeris devincto. nam καλλολογίαν ſi velis me loqui aut ſcribere, citius luſciniolæ defuerit cantio quam nobis verborum copia & tolutiloquentia. Vides hîc exemplum, ſed tamen

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Ne te nugis diutius morer, & ut canone utar apud canonicandum, cauſa quæ me impulit ad ſcribendum majeſtati tuæ fuit, primum quidem amor quo te proſequar *dum ſpiritus hos reget artus.* deinde ſtudium evaporandi nauſeam per literas, quam contraxi ex heſterno Iaccho. nam, ut iterum cum Lucilio tuo loquar, heri

Pulcre invitati ſumus, acceptique benigne.

Hodie ad eadem ſacra redauſpicandum erit. nam hoc mane cum adhuc dominatio noſtra plumis incubaret (ibi enim auguſta ſedes eſt virtutis atque honoris) venit à Scaligero heroë regia Ionæ conjunx, quæ mihi diem dixit in prandio apud ſuum Iovem. Scis hanc generi noſtro innatam eſſe benignitatem, ut nemini negare ſoleam. neque tamen ex Gnathonum proſapia ὅν χομαι ἐστι. imo ſi rex aut legatus ille qui tam opipare os delingit hominibus, nectar ſuum imputet, non tantum mihi fiet acetum, ut loquitur Martialis Scriverii, quanquam is adhuc in morbo cubat; verum πολλὰ κλαίειν jubebo, aut, ſi mavis ſolennem noſtram formulam, tradam dæmonio quidquid eſt uſquam lautitiarum apud omnia fora cupedinum. Sed non poſſum diſcedere à conſuetudine jocandi. Vt tandem ſerio tecum agam, ſcito hanc mihi præcipuam ſcribendi cauſam extitiſſe, quod communis amicus noſter Wouwerius (quidni addam & heros?) ſumma ope me rogavit ut ſi quæ pater tuus, heros extra controverſiam & nunc adſcriptus ordinibus Indigetum, ad Ciceronem annotaſſet, ea huc ad me mitteres. Iam enim adornare editionem illius diſertiſſimi Romuli nepotum. Magno ſum-

ſumptu redemit ab hæredibus, quæ juvenis acri judicio & ingenio eleganti, Ianus Gulielmius Lubecenſis, olim recenſuit ad eum eximium auctorem. Gratiam inibis ampliſſimam non ſolum ab homine tui amantiſſimo, verum etiam ab univerſa gente literaria. Tum autem dedit mihi in mandatis, ut ſi quas habes diſſertationes fratris tui Iani (non eſt fas abire ſine elogio juvenem omni laude majorem. hoc οὐδὲ πάρεργον ἀλλὰ παρένθεσιν dictum ſufficiat) de amore Platoncio ſive Socratico, utrum voles: earum ipſi copiam faceres. Nunc quoniam abunde amici cauſa perorata eſt, dicam etiam qua in re tui egeam. Memini me abs te per aliquot dies habuiſſe hiſtoriam obſidionis hujuſce urbis conſcriptam idiomate Belgico. rogo te ut eam utendam mihi commodes. Omnino eſt mihi in animo egregia oratione & apta ad permovendos animos celebrare memoriam ejus diei quo liberata fuit. non indictus abibit pater tuus, cujus in difficillimo rerum ſtatu fortis & fidelis opera enituit. depoſitum fideliter reddam, & gratas gratias inſuper meminero. Nihil amplius ſuccurrit quod te ſcire vel mea vel tua interſit, niſi ut valeas, &, quando iſta ſeculi diſciplina eſt ut deſidendo homines inaurentur, iſthic conſiſtas donec legitimum deſidiæ tempus expleveris, ut ſine fraude ab urbe abeſſe poſſis. Matri, fratrique plurimam ſalutem verbis meis nunciato. Si qua tibi cum Dominis D. Burchiis notitia intercedit, velim per te ſequeſtrem & interpretem intelligant me illorum doctrinæ ac virtuti plurimum favere. cum Decano fuit mihi ante duos annos amicus ſermo, & virum humanitatis plenum cognovi. D. Cantherus etiam ſalvebit, veteri neceſſitudine mihi cultus & colendus. Iterum vale. Datum Lugduni Batavor. XIII. Iunii CIƆ IƆ C VI.

Oblitus ſum ſcribere, Wouwerium nomine Ranzoviorum miſſum ad Archiducem, & reverſurum intra menſem aut ſex hebdomadas. Si per negotia licebit, aiebat ſe ad te excurſurum; forte dabo me illi comitem. Nunc nihil vos moramur, Patres Conſcripti. Valete, & plaudite. Calepinus recenſui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LIV.

Ludovico Servino Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

VEntus pertinaciter adverſus, ituris in Galliam, effecit ut otium mihi ſuppeteret proſequendi officio commendationis hos inſignes juvenes, quos gratos ibi adventuros confido, qua ſuis virtutibus, qua noſtra ſuffragatione. Simul etiam te rogandum putavi, ut illuſtri gratia tua complecti digneris cauſam quæ nunc adhuc indeciſa pendet coram tribunali Prætoris ſeu Iuridici Pariſienſis Franciſci Myronis; ſed, ut præſagio, devolvetur ad veſtram juriſdictionem interjectu appellationis. Agitur autem de jure fiſci, cujus utilitatibus contumaciter adeſſe debes, ut loquar cum Plinio, ſed tamen ſub bono principe cauſa ejus ſæpe mala eſt & vinci ſolet. quod hic omnino oportet, aut omnis ratio me fugit. Rex enim donavit Mareſchallis de Briſſac & de Laverdin ſortem & reditus annuos quinque millium aureorum tanquam jure albinagii, cum tamen ipſa regis perſona ſit origo & principium obligationis, qui ſi debitum exſolviſſet præſenti pecunia, nihil inde reſediſſet in Gallia quod ex ea cauſa donare potuiſſet. Sed de tota re alias dabitur copioſius diſſerendi locus, nunc tantum te oro ut ſi ea lis ad tuam cognitionem deducetur, quod ſponte facturus es, id impenſius agas, nimirum ne donatio quæ nullo jure ſuſtineri poteſt, redundet in noſtram fraudem ac perniciem; quia, ne quid te celem, mihi iſthic ſeritur & metitur; & quidem ita, ut forte eo nomine ſim ad vos profecturus, ſi cauſa quæ jam in provinciali Conſilio judicata eſt, ſupremo Iudicio terminata fuerit; quod propediem fore ſpero. τὰ καθ᾽ ἕκαστον nota ſunt procuratoribus le Ber & Petit ſeniori, *ne longo ſermone morer tua tempora* gravibus ſemper intenta curis. Si digneberis eos ad colloquium admittere, veteribus meritis incredibilem cumulum adjeceris. Vale, & ignoſce negligentiæ. Datum Lugduni Batavorum x. Kalend. Sextileis, cIↄ Iↄ c vi.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Epistola LV.

Frederico Sandio Dom. Baudius S. P. D.

Arenacum.

Literæ quas recens accepi ab ornatiſſimo tuo nepote, & ab humaniſſimo viro Caſaubono, viſæ ſunt mihi exprobrare diuturnam meam à ſcribendo ceſſationem. itaque protinus calamum arripui, ut interrumperem curſum iſtius deſidiæ, non quod quidquam occurrat, quod magnopere interſit ſcire, ſed uſurpandi officii cauſa, ne ſilentium ſequius interpretareris. Si quis eſt eorum qui publicis muneribus præſunt, quem obſervem & plurimi faciam, in eo cenſu tu es, qui in ætatis vere maturam, & ingentibus curis parem exhibes autumnitatem. Nihil eſt tam amplum & eximium quod iſta indoles ſuſtinere poſſe non videatur, tempora modo ſuppeditent æqua magnis virtutibus. anno ſane & horno nihil percepimus niſi meſſem damnorum ac diſpendiorum. Avertat omen Deus, qui rem Belgicam oculis adſpicit æquis, ſed niſi expergiſcamur, cardo publicæ felicitatis videtur nunc ad fatalem quendam flexum vergere. Spinola vehementius nos fodit & lancinat, quam quicunque πρῴην καὶ χθὲς, ſub quorum flagello vapularunt Belgæ, niſi Ducem Albanum excipias, cujus immanitas fidem prope ſuperavit. Exſpectatur adventus Mauricii heroïs, ſed non pro dignitate priorum adorearum. Penes quos tandem vel animi præſentia vel conſilii dexteritas defuerint, nos Achivi plectimur, inprimis vos, quos periculi propinquitas magis urget. Sed non lubet δυσφημεῖν. *Deus hæc fortaſſe benigna reducet in ſedem vice*, ut ait *Romanæ fidicen lyræ:* in quo bono nomine atque omine deſino: teque opto ſalvere & rem bene gerere. Salvebis à me & uxore cum ſororibus ſingularis exempli, etiamſi olim fuiſſent. reliquos ſupplebis ex bonæ fidei judicio. quicunque noſtri meminiſſe dignabuntur, heic ſalutem adjunctam animo ſaltem recognoſcent. Datum Lugduni Batavor. XXIV. Novembris. CIϽ IϽCVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LVI.

Henrico Rumpio Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

VIx idonea verba ſuppetunt quibus abunde gratias agam humanitati & benevolentiæ tuæ, cujus expreſſiſſima τεκμήρια comparent in tuis literis. Itaque ad priſtinum illum affectum quo te cœpi complecti, ut primum felici auſpicio in notitiam tuam incidi, magnus inde cumulus acceſſit quod me abs te amari video germanum in morem. Sed illud me male habet quod ita videris obnixe rogare ut remittam ſuppellectilem Niburnii noſtri, quaſi eam retinerem in cauſam pignoris. Id vero & improbiſſimum facinus foret, & eſt alieniſſimum à generoſitate noſtræ indolis. Meæ quidem opes ſunt hodie perquam inopes, ſed nunquam eo redigar ἀπορίας, ut me deſerat θυμὸς ἀγήνωρ. Nec vero unquam in animum induxiſſem quidquam ex concredita pecunia convertere in uſus alienos, niſi adverſus improbiſſimum iſtud genus hominum, qui juvenes improvidos emungunt argento. non viſus ſum mihi committere crimen ſi Baudio egenti ſuccurrerem, & illos in diem rejicerem. tamen pœnitebat me audacis facti, niſi poſtquam animadverti te tam humaniter id interpretari, ut etiam ſecundas agere non dubitares. Legi Scaligero eam partem tuarum literarum ubi de Lexico tetragloſſo Schindleri loqueris. Fuit illi perquam accepta reverenda tua de ejus virtutibus ac meritis opinio, tametſi à ſe rejiciebat tam immodicas laudes. Sed qui norunt heroëm, ſciunt illum potius queri quam offendi. Iuſſit ut ſalutem quam officioſiſſimam ſuo nomine tibi nunciarem, eo magis quod me interprete cognovit quam recte ſentires de ſummis capitibus Chriſtianæ fidei. Plura voluiſſem, ſed ita obruor negotiis, ut quo me vertam neſciam. Ignoſces feſtinationi & incuriæ, alias diligentiores erimus. Vale, vir reverende, & ſi forte pervenit ad aures aviæ Niburnii quid heic deſignaverim, effice ne ob id implacabiliter iraſcatur. Datum Lugduni Batavorum, XXVI. Novembris, cIↃ IↃC VI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LVII.

Ioanni Milandro Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

DVm heſterno veſpere typographorum operas recenſeo, qui jam pervenerunt ad carmen dictum virtuti & honori Principis noſtri Mauricii, genius, ut reor, tuus inſpiravit mihi hac nocte eam mentem, ut ſubito calore profunderem verſus quos nunc ad te mitto. In quibus ſi familiarius tecum garrio, quam vel dignitatis tuæ ratio, vel ſingulare meum de tua virtute judicium poſtulare videatur: dabis hanc veniam licentiæ Poëtarum, quibus nihil eſt impermiſſum. Simul etiam illud fac cogites, me nullam è laudibus tuis potiorem ducere, quam naturæ facilitatem, & inaffectatum mentis candorem. his illecebris delinitus indulſi pluſculum mihi. Sed non arbitror opus eſſe ſolicita deprecatione apud eum, cujus judicio forſitan in eo peccare videbor quod non ſæpius utar pari libertate. Vale, & memineris calamitoſorum, captivi & exulis. Cui bono, miſeros tamdiu ſpe metuque torqueri? ſatis jam pœnarum luerunt etiamſi capital feciſſent. pecuniæ tantum res agitur, etſi ut hodie & olim mores fuerunt τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς. Implacata Cæſaris placata eant εἰς μακαρίαν. Nos Belgæ ſumus, gens ad humanitatem nata. nec vero conſtat eos quidquam adverſus iſtam horrendi carminis legem admiſiſſe. &, ut optime ſcis, ipſi creditores ſumma ope hoc agunt ut liberentur & vivant. Iterum vale. Datum Lugd. Bat. VII. Martii, CIƆIƆCVII.

MIlander, alti dextra Principis manus,
Vir perſpicaci mente, conſtanti fide:
Morum lepore, & comitatis gloria
Secunde nulli. vera ſi nobis Sami
Refert alumnus, priſca Lælii Venus
Migravit in te, pectorique ſe tuo
Transfudit omnis: nec minore dignus es
Ab eruditis æſtimari nomine.
Virtutis ille Baudius cultor tuæ

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Non nuperus novuſque, ſed longo tibi
Perſpectus uſu, pulſat en tuas fores
Non ſolus; aut ſtipante Muſarum choro,
Quæ virginali te modeſtia rogant,
Vt detur ipſis aditus ad fortiſſimum
Heroa, quem miratur orbis, & ſtupet
Mars ipſe, dum per agmen hoſtium ruit
Equo fremente vectus. his cura tamen
Intentus aures audet impartirier
Mentemque chartis, nec ſacros vates fugit,
Qua gente vivit innocentius nihil.
Hoc ſi boni favore conſequar tuo,
Gratum vicıſſim munus exſolvam tibi,
Non quale Cyclops ſpondet hoſpiti ſuo:
Sed invocatus hoſpes, ut muſcæ ſolent,
Aut ad reliquias, aut ad integras dapes,
Repente ſiſtar, ne moratorem putes,
Neu lite mulcter contumaciæ reus.
Vltro advolabo, non ut expleam famem
Luxu ciborum, non ut exſtinguam ſitim
Liquore Bacchi: Bacchus etſi me juvat,
Nec ſola Cypris abſque Libero patre
Friget, ſed omnis cœna temeti carens
Caret jocorum partis optimæ ſui.
Verum haud edendi vel bibendi me tenet
Cupido tanta, quam tuis ſermonibus
Vt intereſſe detur. hæc vita eſt mihi.
Placet-ne lex, an impudentiæ pudet?
Placere opinor, ſic tuus jubet favor
Sperare. ſed ſum fronte perfricta nimis,
Quod tam licenter audeam viro gravi
Dictare, legum doctor ex umbra & ſchola
Repente factus, alter aut Numa, aut Solon.
At, ne parum me noris, ecce nunc recens
Iuris Profeſſor ambulo. talem decet
Dictare jura, munus exſequor meum.
Parebis ergo, ſi ſapis, legi, & malo
Cavebis, hoc te, ne quid imprudens ruas,
Monet volens amicus. hoc tibi expedit.
Sed ecce rurſus inſolens prætervehor
Fines pudoris. hanc mihi licentiam

Largiris

Largiris ipſe, ſi quid offendi, tuis
Hoc omne crimen imputato moribus.

EPISTOLA LVIII.

Ioanni à Wouver Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

NVnquam minus evolvere poſſum animi cogitationes, & reperire principium ſcribendi, quam quum nimis ampla materies exuberat. Τόσον δέ τι μοι ξυμβαίνειν τυγχάνει οἷόν φασι πεπονθέναι ἐν ᾅδου τὸν ἐνδεοπλούσιον Τάνταλον. Equidem ſi impræſentiarum morem animo gerere vellem, tanta rerum copia ſuppetit, ut neſciam

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω.

Ordiar à Niburnii negotio, cujus omnia nomina diſſolvenda ſuſcepi, & pleraque jam expunxi. Sed ut alias ad te ſcripſi, in ſubducendis rationibus fuit error calculi, prætermiſſumque per incogitatum caput quinquaginta noſtratium florenorum. Significavit mihi jam pridem Dn. Rumpius ipſam Niburnii aviam conſenſiſſe, ut huc ea ſumma mitteretur. ſed quia nihil hac de re ſcriptum eſt ad Hans de Wolff, negat ſe quicquam numeraturum. Velim itaque roges Rumpium ut memor ſit promiſſi. Non gravarer de meo ſummam iſtam repræſentare, ſed nunc ſum, ut ſæpe alias καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, in ſumma difficultate nummaria. Spe tamen opima ſuſtentor, & (ut auguria portendunt) brevi à Regibus & Principibus inaurabimur. Quamvis homini meæ ætatis, & nonnullius in rebus humanis experientiæ, parum convenire videatur, ut credulitate ſe ineſcari patiatur: tamen libenter animum oblecto jucundæ opinionis palpo, ut ſi ſortem non conſequar, ſaltem uſura interim fruar. Experiendo didici & quotidie diſco, nihil eſſe feracius ingeniis, ſi aſſidua meditatione pectus exerceas,

Nec ſegnem patiare ſitu torpeſcere campum,

ut obiter uſurpem verſum Virgilianum. Non arbitrabar me tam divitem eſſe Poëmatum, hoc eſt, ut nunc mores ſunt, offenſarum, & penuriarum. Dum adornatur editio, ἐξ ὑπογύου ſubnata ſunt nobis duo millia carminum. Pleraque quidem expreſſa cogente officio

aut

aut ſtudio bene merendi de bonis. Sed tamen forte non deſtituentur genio pro captu lectorum. Neque enim omnibus omnia placent. Quæ mihi minus adlubeſcunt, ea forſitan plurium ſuffragio plauſum merebuntur. Ad ſummam, videbis propediem magnum librum, δηλονότι μέγα κακὸν, in quo ut in Ægypto φάρμακα· πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Multa etiam paſſim occurrent oratione proſa, quibus non indelectabuntur humani lectores. Sed horrifica dictu ſunt quæ in Lojolitas, in editorem Amphitheatri, in impuriſſimum Schoppium ſtringimus. atque utinam hoc fine ſeſe cohibuiſſet ſtyli noſtri procacitas. ſed in Pontificem, in Philippos, in Archiduces, in partium duces evomit virus acerbitatis ſuæ, nec parcit ipſi Liligero regi. Nam de Tragora, de Typhæis, & ſimilibus hominum nugis, cauſa non eſt cur cauſam dicam. Illud certò perſuaſum habeo, non arbitrariò magnum nobis nomen in mundo paratum fore; ſed & malum, conjunctumque cum multorum offenſione. Nec hac via perveniam ad invidendas opes, ut Agens noſter, qui recens emit, idque non cæca, ſed oculata die, ut loquar cum lenone Plautino de homine conſimili, dominium centum millium florenorum. Statim ut nuncius iſte horribilis aures mihi verberavit, incenſus ſum libera & juſta indignatione, nec imperare potui dolori, quin ſe protinus aliquot Iambis ulciſceretur. quos, quia forte non edentur, heic intexui.

Ὃς πορνοβόσκου πατρὸς εὔχεται γεγὼς,
Μητρός τε πόρνης, αὐτὸς αἴσχεσι βρύων
Τὴν εὐγένειαν οὐκ ἀτιμάζει γένους,
Ψεύδης, πανοῦργος, συκοφάντης, καὶ κακῶν
Πάντων κάκιστος, οὐχὶ θαυμάζειν χρεὼν
Εἰ πλοῦτον εὗρεν, ὡς σφόδρ᾽ ἐστὶ συμφέρον
Τὸ μηδὲν ἀσκεῖν ὑγιὲς ἐν τῷ νῦν χρόνῳ.

Lenone qui ſe patre jactitat ſatum
Lupaque matre, ſermo quem verax fugit,
Qui ſic probris abundat, ut ſat & ſuper
Sit quod viritim dividi populo queat:
Hunc obſtupendas poſſidere nunc opes
Non eſt quod aut miremur, aut quiſquam fremat.
Hæc namque ſors eritque ſemper & fuit

Vt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Vt improbi ditentur, aſt egeant probi.
Bonæque mentis illa paupertas ſoror
Vix linquit unquam contubernales ſuos.
Sed præter ingens conſcientiæ bonum,
Cui comparari gaza Perſarum nequit,
Hoc erudito pauperi ſolatium eſt,
Quod vix beatis eſſe ditibus licet.
Quos continenter urget augendi fames,
Rei tuendæ cura, perdendæ metus.
Hos omnis aura terret ac vetat frui
Dono Deorum. ſemper imminens novis
Avara mens, & ardor haud explebilis.
Vt ille pomis incubat vigil Draco,
Nec guſtat hilum, ſic cupido divitis
Egena vivit inter aggeſtas opes.
Quid quod parata gaza pravis artibus
Nunquam diurnat? aut latrones involant,
Aut occupat hæredis ignoti manus,
Nepoſve luxu lauta patrimonia
Vexatque, diripitque, verritur foras
Aurum omne, mundas eſſe vult ædes ſibi,
Ne ſit quod uſquam offendere ædilem queat.

Sed, quæ, malum, nova religio mentem inceſſit, ut parcam abortui fortunæ jocantis poſt tot effoſſos atroci ſtylo principes & dominos terrarum? ἐπέχω. Et fors erit ut etiam apud poſteros mihi ſupplicium det bipes nequiſſimus,

Ab ore cujus pavida veritas fugit.

Hæc arcana imperii non erunt nota niſi ipſi, & paucis qui eum ex unguiculis norunt. Cupio autem hominem ita feriri, ut ſe vapulare ſentiat. Eſt etiam quod ſcilicet permagni tua ſcire interſit, nempe honoratum eſſe me novæ profeſſionis auctario, & ad ſolenne penſum hiſtoriarum acceſſiſſe Iuridicam facultatem, ita ut & Lipſii vices expleam, & Donelli ſucceſſorem Academiæ redonare debeam. Sed laſcivia ſtultorum adoleſcentium ſuſcitata flabellis collegarum, qui fremunt, me nuperum, novitium, alienigenam, deſertorem & transfugam illarum artium ſibi præferri, qui tot per annos laudabiliter hunc campum decurrerunt. Per ejuſmodi igitur turbarum artifices ſuſcitata cupida Legum juven-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tus ſcilicet de compacto ſtatuit me inauditum, indefenſum explodere, nec ullo modo pati ut tantis luminibus ſeculi novitas & ignobilitas noſtra miſceatur. Iocari me putas ſolennia. Sed Delphis non Leidæ tibi dictum hoc putato. Poſt has ferias loco benevolæ attentionis, & docilitatis expectanda mihi eſt imperitorum adoleſcentium exploſio. Niſi quis inopinus caſus dementem eorum mentem ad ſanitatem revocarit. Nam ad me quod attinet, emori malim οἰκτίστῳ θανάτῳ, quam ut votis aut precibus impetrem, ne mihi aures impartiri dedignentur. Si parum credis orationi ſolutæ, crede vati proferenti oracula ſermone bilingui:

Corde neſas meditantur ὑπέρβιον ὕβριν ἔχοντες,
Turbaque laudis egena νέων ὑπερηνορεόντων.
In caput hoc jurant, καὶ ἀτάσθαλα μηχανόωνται.
Quorum Therſites vexillifer εὔχεται εἶ),
Militiæque caput, τῷ δ᾽ ἀφραδέοντες ἕπονται.
Non pudor aut probitas, οὐ σφὶν νόος οὐδὲ θεουδής,
Sed vigor in ſtrepitu, καὶ ὅτι ποσὶ κάππεσε θυμός.
Quid ſuades faciam? φέρε Γερόπε μῆτιν ἄρεσε.
His ego ſim ſupplex? θανέειν πολὺ κέρδιον εἴη.
Talis enim furit ira, μίνυνθα γὰρ, οὔτι μάλα δήν,
Nec metuenda viris οἷς ἔμπεδον ἐν φρεσὶ θάρσος.
Ibo animis contra, τολμᾶν δ᾽ ἐμὲ θυμὸς ἀνώγει.
Certus enim jubet auctor ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης,
Magnanimus Mylius οἰωνοπόλων ὄχ᾽ ἄριστος.

Non fruſtra auctorem laudo Mylium noſtrum; is enim fuit huic rei caput, & ita commovetur ſenſu noſtræ injuriæ, ut omnes adverſarios noſtros potius ordine moturus ſit, quam paſſurus auctoritatem ſuam & exiſtimationem noſtram parvipendi. Non amat ille me, ſed deperit. Eaque res mihi præclaram famam apud bonos, ipſi atrocem invidiam apud equites vernas creat, quod Poëtæ, Oratori, Hiſtorico, ſed nihil minus quam Iuriſconſulto tantopere faveat. Nunc hoc agitur per factionis duces, ut honorarium conſequar quantum Curatores Conſuleſque nomine utriuſque profeſſionis decreverunt, ſed hac lege ne in alienam meſſem & extra territorium ſuprave juriſdictionem jus dicam. Quanquam eo res devenit, ut non ſit mihi integrum, deſerere

deſerere aſſignatam ſtationem, tamen pacis & concordiæ cauſa, non gravate amplectar beneficium ſine cura. Sed non facile perſuadebitur hominibus noſtris, quorum ea de re ſtatuendi jus, pontificiumque eſt, ut tanta liberalitate proſequantur fucum ſedentem immunem ad aliena pabula. Vides quibus heic curis exercear, quas tamen habeo pro oblectamento. Quod ſi mihi liceret arbitratu meo inimicitias teſtatas exercere, oſtenderem qui vir ſum. Sed quia inſidioſa ſimulatione obſervantiæ, me palam complectuntur iidem illi qui per cuniculos oppugnant, ea res efficit ut hebeſcat acies generoſitatis noſtræ. Huc accedit quod vehementer ſum rogatus ab ipſo Mylio, cujus nutu dicta conſultaque mea gubernantur, ne adverſariis ullam inſectandi materiam aperirem, ſed omni comitate ac commoditate morum darem operam, ut exulceratas mentes delenirem. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Salaputio diſerto carmen miſi, ne ejus videndi deſiderio oblangueſceret. Quod me hortatus es non ſemel ut aliquo monumento teſtarer meam obſervantiam erga illuſtriſſimum principem Henricum Iulium, Ducem Brunſvicenſem, cupio omnia quæ vis, & dominus opus habet ſubſidio, ſed nimis pelluceret petacitas. Deinde vel ominis cauſa relinquendum aliquid reſidui, ne videar in uno opere vires omnes abſumpſiſſe, καὶ ἐκτετοξεῦσθαι πάντα βέλη. Poſtquam ero liberatus hac editionis cura, vacuus accedam ad contexendas veteres telas, quas pridem ſum exorſus. Fors & vitioſa libido mihi faciet auſpicium, ut etiam in Iure aliquid audeam. Nuſquam ſpatioſior campus ad exædificandam famam patet. ἢ οὐκ ἀΐεις οἷον κλέος ἔλλαβε Dionyſius Godofredus? quo merito, niſi quia *ſarcinator eſt probus, ſuere centones novit?* Ego quanquam ſum delicatiſſimi & faſtidioſiſſimi judicii, tamen quando hic directus limes eſt ad opes & gratiam, inſanire decrevi cum furentibus, & tale quid imaginari:

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Ni facio, contumelioſus erit honos laudari à Poëſi. Nam ut te non præterit, hæc fatua, ſtulta, delirans opinio penitus inſedit maximæ parti mortalium, ut poëtam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

putent eſſe animal ineptum ad reliqua omnia, nec magis idoneum rebus gerendis, aut civilibus curis, quam aſinum ad lyram, aut canem ad arandum. Faxo, ſi vivam, ut eos dementiſſimi erroris pigeat. Redeo ad Nieburnium heroëm, cujus generoſitati multum obſtrictus ſum, quod eum jacturæ noſtræ miſereſcat. Sed ut pariter mecum in dolore gaudeat, ſcito furem Vltrajecti affixum fuiſſe patibulo. Verum non ideo ſum *ramenta factus plumea propenſior.* Nam ut male parta pejus dilabuntur; omnia quæ rapuit iverunt cum ſuo ſibi domino εἰς κόρακας, nihilque præter miſerum ultionis ſolatium ſpoliato legavit. Mallem viveret tantus artifex, ea tamen lege ut ablatum ſeu res amotas recuperaſſem. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Nepotem tuum non opus eſt ut magnifica oratione commendem, ſpero fore ut in omni vita ſecum ferat odorem loci & monumenta conſuetudinis Baudianæ. Credo jam vobis famam indicium feciſſe de induciis, quæ vereor ne nos inducant in fraudem. Luditur heic de corio eorum, *qui nidulantur Hadriaticis ſtagnis.* Perſuaſum eſt pleriſque, Archiducem cum conjuge ſerio pacem cupere, tædio tot ſumptuum & laborum quibus ad imponendam bello ſupremam manum nihil proficitur. Sunt qui ſuſpicentur eos capitali odio cum Hiſpani Regis Conſilio diſſidere. Mihi non ſit veriſimile, ſed colorem quæri puto, qui circumveniatur Batava credulitas. ἀλλ' οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ, quid ſtultorum regum & populorum æſtus interminetur. τίς ἐςι δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν; Hoc commodi reporto ex aſſidua tractatione ſtudiorum, ut nihil me magnopere terreat quod homini accidere poteſt. Altius animum meum penetrat ſollicitudo, qua ratione poſſim compeſcere tribunitios furores eorum, qui tantum in ſe ſcelus conceperunt, ut Baudium ſtrepitu pedum à legendo, quaſi anſerem à frumento, depellere moliantur. Sed confido fore ut quum in rem præſentem venietur,

Refugiat timidis ſanguen, atque exalbeſcant metu.

Nihil faciam me indignum, ſed aut gravitate orationis eos in modeſtiæ ac ſilentii gyrum compellam, aut protinus faceſſam è ſuggeſtu, nec dignabor inertiſſimos adole-

adoleſcentes mea indignatione. Germani, Poloni, & Galli omnes ad unum ſtant à noſtris partibus, & hæc militiæ flagitia palam aſpernantur, parati etiam dimicationem ſubire pro aſſertione noſtri honoris. Sed decedam potius à civitate, quam ut cuiquam periculum impendeat mea cauſa. Mylius noſter tali tempore non deerit mihi, cujus auctoritas per latus meum vulneratur. Plura nugari volebam & his ineptiora, ſed eſt modus matulæ, καὶ μηδὲν ἄγων ἄγαν με τέρπω. Vale noſtri memor εἰς αἰῶνα. Scribebam Lugd. Bat. Prid. Non. April. cIↄ Iↄc VII.

EPISTOLA LIX.

Hermano Hagio Dom. Baudius S. P. D.

Arenacum.

NOn dubito quin tibi gratus & jucundus ſit futurus adventus reverendi viri * * tum ob eximia ornamenta virtutis atque doctrinæ, quibus ab omni parte feliciter inſtructus eſt, tum quia veniet ad vos comitatus noſtris non audeo dicere Muſis, ſed tamen operibus poëticis, quæ jam in magnum volumen excreverunt, hoc eſt, ut Græcorum proverbio dici ſolet, in magnum malum. Spero tamen fore ut iſti monumento, ſi non ex animi ſententia, ſaltem auctoris gratia ſuffrageris, quem antiqua fide amas, & cujus morum atque ingenii indolem poteris agnoſcere in hoc munuſculo. Quum ab ægrorum cura feriari licebit, bona cum venia Hippocratis & Galeni largieris aliquid vacui temporis huic innoxiæ remiſſioni animorum, nec pigebit etiam manum admovere iis quæ adoleſcentuli effudimus: parum digna quidem hoc ætatis decurſu, quæ jam vergit ad flexum non intellectæ ſenectutis: ſed amicis mos gerendus fuit, qui nihil mearum ineptiarum ignorari voluerunt. & præcoces fructus amari ſolent, in quibus eſt bona ſpes ſecuturæ fœcunditatis. Vale. Datum Lugduni Batavorum poſtridie Kalend Sextileis, cIↄ Iↄc VII.

Salvebit à me D. Sille cum uxore & ſocero, tuque cum coſta tua, & quiſquis noſtri meminiſſe dignabitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LX.

Frederico Sandio Dom. Baudius. S. P. D.

Arenacum.

VTinam comes ire potuiſſem eximio viro D. Arminio noſtro ad vos proficiſcenti! Nihil enim mihi magis in votis eſt, quam iterum uſurpare fructum ſuaviſſimæ conſuetudinis. Sed hoc tempore negotium tale incidit, ut mihi excurſu ſit opus in Galliam, dum feriæ nobis otia donant. Interim ne vobis otium ſit moleſtum, rogavi humaniſſimum Collegam ut non gravaretur ſecum itineris comites deferre aliquot exemplaria meorum carminum, quæ tanquam effractis clathris liberalis cuſtodiæ, in lucem eruperunt, ut ſe committerent judicio publicæ exiſtimationis. Forte apud benignos & æquos ingeniorum fautores aut boni nominis famam, aut facilem offenſæ veniam impetrabunt. ſed plumbeas iras geret tota natio Loiolitarum Ieſuitarum, quæ paſſim vapulat, & quidem jure optimo. quo nomine gratiam auctori deberent, ſi quis illis eſſet ſenſus rerum honeſtarum. ἄλλ' οἷσπερ οὐδέν εἰσιν, οἷς τ' οὐδὲν μέλει. Beſtiarius ille editor Amphitheatri etiam ſentiet ſe peti, niſi elephantino, aut potius Arcadici pecoris corio contectus ſit. Scoppius non intactus abivit, monſtrum ex omni ſpurcitiarum & ſcelerum colluvione concretum. Non eſt mirandum ſi modum non teneo in inſectandis ejuſmodi furciferis, adverſus quos non poteſt peccari niſi manſuetudine & clementia, tametſi in eos omne virus acerbitatis effundatur. Culpam itaque non deprecor ullam apud vos, qui vapulantibus favetis, ut cum Petronio loquar. Hoc ſolum vos obteſtor, ne præ ſtudio nimis æſtimetis hæc talia, quibus abunde honorem habitum iri arbitrabor, ſi *non ignava legentes Otia delectent admoneantque mei*. Neque tamen deſpero multa paſſim occurſura, quæ vel φιλομαθεῖς inſtruere, vel πολυμαθεῖς oblectare poſſint. Videbis inter alia me non fuiſſe immemorem obſervantiæ, qua præclaras dotes tuas colo. ſed vereor ne quid offenderim, dum demereri ſtudeo. tu tamen pro cætera tua comitate & pro eo jure familiaritatis, quam mihi tecum eſſe voluiſti,

luiſti, feſtinatum munus æquo animo interpretaberis, & mentem donantis potius expendes, quàm doni pretium atque indicaturam. Vale. Datum poſtridie Kal. Auſt. cIↄ Iↄ c vii.

Epistola LXI.

Dom. Baudius Nicolao à Vechta S. P. D.

Hamburgum.

BRevior ſum quam oportuit poſt pertinax ſilentium & quàm forte ſperaſti. ſed hoc temporis articulo tam multiplices curæ me circumvallant, ut quo me vertam, aut quid primum aggrediar incertus ſim. Adde, quod non conſtat mihi ubi nunc terrarum agas. ubicunque autem ſis, ſcio te vivere noſtri memorem, nec unquam nomen Baudii ex animo tuo dilapſurum. Ego viciſſim mutuum faciam tecum, nec poſteriores feram in pulcherrimo certamine benevolentiſſimi affectus. Erit tibi ſpecimen hic libellus, quem non deſpero felicibus auſpiciis triturum viam perennitatis. Cras paro iter in Angliam, ut experiar an Regi ſit animus intelligens ingeniorum, & ea liberalitas quæ famâ celebratur. Vale. Datum Lugduni Batavor. iv. Sextileis, cIↄ Iↄ c vii.

Epistola LXII.

Dom. Baudius Nicolao à Vechta S. P. D.

Heidelbergam.

ALiena culpa factum eſt, amice ſingularis, quod ad te literæ meæ perlatæ non ſint. Nam ut primum tuas accepi, protinus ad eas reſpondi. ſcis quam non ſim indiligens in eo genere officii uſurpando, etiam adverſus ignotos, qui blando quodam opinionis errore, & ſuffragio famæ lenocinantis illecti, nos ad amandum provocant, nedum ut partibus meis deeſſe velim erga eos qui mihi ab ipſo Iove Hoſpitali quodammodo traditi fuerunt, & ab interiore uſu conſuetudinis ſuo jure præcipuum in amicitia noſtra locum obtinere debent. In eo cenſu tu es, eriſque donec eruditionis gloriam adamabis, & virtutis amorem præ te feres, quia nihil in rebus humanis præſtabilius. *Cætera*, ut ait noſter Horatius, *fluminis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Ritu feruntur. Quocirca non potes ſine gravi injuria ſuſpicari quidquam ſequius de mea fide & inflexibili conſtantia in te amando. Sola mors exſtinguet hunc ignem, qui mihi (ut loquar cum Catullo) *interiorem edit medullam.* Spero idem fore de eo qui tibi interiorem edit medullam. Gaudeo tuum dolorem quod ægre à nobis abes. eſt enim argumentum abundantis affectus. Sed non debes queri de conditione loci. Licet ubique ſeria & ſevera lege proficere, præſertim iis qui ad eum judicii ac bonæ mentis progreſſum evaſerunt, ut tu. Æmulare maximum illum virum Scipionem Africanum, (nolo enim in te excitando parvis exemplis uti) quem ferunt dicere ſolitum, nunquam ſe minus ſolum aut otioſum eſſe, quam quum ſollicitudini & otio maxime indulgere videretur. Optima pars ſtudiorum in meditando, & ſecum loquendo, verſatur. Ejus rei facultas ſemper in manu tua eſt. Nec vero deſunt iſthic inſignes viri, quorum notitia & familiaritate ſolari poſſis noſtri abſentis deſiderium. Adeſt è veteribus amicis, & olim ſtudiorum æmulatione, nunc ſocietate profeſſionis mecum devinctus, Ianus Gruterus; vir optimus, & optimis addictus, cujus ego graviſſimo caſu vehementer indolui. Adeſt Dionyſius Godofredus indefeſſi laboris & ſtudii, cujus vigiliæ plurimum emolumenti candidatis legum adferre poſſunt, quibus adſit ingenium & ars fruendi. Nos heic etiam Iuridicam Spartam exornamus cum Hiſtoriarum profeſſione, non ſine frequenti corona ſtudioſæ juventutis. Qui minabantur exploſionem, nunc certant officiis, & unum hoc ſtudent, quis mihi plurimum imputet. Tamen eſt in animo retinere ſolam Hiſtoriarum provinciam, utique poſtquam fato conceſſit bonus noſter Merula, cujus in locum ſuffectus ſum; & indies ſpero fore ut ſimul conſequar munus Hiſtoriographi Dominorum Ordinum. Quod ſi fit, votum quod ſat eſt habebit, nec amplius cum ſorte mea litigabo. Rosbekius noſter publice diſputavit de Vſufructu, magna cum laude; adeo ut non videretur egere præſidis opera. Bene quidem ſperabam de ejus auſpicio, ſed longe vicit eventus exſpectationem meam, quod & patri coram indicavi quum per Zelandiam iter haberem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

haberem in Angliam. Nam ne ſis neſcius, ſuperioribus feriis Auguſtalibus ad Regem magnæ Britanniæ profectus ſum, cui librum meorum poëmatum de manu in manum dedi. Sane quam humaniter me excepit, & gratias egit pro munere, pollicituſque eſt ſe diligenter volumen totum evoluturum. Cujus promiſſi ſpe contentus, quaſi voto exſolutus, ſtatim revertendi conſilium cepi, nec exſpectavi an ab illo humano Iove aureus imber in gremium Apollinis delaberetur, quod plerique ſuadebant faciendum: ſed malui morem animo gerere, ne nimium pelluceret aucupium regiæ liberalitatis eliciendæ. Qui interius norunt morem & ingenium Regis, ad unum affirmant me reportaturum fuiſſe maximas opes, ſi totum opus nomini ejus fuiſſet inſcriptum. quod quidem deſignaram apud me; ſed Mylius noſter, cui nihil negare poſſum, auctoritate ſuarum precum coëgit ut Ordinum potior eſſet ratio, qui nobis hæc otia donant. Reverſus itaque ſum ex Anglia ſpe gravis, ære levis. Pridie ejus diei quam ex hac urbe diſceſſi, ut iter iſtud inſtituerem, miſi varias in oras & literas & exemplaria meorum carminum; ad te, quem Hamburgi adhuc eſſe opinabar, ad Sebaſtianum à Berghen, Everardum Tweſtrengium, & cæteros. Scripſi tum etiam ad Ianum Gruterum; eique & Godofredo, Hippolyto à Collibus, Marquardo Frehero, Ioanni Michaëli Lingelſhemio tranſmittenda exemplaria curavi per Commelinum. Sed quia nihil reſponſi accepi, neſcio quid ſuſpicari debeam. Velim reſciſcas quidquid hujus eſt, & me facias certiorem. Vale, & ſalve ab uxore ac filia. Antonius nobiſcum transfretavit in Britanniam, & inde ſe contulit in Galliam. Datum Lugduni Batavorum, IV. Kalend. Novembris, CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXIII.

Ioanni à Wouwer Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

MItto, ut petiſti, non mundicias dentium, nec oris nitelas ex Arabicis frugibus: ſed libros, de quibus ad me ſcripſiſti, non emptos à Bibliopola, ſed quos acceptos refero liberalitati tuæ. Quod

me ſilentii incuſas, quum cottidie tantum non una ſimus, & exiguo disjungamur intervallo, ſolenne tuum agnoſco, & faveo querenti iraſcentique, quantum iraſcuntur amantes. Mihi item nihil evenire poteſt exoptatius tuo conſpectu, & in ejus ſubſidium allocutione literaria. Sed noſti quid muneris publice ſuſtineam, & quam affixus glebæ debeam eſſe, præſertim ex quo noſtra juventus cœpit poſt dilucida intervalla redire ad ſaniorem mentem. Optimus & clementiſſimus Mauritius noſter ignovit adoleſcentibus lubrico ætatis prolapſis; & ut certamina apium

Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcunt;

ſic omnes motus conſederunt beneficio veniæ & abolitionis. Miſi nudiuſtertius orationem, quam meditatus eram ut recitaretur noſtris turbonibus. Eam miſi ad Grotium, decus Batavæ juventutis, cum literis quibus obnixe eum rogo, ut perſuadeat Mylio, virorum quidem optimo, ſed conſiderato nimis, & qui ἐν φακῇ μύρον, in nomine ſuo unguentum, in ſcirpo nodum quærit, ut ei, inquam, perſuadeat ne graviter ferat eam edi. Artificio enim & prenſatione opus eſt, ut nefas non videatur bene mereri de republica. Nondum ad me remiſſa eſt. Magnæ ſcilicet deliberationis res indiget, & nihil in tam arduo negotio temere eſt aggrediendum. Quaſi neſciam vel loquendi tempora vel tacendi modum. Quaſi ſilentium meum, non vox conducta ſit. Ego poſtquam ſuggeſtum adſcendi, nullum gravius crimen eſſe arbitror, præſertim Eloquentiæ Profeſſori, quam Harpocratem aut Sigalionem agere. Hæc multum ad rem attinet ſcilicet à te non ignorari. Sed de publicis negotiis nihilo ſum factus à te certior. Audio eſſe apud Spinolam heroëm quendam Burchardum, non impurum iſtum impoſtorem, quem, *ſi quis in cœlo regit terras & humanum genus*, puto & ſpero jamdudum paſcere in cruce corvos: ſed alium iſti diſſimillimum tibi forte non ignotum. mihi probe notus eſt. Belliſſima occaſio eſſet ejus opera uti in oblatione donarii noſtri quod adhuc ſervo intra Veſtæ penetralia, dum ſuſpenſus exſpecto ὅπως ἔςαι τάδε ἔργα. Satis ſuſpectus ſum etiam quum careo noxâ, nec mihi diſcalceatis pedibus eſt ambulandum inter

ſentes invidorum, & amicorum inſanientis ſapientiæ, qui nimis intelligendo faciunt ut nihil intelligant. Hæc eo fidentius ad te ſcribo, quia & pene ſolum arbitror capacem metiendi viros ſuis meritis. Grotius etiam eſt in eo cenſu; niſi quod eum à recta mente tranſverſum abripit nimia æſtimatio juvenis, cætera quidem haud ſpernendi, ſed nihil ad Platonem. Ἀλλὰ τίη μοι θυμὸς ἐνὶ φρεσὶ ταῦτα μενοινᾷ; εἷς ἐμοὶ Πλάτων ἐστὶν ἀντὶ πολλῶν, οἶμαι δὲ καὶ πάντων. Ἔρρωσο καὶ εὖ πράττε. Lugduni Batavor. XVI. Martii, CIↃ IↃC IX.

Epistola LXIV.

Ioanni à Wouwer Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Polymathiæ tuæ librum heic habes, ſed incompactum, ne voto tuo producam moram. Apud Raphelengium exſtant aliquot exemplaria repetitæ editionis, à quo hunc emi. Nuſquam, ut opinor, alibi in hac urbe invenitur. Excuſſi enim pleraſque typographorum & bibliopolarum officinas ut eum inventum tibi curarem. Scriverii exemplum adjunctum eſt alteri opuſculo, & ſcatet annotationibus ad marginem. Heinſius etiam erat paratus ſuum ad te mittere, ſed conjiciebat eſſe tibi in animo donare cuipiam amicorum. Fuiſſet autem delendum, ut aiebat, ipſius nomen, quod manu tua apparet ſcriptum in frontiſpicio. Nondum ad me remiſſa eſt oratio, de qua ſuperioribus literis tecum egi. Annibal ſcilicet eſt ad portas, & impendet exitium Capitolio, niſi patres ſedendo tempus extrahant. Macerant me animi hæ ἀμβολιεργίαι in re quæ puncto temporis abſolvi poteſt, & in qua non egebam cujuſquam conſilio, niſi viveremus inter mortales ſuſpicionum & incommodarum opinionum plenos: qui etiam optime dicta detorquent in calumniam, & ſiniſtris interpretationibus alriorſum trahunt, quam ab auctore proferuntur. Sed non eſt nunc querendi locus. Interim dum deliberant boni Romulidæ, luxuries noſtra non potuit ſibi temperare, quin ultra centum hexametros verſus (non enim audeo dicere heroïcos) effuderim ejuſdem cum oratione argumenti, quique non incommode ſubjicientur ad calcem

opuſculi. Tantum eſt. Valebis,& nos amabis. Datum Lugduni Batavorum XXIX. Martii, CIↃIↃC IX.

EPISTOLA LXV.

Henrico Rumpio Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

LOngo jam temporis intervallo deſtiti ad te ſcribere, non quod officii mei vel humanitatis tuæ ſim oblitus, ſed partim obruor concurſu negotiorum, quæ me non patiuntur literis miſſitandis incumbere, partim confido, benevolentiam illam, quæ inter nos contracta eſt, tam altis eſſe defixam radicibus, ut non indigeat his ſermonum vicibus. Nam quod Græcorum proverbio dici ſolet ὅτι πολλὰς φιλίας ἡ σιγὴ διέλυσεν, non cadit nec in tuam conſtantiam, nec in meam morum ingenuitatem. Cur autem hoc tempore ſilentium interruperim, cauſam præbuit quod adhuc ex Iohannis Nieburnii rationibus reſidet nomen quinquaginta noſtratium florenorum, id eſt ſumma viginti duorum Ioachimicorum Tallerorum, quorum nomine obſtrictus ſum, fidem tuam ſequutus. Reliqua ad unum omnia ſunt perſoluta. Nunc te per genium & per humanitatem tuam obteſtor, ne patiaris facilitatem meam & officii promptitudinem fraudi eſſe. Fui memor ejus in meis Poëmatis, & literas etiam ad eum ſcripſi ſuperiore menſe Auguſti, quum eſſem in procinctu paratus ad iter in Britanniam. Nihil ex eo tempore nec literis nec nuntiis de ſtatu hominis certior factus ſum: niſi quod heſterna die conveni Hagæ-Comitis, ubi nunc habentur comitia de rebus maximi momenti, & quibus actio nulla gravior hodie ſub ſole geritur; ibi, inquam, conveni Ioannem Wouwerium, qui ſe ait reperiſſe provinciam idoneam ejus ingenio & captui apud illuſtriſſimum Holſatiæ Ducem. Relictus eſt, quem dixi, D. Wouvverius à Comite Embdano, ut eum, ſi qua fieri poſſet, comprehendendum curaret fœderibus quæ futura certo putantur à prudentibus. ſed longo tractu procedit tantæ molis opus, & quotidie novæ difficultates emergunt. Vt revertar ad Nieburnium, nam de publicis erit alias dicendi locus, rogo te, ut quamprimum ad Ioannem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Wolfium ſcribatur, ne reſiduum illud exſolvere gravetur. Mitto his incluſum chirographum H. M. quo fatetur, ſe octodecim florenos debere Nieburnio. degit adhuc in hac Academia, & aliquoties monitus eſt ut ſe debiti onere liberet. Sed arbitror eum non nimis abundare copiis, nec ego factus ſum ad flagitandos honeſtos adoleſcentes. Accepi ab ampliſſimo domino Conſule Everhardo Tweſtrengio literas refertas omni comitate & his adjunctum munus. itemque ab eximio viro, & prudentiſſimo Senatore Sebaſtiano à Berghen. proxima occaſione gratias illis agam, nunc me imparatum & occupatiſſimum deprehendit nuncius, qui haſce tibi redditurus eſt. Vale, & ſalve à me & uxore cum familia. Datum Lugduni Batavorum XXIV. Martii, cIɔ Iɔc VIII.

Epistola LXVI.

Nicolao à Vechta Dom. Baudius S. P. D.

Heildelbergam.

Candor tuus, ut ſpero, facile excuſabit parcimoniam & infrequentiam ſcriptionis meæ, quem non ignoras & conſtantem eſſe in te amando, & maximis curarum oneribus diſtineri, quorum alterum fiduciam ceſſandi nobis adfert, alterum pene facultatem adimit defungendi munere literarum. Miſi tibi ante octo menſes exemplum meorum Poëmatum, ſed per iter Hamburgenſe, quum mihi non eſſet compertum qua via tutius perferri poſſet. Quod ſuperioribus Nundinis Francofurtenſibus nihil ad te literarum dederim, nec ſtudio tuo circa meditamentum tuum de laude peregrinationis ſim obſequutus, dabis hanc veniam domeſticæ calamitati, qua tum temporis conflictabar. eram enim occupatus circa curam defuncti mei ex ſorore nepotis in conficiendo inventario, in rationibus inſpiciendis, in deprecanda neptium tutela, in moleſtiſſimis ad ſummam negotiis, & ab ingenio meo plane averſis. Magna cum voluptate & dulciſſimo cum deſiderio priſtinæ conſuetudinis legi epiſtolam tuam datam XVII. Ianuarii. Iuvit ex ea cognoſcere, tibi patere fores ad interiorem notitiam & familiaritatem veteris amici & commilitonis ſtudio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rum mei Gruteri. cujus integerrima virtus, & ſingularis humanitas neminem probum excludit à limine amoris & amicitiæ. ſed intimis ſenſibus indolui ob domeſticam calamitatem qua eſt afflictus. Non defuiſſem officio conſolandi, ſed jam aliquot menſes effluxerant quum ad nos ejuſce mali nuntius eſt allatus, ut merito vererer ne parum tempeſtiva videri poſſet obductæ cicatricis refricatio. tum autem, ut quiſque ſuos patimur manes, & ſub ſole *nihil eſt ab omni parte beatum*, eram tunc minime immunis multarum incommoditatum & adverſitatum, ut haud ſatis idoneus eſſem ad alium quenquam conſolandum ipſe ſolatiis egens. Verum non eſt hujus loci de fortunæ malignitate conqueri. Sed ex omni genere injuriarum, quibus unquam læſus ac violatus ſum, nulla gravior ad animum accidit, nec altius penetravit, quam quæ mihi ſuperiore menſe Februario inflicta eſt per eos qui votis & ſecundis ominibus generoſum conſilium meum proſequi debuerunt. Non arbitror te ignorare quantis turbarum tempeſtatibus Academia noſtra jactata ſit, ut pene dies emortualis ex natali redderetur.

—— Longa eſt injuria, longæ
Ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.

Quum ſtudioſus à vigile miſerandum in modum interfectus eſſet, magna pars noſtræ juventutis ad expetendam ultionem acrius quam conſideratius exarſit. Plurima parum decore per ſeditiones, profeſſorum exploſiones, vitrorum effractiones, ſubſelliorum everſiones geſta ſunt haud longe ab inſania, quæ ſi ſine ulla animadverſione prætermitterentur, magna labes inferebatur publicæ auctoritati, peſſimique moris exemplum ex impunitate ſequi poterat. Itaque aliquot in carcerem conjecti, accuſati, obiter auditi ſunt, & tanquam turbarũm concitores relegati, quidam in biennium, alii in quadriennium: nomina eorum eraſa è matricula ſtudioſorum. Ego, qui ſemper natura propenſus fui ad lenitatem, & ſtudioſam juventutem inſtar filiorum diligo complectorque, valde abhorrebam ab hac triſtiori medicina, qua potius vaſtitas & ſolitudo huic florentiſſimo Lyceo portendi videbatur, quam morbus ſanari; propoſueram in conventu omnium Profeſſo-

Profeſſorum tam ordinariorum quam extraordinariorum (nam in tanto diſcrimine ceſſabant iſtæ diſtinctiones ambitioſæ) remedium unicum & præſentiſſimum revocandis ad officium mentibus exulceratæ juventutis, nimirum ſi flexanima oratio haberetur, quæ non fruſtra regina rerum humanarum appellatur. ad eam rem ipſe me pro bonis communibus devoveram. nemo quidquam in contrariam ſententiam attulerat, nec, ut arbitror, quidquam adferri poterat. quidam etiam laudibus efferebant hanc animi mei devotionem. Ego horum apertam ſuffragationem, aliorum muſſitationem, pro aperto conſenſu interpretabar. his auguriis fretus, appoſui præ foribus Academiæ programma, quo ſignificabam me poſtridie hora decima eſſe dicturum. manſit illud ſalvum & incolume, tanquam magni operis ſacrum. cum veluti fatalis hora adveniſſet, qua mihi oratio habenda erat, ecce tibi evocor ad Rectorem & Iudices Academicos. poſtulatur ut exemplum edam ſermonis quem pronunciare decreveram. Nego me habere quidquam mandatum chartis præter ſumma rerum capita, ſed in ſcrinio pectoris, & in arce Palladis aſſervari fideliter materiem & argumentum quamvis copioſæ diſſertationis, & mihi potius eſſe laborandum ut modum ſervem, quam ut de verbis ſim ſollicitus in tam late patenti campo. Sed ne te longis ambagibus morer, & quia nunc tempus eſt otioſe nugandi, ſcito non fuiſſe viſum patribus ut oratio ea procederet. Diſceſſi inde haud mediocri iratus iracundia. procedo ad auditorium. tota Academia ſtudio audiendi illuc confluxiſſe videbatur. narro paucis verbis in limine auditorii cur mihi non eſſet integrum aſcendere in ſuggeſtum, audiente ſummo virorum D. Scaligero, quod pace Paræi dictum ſit. omnes inde abierunt capitibus quaſſantibus, & aſſeverato in mœſtitiam vultu, quaſi illis dies dictus eſſet. Tempus me deficeret, ſi ſingula commemorare inſiſterem. Hoc ſcito Delphis non Lugduni tibi dictum; ſola labes invidiæ, livoris, malignitatis obſtitit præclaris conatibus noſtris. Ego tamen perſtabo in lege bene merendi de pluribus, nec virtutem deſeram ut placem improbam iſtam luem. Hunc fructum repulſa mihi attulit,

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ut famam retinuerim ſine experimento. Multis perſuaſum erat me exploſum iri. ſed ego tale nihil metuebam, fretus benevolentia omnium ſtudioſorum. Poſtea libuit ea quæ animo conceperam mandare literis, fidis memoriæ cuſtodibus ac depoſitariis. Hæc cum ſummo applauſu excepit inſignis vir Hippolytus à Collibus: nec non præſes Ianinius Chriſtianiſſimi Regis Legatus. viderunt & Curatores. Erat in animo publicare quidquid iſtud eſt; ſed homines quidam imperitiſſimi, qui niſi quod ipſi faciunt, aut poſſunt, nihil rectum putant, remoram importune objiciunt. Habes hic verboſam congeriem nugarum, quæ tamen animum ſerio pupugerunt. Alia porro procella me pene nec opinantem perculit ob carmen gratulatorium dictum HONORI SPINOLÆ. nunc omnia ſunt tranquilla. ſed vides meo exemplo quam non tutum ſit ambulare per ſentes diſcalceatis pedibus. Plura non vacat addere; tu vale, & nos ama. Avunculus tuus à Wouwer bis heic fuit, & rediturus eſt Hagam, cum hæc illuſtris negotiatio ad optatum pacificationis finem ſpectare videbitur. quod omnino futurum arbitror, ſed tanta negotia tardos habent progreſſus pro rei mole, & pro genio utriuſque gentis. Avunculus tuus ab Illuſtriſſimo Duce Holſatiæ commodatus eſt ad tempus Embdano Comiti, ut tentet omnes vias, an quum tempus erit, fœderibus futuris comprehendi poſſit. Sed iterum in altum provehor. Nunc vela contraho, teque ſalvere ex animo jubeo, cum familia, quæ te plurimum optat rem bene gerere. Salutat item te cognatus meus Matthæus Luſſius, qui nunc apud me degit, & ad intermiſſa ſtudia ſedulo revertitur. Valet Roosbeckius, vivitque tui amantiſſimus. Datum Lugduni Batavorum v. Kalend. Maias, ↀIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA LXVII.

Henrico Stapelio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVum literæ tuæ mihi redditæ ſunt, eram, ut fere ſum, occupatiſſimus. tamen omnibus cæteris curis prævertendum putavi officium quod tu

tu parenſque tuus communiter mihi injungitis. Vt autem majore obſequio demererer homines tam benevolo animo erga me affectos, ſimul etiam ut publicis utilitatibus conſulerem, addidi epiſtolam ad ampliſſimum virum Ludovicum Servinum, interioris Conſiſtorii Senatorem & primarium Regis Advocatum in ſuprema Curia Pariſienſi. apud quem ſcio magnam vim habituras preces meas, præſertim æquitatis & juſtitiæ fundamento nixas. Sperabam me hodie ad vos excurſurum, ſed non data eſt occaſio. Die Lunæ præterita literas accepi à Ioanne Petit ex Gallia (nomen addidi, quia exciderat è memoria veſtra) cum his ad patrem incluſis. Significat bonus ille vir, ſe, ut ante ſcripſerat, appellationem interpoſitam debito more ſolennique ritu relevaſſe. (ſic loquuntur in foro pragmatici homines.) Citatur adverſa pars ut judicio ſe ſiſtat ad quintum diem Iunii proxime venturi, ne deſit tempus idoneum quo pater tuus eo proficiſci poſſit, ad conſultandam cauſam unde provocatio eſt, & proponenda gravamina. Multis, inquit, de cauſis iiſque non levibus, quas ſcripto complecti non eſt otium, auctor tibi ſum ut huc venias. Nec mihi vacat plura ſcribere, ita miſere defeſſus ſum transferendo in linguam Gallicam ſcriptum quod ad me juſſu patris miſiſti. Malim Siſyphi ſaxum, aut Plauti piſtrinum volvere, quam fungi tam moleſto, tam tædioſo, & inglorio labore. De munere Hiſtoriographi nihildum adhuc eſt effectum. Mylius me paſcit opima exſpectatione, ſed dum deliberant Romani, capitur Saguntus. Vale cum omni familia, & nos ama. Datum præcipiti feſtinatione XIV. Maii, cIↃ IↃC VIII.

Epistola LXVIII.

Henrico Stapelio Dom. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

Communicavit mecum parens tuus literas ad ſe miſſas à domino Petit, quibus ad ſingula reſpondi. Queritur in primis, quod iſthuc veneris ſubſidio nummario deſtitutus, ſine quo, ut loquar cum Demoſthene, οὐδὲν ἔστι πράττειν τῶν δεόντων, nihil effici poteſt earum rerum quæ ex uſu ſunt. Sane debuiſti cautius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cautius mercari, quam feciſſe te video ex tuis ad patrem literis. non oportet diſcalceatis pedibus ambulare per ſentes: & an parum admonitus es quam multi ſint iſthic verſuti & fallaces, adverſus quos tutiſſimum eſt munimentum paucis aut nemini fidere, omnia cavere? Habes heic etiam epiſtolam ad C. V. Ludovicum Servinum, qua vehementer eum obteſtor ut cauſam patris tui, gratia ſua complecti velit. Facturum ſpero & ob æquitatem rei, & nonnihil etiam ob memoriam veteris obſervantiæ qua eum colo. Recte & ordine feceris, ſi ipſe homini meam epiſtolam reddes. Nihil ſcribis de priore quam tibi diſceſſuro tradidi, utrum eam reddideris nec ne, & quo vultu te exceperit. Nemo eſt omnium cujus auctoritas plus opis atque auxilii adferre poſſit ad propugnationem cauſæ paternæ. Sed opus eſt ante omnia proſpicere ne commeatus argentarius deſit: qua de re diligenter egi cum optimo parente tuo, iſque hoc negotium ſummæ ſibi curæ futurum recepit. Sed vehementer conterritus eſt magnitudine illius ſummæ cujus mentionem facis in epiſtola tua, nimirum ſexcentorum aureorum. Et ſane aut te valde credulum eſſe oportet, aut illos impudenter mendaces qui tam immania comminiſcuntur. Cupit parens tuus ut ſubductis rerum neceſſariarum ad litem perſequendam rationibus articuli huc mittantur, dabit operam ut confeſtim pecuniæ tranſſcribantur: liberalior futurus ubi lis finita & ad optatam metam perducta fuerit. Hæc occurrebant in præſentia quæ te ſcire putabam tua intereſſe. Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavor. XXIV. Iunii CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA LXIX.

Ioanni Milandro Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVanquam nec tuus ſplendor occaſionem obtulit, nec mea ſors facultatem præbet, ut aliqua in re magnopere tibi commodo atque uſui eſſe poſſim; tamen fretus & animi tui generoſa indole, qua propenſus es ad bene de bonis merendum, & privatim ſingulari erga me affectu, auſus ſum familiarius penes te deponere, quibus jacter incommodis, ut ſi unquam benigni-

benignitatis gloriam amplexus es, eam exſerere velis in ſublevando homine tuæ dignitatis obſervantiſſimo, quem ita premit res anguſta domi, & creditorum importunitas, ut mentem inſtituere nequeat ad ullam præclaram cogitationem, & dignam viro non infimi nominis atque ordinis in cenſu literatorum. Ἀ πενία, κατὰ τὸν Θεόκριτον, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. ſed eandem οὐχ ὁμολογεῖν αἰσχρὸν, (ὡς ὁ Θουκυδίδης φησὶν,) ἀλλὰ ἔργῳ μὴ διαφεύγειν αἴσχιον. Quod ſi Theognidi auſcultandum eſt,

Χρὴ πενίαν φεύγοντα καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον ῥίπτειν.

Merito ſententiam tam degeneris animi reprehendunt Stoïcæ diſciplinæ alumni, qui talia de vitio, non de innocenti pauperie dici debere conſentiunt. Sed hic dies aliam vitam adfert, alios mores poſtulat, ut loquitur Simo Terentianus: & qui tam ſplendide diſſerunt in laudem egeſtatis, ſoli in ſcholis relinquuntur.

Οὐ γὰρ ἀπόβλητ᾽ ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

Ego nunquam aſſurgere potui ad eam triſtem & ſeveram ſapientiam, quæ Philoſophos jubet egere, & faſtidire honeſtas opes, ſine quibus multæ virtutes in occulto latent, nec ſeſe explicare queunt. Cæterum hoc tempore non tam laboro ut me fortunæ rivus inauret, quam ut moleſtos flagitatores amoliri queam. Iampridem facta eſt mihi à generoſo Domino vander Myle, Curatore noſtro, non tantum ſpes, ſed propemodum fiducia obtinendi munus Hiſtorici ampliſſimorum Ordinum, quo fungebatur deceſſor meus felicis memoriæ Paulus Merula, cujus in publicam profeſſionem ſum ſuffectus. Sed quia lentum iſtud negotium περὶ τῆς εἰρήνης ἢ πολέμου ἢ ἐκεχειρίας tenuit mentes publici conſilii ſuſpenſas curis gravioribus, non videbatur in rem fore ſi alieno tempore deliberatio ſuper Hiſtoriarum ſcriptore proponeretur. Captandi quippe ſunt commoditatis articuli, in quibus verſatur plerumque rerum bene gerendarum occaſio. Verum interim patitur juſtus, & Saguntum capitur dum Romanus ſedendo tempus terit. Vxoris etiam pertinax invaletudo valde me animi diſcruciat, & in cauſa eſt cur novis nominibus onerari cogar. Neque enim per officium humanitatis ulla remedia prætermitti fas eſt, quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

bus in tam afflicto ſtatu miſeræ ſuccurri poſſit. Scio ego, vir præſtantiſſime, quam temere & impudenter faciam, quod cum tali viro tam libere ac fidenter curas familiares partiri non extimeſcam. Sed neque tu ignoras, ὅτι Κρατερὸν βέλος ἐστὶν ἀνάγκη, καὶ ὅτι Αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ, κεχρημένον ἄνδρα κομίζειν. Vtinam Deus hanc benignam mentem tibi inſpiret, ut ſerio malis & incommodis nihil tale merentis commoveri digneris! Vtinam intimos pectoris mei receſſus penetrare poſſes, non te fugeret quanto cum animi dolore ad hanc extraordinariam opem confugiam! Baudius te per ſacra Muſarum obteſtatur, de cujus indole tam præclarum judicium ferunt duo lumina noſtræ juventutis Grotius Heinſiadeſque, ut negarent eum conceſſiſſe fortunæ,

Vt vellet magnis regibus eſſe minor.

Non accipio has immodicas laudes in ſolutum, ſed tamen ſemper operam dedi, ut retinerem in anguſtis rebus ingentem animum. Nunc eum minutæ ſollicitudines atterunt, & conficiunt, quas diſcutere potes vel fidei ac ſponſionis tuæ præſidio, vel credendo nummos in unum duntaxat biennium, intra quod tempus, niſi omnes me ſpes deſerunt, cum humili gratiarum actione & ſortem, & interuſurium me reſtituturum confido. Quoniam cœpi verecundiæ limites tranſilire, pergam porro eſſe impudens, & nihil te rerum mearum celabo. Ducentis aureis omni ære alieno liberari poſſum. Si tam ingens beneficium à magnificentia tua conſequar, in æternum te obſervabo tanquam ſummum fortunæ meæ Mæcenatem ac ſingularem patronum. Sin impudens videtur petitio noſtra, ut eſt etiam me fatente, nec precibus annuendum eſſe judicabis, ſaltem hoc te obnixe rogo, ne ideo excidam gratia & benevolentia tua, quod à neceſſitate compulſus ſum præter naturæ meæ genium frontem perfricare. Sic tibi omnia ex voto contingant,

Et tua Penelope tecum feliciter annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Vale, vir eximie, καὶ τὴν ἡμετέραν παῤῥησίαν εὐμενῶς δέχου. Datum Lugd. Batav. XIII. Febr. CIƆ IƆC IX.

EPI-

Epistola LXX.

Guilielmo Braſſero Dom. Baudius S. P. D.

Amſtelredamum.

Qvum iſthuc iret privignus, & quæreret ex me an aliquid literarum per ſe curare vellem, quanquam non ſuppetebat ſcribendi argumentum, tamen quia ſcio tibi non ingratum eſſe hoc officii genus, cum dicto calamum in manus ſumpſi, ut abſentem corpore, ſed animo præſentem, te per epiſtolam compellarem. Hæres enim mihi penitus in imo pectore, nec beneficiorum tuorum memoriam ulla unquam delebit oblivio. Senties me gratiæ debendæ perpetuo reum, etiam quum abunde gratiam retuliſſe judicio tuo videbor. Sed ego in officiorum talione, & redhoſtimento, ut cum Plauto loquar, ſum admodum moroſus, nec ipſe mihi ſatisfacio etiam quum omnibus ſatisfeci. Non enim eſt eadem ratio debiti exſolvendi & beneficii remunerandi. Nam qui pecuniam debet, ea caret poſtquam ſolutione liberatus eſt. gratiam qui habet, grati hominis officium expleſſe videtur. Quum igitur hoc tempore mea ars efficere nihil poſſit amplius quod tibi ſit acceptum, & mihi imputetur in ſolutum, quam ſi plurimum ſtudii ac benevolentiæ conferam erga fratrem tuum, qui recto curſu & magno animo aſſurgit in omnem laudem, ut merito ſit omnium bonorum amore digniſſimus: quod ſæpe coram dixi, & per literas veluti per ſyngrapham anteſtatus ſum, iterum inculco, nimirum me, quibuſcunque rebus potero, præclaris ejus conatibus non defuturum. Id etiamnum hodierno die declaravi quum à lectione me domum deduceret. Video enim ejus indolem propenſam eſſe ad eruditionis gloriam, & ardere tanta rerum honeſtarum cupiditate, ut nobis etiam præ amore longe plura tribuat, quam agnoſcere ſit modeſti. Cujus rei tibi ſit hoc ſpecimen. Poſtulabat enim pro ſummo beneficio ut ſibi facerem literarum mearum inſpiciendi copiam, quarum non ſoleo retinere exemplar ſi quæ ſunt melioris notæ, & in quibus elucet effigies ingenii noſtri. quas autem majore cum cura diligentiaque conſcribo, eæ neſcio quo pacto mihi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

mihimet fœtent & nimis olere videntur lucernam, ac minus præferre nativæ ſimplicitatis, quam ego præcipuam vel elaboratæ orationis dotem judico, ſed inprimis epiſtolicæ ſcriptionis, quæ tanto laudabilior eſt quo propius accedit ad normam quotidiani ſermonis: quemadmodum probæ & pudicæ matresfamiliæ tunc optime olere dicuntur quum nihil olent. Virgo ſatis ornata eſt quæ naturali pulchritudine excellit ſine fuco & pigmentis. Sed dum tecum loqui commercio literarum geſtio, pene imprudens delapſus ſum, ut de ratione conſcribendi literas præcepta darem. Quid tum? non feci eo animo quaſi te docere inſtituerem, ſed quoniam, ut initio ſignificavi, nulla ſcriptionis materies relicta eſſe videbatur, ipſe ultro è re nata argumentum arripui. Sæpe enim experiendo didici, nunquam minus deeſſe verba, quam quum querimur deeſſe quod ſcribamus. Non purgabo eo nomine me tibi, ſcio enim humanitati tuæ gratam eſſe ejuſmodi hallucinationem. Sed dum nimis otioſe nugor, pene ſum oblitus addere quod magis facit ad farinam. Miſi, ut ſcis, tibi ante paucos dies carmen dedicatum honori veſtræ urbis. Sed periit, ut opinor, quidquid iſtud eſt muneris, propter elapſam temporis oportunitatem, in quo articulo ſita eſt ſpes rerum recte & utiliter gerendarum. Decreveram enim id curare offerendum ſecunda die Februarii, quam purificationis vocant Pontificii, quod eo tempore magiſtratus inaugurari ſoleant. Videbatur autem tunc pulchra commoditas aliquid exterebrandi ab opulentiſſima & magnificentiſſima civitate. Priſcis temporibus mos obtinebat, ut qui vel fortunatos homines, vel urbes claras erudito aliquo ingenii monumento celebraſſent, iis ampla præmia decernerentur. Nunc ut aliarum rerum honeſtarum oblivio inducta eſt, ita & hujus laudatiſſimi inſtituti exemplum deſuetudine inumbratum eſt. Patrum tamen noſtrorum memoria Sincerus Actius Sannazarius ſexcentos aureos à republica Venetorum conſecutus eſt ob ſex illos verſus quos heic ſubjiciam.

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpeias quantum vis Iuppiter arces

Objice,

Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tibrim præfers, urbem adſpice utramque,
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

Oppianus totidem aureos ab Imperatore Antonino muneri accepit, quot ei carmina nuncupavit. erant autem plus quam millia viginti. Præſes Ieanninus egregium in me liberalitatis exemplum edidit, tradendo de manu in manum centum piſtoletos. & minatus eſt ſe non diſceſſurum in Galliam quin adhuc tantumdem addat. Primarius Angliæ Legatus etiam juſſit me confidere ſe non inferiorem fore Galliarum Legato in nobis inaurandis. Ita exorta eſt inter illuſtres viros pulchri certaminis æmulatio. Nihil eſſet mea ſorte felicius ſi ſemel amolitus eſſem importunos creditores. Ne regibus quidem ſupplicare vellem, ut me aureo imbre perpluerent. Nunc anguſtæ res non patiuntur ut tollam ingentes animos. Princeps amicorum D. vander Myle hoc ipſo die per uxoris filiam, quam eo nomine Hagam ablegaveram, curavit mihi ſignificandum, ſibi nihil eſſe mea petitione antiquius, & fore ut intra quam pauciſſimos dies voti compos evadam. In tam bona ſpe finiam epiſtolam, & te plurimum ſalvere jubebo. Datum Lugduni Batavorum XVI. Februarii, cIↄ Iↄc IX.

EPISTOLA LXXI.

Henrico Stapelio Dominic. Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

PRotinus ut accepi literas à patre tuo datas XV. Februarii ex urbe Stathagenſi, calamum in manus ſumpſi, ut, ſi jam certior factus non es, me interprete cognoſceres, quam feliciter ei & ex animi ſententia ſuſceptum iter obvenerit. Omnes fraudes & falſitates adverſariorum in lucem protractæ ſunt, *Danaumque pateſcunt Inſidiæ*, ut nullus ultra locus tergiverſationi ac dilationibus ſupereſſe videatur. Quocirca faciendum eſt tibi ut ſumma cum cura ac diligentia procuratori res commendetur, nunc præſertim quum certa triumphi ſpes in limine præſto ſit. Nihil peccabis ſi ipſum Regis principem Advocatum adieris. jam enim primos aditus ad ejus dignitatem tibi concilia-

runt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

runt literæ meæ, & in tali honoris gradu nihil tamen viro eo eſt humanius, aut affabilius. Interim vide, ne nimis comitate ejus abutaris. non enim tam conſiderandum eſt quid permittat, quam quid meritis ac virtuti debeatur. Sed non eſt opus ut hac in parte te moneam, qui potius immodico & ruſtico pudore peccare ſoles, quam inverecundia. Decet hoc quidem ætatem tuam, & convenit ingenuis artibus, quarum amorem profiteris, ſed videndum eſt ne quid in vita nimis. Auream mediocritatem ſervare oportet etiam in rebus honeſtiſſimis, & ex opinione Horatii

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltra quam ſatis eſt virtutem ſi petat ipſam.

Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavor. x. Martii, cIↃ IↃC IX.

EPISTOLA LXXII.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

NEqueo ſatis mirari, vir eximie & multis nominibus mihi plurimum obſervande, quid in culpa fuerit cur literæ meæ tibi non ſint redditæ, quas paucis diebus ab exceſſu chariſſimæ uxoris ad te & ad privignum tuum Iacobum de Zeveren curaveram perferendas, per quendam cui nomen Victor du Bois. Is per annos plures in lare materno commoratus eſt, de cujus revindicatione laboramus. Importunis precibus efflagitaverat officium ſcribendi, ut ſe tibi commendarem: ſed ſi tam indiligens fuit in tradendo depoſito, quantum intelligo ex Heinſii noſtri ſermone, non videtur favore tuo dignus, & poſthac utar majore delectu, nec promiſcuis commiſſionibus patiar obſolefieri ſingulare meum de tua virtute judicium, memineroque providæ cautionis Horatianæ,

Quem cui commendes, etiam atque etiam adſpice.

reliqua non ſubjiciam tibi talium ſententiarum non ſolum ſcientiam profitenti, ſed diligentem obſervantiam. Valde aveo ſcire quo loco liticula noſtra ſit, & an aliqua ſpes reſideat hærediolum illud patrimonio noſtro acceſſurum. Nam diuturnus languor uxoris ita me ſumptibus exhauſit, ut niſi aliquid aliunde obvenerit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nerit, vix poſſim triennali frugalitate ex demenſo ſtipendiorum reſarcire labem æris alieni. Niſi me in his locis conſcientiæ ſcrupulus, & religionis vinculum attineret, jampridem captum eſſet augurium de migrando, nec Leida ſpes meas includeret, quanquam non peſſime mecum agitur. Sed nec ea noſtri ratio habetur, quam oportuit. Theologorum etiam noſtrorum diſſidentes ſententiæ, & virulentæ concertationes, odia fratrum quæ ne morte quidem finiuntur, aliaque noſtræ militiæ flagitia, pene efficiunt, ut & illud ſuperbum nomen reformatæ religionis, & ipſa cauſa incipiat mihi eſſe dubiæ ſanitatis. Iuſta indignatio elicuit à me verſus, quorum exemplum ad te mitto. Gratiam exſpectabam ab amantibus pacis & veritatis, at peſſime plerique mentem meam ſunt interpretati, tanquam ſi defunctum, qui cum vivo colui amicitiam, cum lymphatico illo Iano Leidenſi contendere voluiſſem.

Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?

Præſagit mihi animus imminere his Provinciis fatalem rerum commutationem, & ex inteſtinis vitiis rediturum aliquando veteris imperii deſiderium. Suſpectus ſum multis, & charus acceptuſque non paucis, quod voce & ſtylo paſſim inculco ſubditorum obſequia in legitimos Principes, & pleno ore decanto veras laudes Archiducum. At nunquam me libertatis pœnitebit, dum ſanam mentem retinebo. Hæc ſcripſi & occupatiſſimus, & animo parum ad ſcribendi munus præparato. Vale, virorum optime, cum uxore & familia, & cum nobiliſſimo atque humaniſſimo genero Domino de Cruyckenburch. Alias erimus diligentiores. Datum Lugd. Batav. IX. Martii, CIↃ IↃC X.

Carmen, cujus voto me obligavi, nondum exſolvo, ita me mordaces curæ ſevocant à commercio Muſarum, ut nihil amœnum meditari poſſim. dabo tamen operam ut fidem liberem. nam debitum optima lege cogor agnoſcere, ſed ab humano creditore diem poſtulo, qui ſolet adimere ægritudinem hominibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LXXIII.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVanquam certa me ſpes tenet fore, ut preces meas optimo jure fundatas, ampliſſimorum Ordinum conſentiens firmet auctoritas, ſi ſerio cum amiciſſimo collega & optimo virorum D. Mathenesio in eam curam incubueris, ut haud inglorio nec indebito muneri finis tandem imponatur: tamen quia

Nil nocet admiſſo ſubdere calcar equo,

te per literas ejuſce rei commonendum putavi tanto impenſius, quo gravioribus anguſtiis conflictor, quæ omnem mihi ſapientiam ex animo expectorant, & eo tandem reluctantem compellent, ut præceps ex neceſſitate conſilium ſumam, cujus memet in æternum pœnitebit. Sed quævis vivendi conditio præſtabilior atque expetenda magis eſt, quam aſſidue minutis curarum ictibus comminui, ut animus aſſurgere nequeat ad ullam præclaræ mentis cogitationem. Quocirca te iterum atque iterum oro, obteſtor, adjuro per geniūm antiquæ fidei, per omne ſacrum amoris atque humanitatis, effice ut diuturni voti compos evadam, & te fortunarum mearum Mecænatem, patronum, fundatorem agnoſcam. Non ſunt immodeſtæ meæ ſpes, nec ambitioſa nimis deſideria. Scopus & ſumma votorum eo tendit, ut publicis uſibus patriæque honori pro captu doctrinæ atque induſtriæ deſerviam, ſine onere cujuſquam privati, cum honeſto emolumento, unde curas carnifices auræ ſerenioris amoliri queam. Hoc ſi beneficio tuo, & gratia, ſtudio, atque auctoritate Belgici Atlantis, ſoceri tui, conſequar, nihil erit uſquam tam promptum ac paratum, quam ad omnia, quæ voletis, humile obſequium atque officium meum. Sed feſtinato eſt opus, alioqui redactus ſum ad ſummam conſilii inopiam, ac pene deſperationem. Vale. Mœſtus & mœrens hæc ſcribebam XVII. Octobris, CIↃ IↃC X.

EPI-

EPISTOLA LXXIII.

Petro Scriverio Dom. Baudius S. P. D.

Lugdun. Batavorum.

HEſterna die quidam antiquæ fidei, cujus ipſe nomen non teneo, me adiit ut effigiem Archiducis videret. quam quum mihi in præſentia ad manum non adeſſe dicerem, viſus eſt ſequius aliquid ſuſpicari, tanquam eam potentiſſimis noſtris Ordinibus depoſuiſſem, quia continebat titulos contra primum articulum Induciarum. Sed nec meum eſt benignitatem ſereniſſimi Principis cauponari, nec minus ullum ſolatium relinqui debet maximis terrarum dominis, quam ut devoluti poſſeſſione patrii avitique patrimonii, vanis ſaltem nominibus ſeſe oblectare poſſint. Itaque ut excutiatur iſte error, cures rogo eam mihi per privignum mittendam. Χαῖρε, καὶ εὖ πράττε, φίλτατον κάρα. Dabam è muſeo noſtro XI. Kalend. Novembris, CIↃ IↃC IX.

EPISTOLA LXXIV.

Iano Rutgerſio Dominic. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

GRavis culpæ levem, ſed veram καὶ αὐτοπέτην αἰτίαν dabo. Quum literæ tuæ mihi redditæ fuerunt, noctis meridies præterierat, nec Cereris ſacris operatus eram, quæ temeti carere dicuntur. Itaque ut Archias Thebanus εἰς χθὲς τὰ σπουδαῖα diſtulit magno ſuo cum pretio atque malo, ſic eas tanquam cum prima luci lecturus, obſignatas in ſacco reliqueram. Poſtridie venit ad Agamemnona ποιμένα λαῶν, ὃν ἔχε νήδυμος ὕπνος, heros è ſartorum proſapia, non rex ille Ianus ſutor, & ſcelerum ſator, qui tantum mihi invidiæ conflavit: ſed alius paraſitaſter parvulus, cui à petra nomen indiderunt parentes. Is caligas, quibus eram pridie indutus, reſarciendas popoſcit. ita enim convenerat *Inter Priamiden, animoſum atque inter Achillem.* Ego neſcius quam precioſum ac nobile depoſitum veteri centunculo concreditum eſſet, juſſi ut ſecum aſportaret. nec prius ſenſi negligentiæ, μελεωρίας καὶ ἀβλεψίας labem, quam quum

longo poſt tempore, nimirum ante biduum, caligas ſtylo verſo reconcinnatas aptavi feminibus, ne collo forſitan aut capiti me eas applicaſſe cenſeas. Hæc eſt non fabula, ſed hiſtorica rei geſtæ narratio, ſine fuco & fallaciis, more & inſtituto majorum ex Batavica ſimplicitate. Habes ultro confitentem reum. fac ut experiar te benignum καὶ ἐπιεικῆ judicem. Amor tuus qui ſe toto ſinu effundit in literis, nulla me admiratione affecit, quippe qui certiſſimis οὐ σημείοις ἀλλὰ τεκμηρίοις exploratiſſimum habeo, quam animitus & medullitus animo tuo charus ſim. Si me mutuum facere tecum dixero, vereor ne diffidentiæ ſpeciem præbere videar. Itaque ſegregabo publici ſermonis verba, quæ vulgares amicitias magis decent, quam jus illud arctiſſimæ ſanctiſſimæque neceſſitudinis inter nos contractæ, quæ forſan olim ibit in annales, & illuſtri poſterorum gloria celebrabitur. Gaudio mihi eſt, ſed cum amaro ſenſu doloris, quod hinc tanta cum triſtitia diſceſſeris. Omnia ſunt ſemper integra viris fortibus, & nihil non impetrari poſſet à propinquis ac neceſſariis tuis, ſi certo fidem illis faceres te ad ſtudium legalis ſcientiæ toto impetu mentem, curam atque induſtriam omnem eſſe appulſurum. Scio tibi optime conſtare laborum ac vigiliarum rationem, ſi cauſa dicenda eſſet apud idoneos ingeniorum æſtimatores, qui doctrinam non ſtipe advocationum, aut errore vulgi metiuntur, ſed bene ſentientium judicio, ſuiſque pretiis eam æſtimare didicerunt. Verum enimvero inſanientis ſapientiæ eſt, ita ſe comparare ut ſoli ſapere videamur, & contra ſapiens inſania cenſetur, ſervire populo ac ſcenæ, &, ut loquar cum Petronio, inſanire cum furentibus. Vtinam ſerio demitteres in animum hanc hæreſim! Non eſſet tibi periculum ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis. Liberet tecum ocioſius jocari, ſed hoc tempore ſatis eſt, ſi culpam ſuperioris ſilentii ſatis ſum deprecatus, & veniam meruiſſe videor. Tum autem urgeor anguſtiis temporis. nam tabellarius erat in procinctu dum haſce literas feſtinabam. Neque enim facile deſciſco ab inſitis moribus, & à ſolemni formula rejiciendi negotia in extremam horam. Franzii fratres cum Magno (non Alexandro)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

dro) jampridem abierunt. Pater impetrato commeatu ſeceſſit bona cum gratia Principis Embdani in Germaniam. Ipſe Princeps nunc Hagæ eſt, ſtititque ſe ad condictam diem. Adverſarii vadimonium deſeruerunt, ſaltem non comparuerunt collegialiter, ut loquuntur. Plura non addo, niſi ut valeas, & nos amare perſeveres. Datum Lugduni Batavorum XII. Novembris, cIↄ Iↄc x.

EPISTOLA LXXV.

Dominicus Baudius Iano Rutgerſio amicorum intimo χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

NÆ tu mortalis es admodum feſtivus ac facetus, qui quum animo deſignes immenſæ molis & *periculoſæ plenum opus aleæ*, tamen circa nænias & verborum inanes maniplos obhæreſcis, quaſi plurimum interſit utilitatis publicæ, & in eo poſitæ ſint fortunæ Græciæ, ſi ſeriem atque ordinem noris ſeſquimenſtruæ noſtræ peregrinationis. Non te habuiſſem ἄπειρον εὐαγγελίου ſi caput inde unctius retuliſſem. ἀλλ᾽ οὐδὲν ἔχω λαβὼν ἢ μὴ καλὰς ἐλπίδας, & ab Apoſtolico nuncio tantundem quantum ὁ μέγας οὗτος ἀπὸ τοῦ Διὸς Καπιτωλίνου. Multa ſunt, quæ geſtio coram in ſinum tuum effundere. Quod igitur in epiſtolâ tuâ fuit ultimum, ne differrem reſponſum, ſimul ac tuas literas recepiſſem, teque continuo eſſe ad nos venturum: hoc te ſerio adjuro per πάντας τε θεοὺς πάσας τε θεαίνας. nam & fœmineo ſexui ſcilicet locus inter

Omnes cælicolas, omnes ſupera arva tenentes.

rogo te inquam atque obteſtor, nil mihi reſcribas, at nobis te ſiſte, quam potes, ociſſime. Tot enim ſunt, quæ tuis fidis auribus deponere æſtuat animus, ut ſtylo nequeam cogitata mentis evolvere. De literis Vrientii, quod periiſſe eas autumas, fruſtra es. ſed quum per biduum ab eo comiter admodum eſſem exceptus, & crebro dulciſſima tui recordatio inter pocula incidiſſet, quamvis ſemper *Intra modi modeſtiæque terminum* Baccho litavimus, tamen oblivionis pater effecit, ut non recordatus fuerim interea loci literas ipſi tradere. Sed longo poſt intervallo quum jam ab urbe Bruxellis iturus eſſem in patriam, & ſarcinulas colligerem, inveni

literas tuas, quas protinus incluſas meis ad amiciſſimum hominem tranſmittendas hoſpiti commiſi. nec dubito quin officio functus ſit, & ab eo tempore nihil dum literarum Gandavo ad me perlatum eſt. Sed malo hic deſinere ineptiarum, quam alteram paginam invertere. Te enim ſummo ſtudio ac deſiderio impatienter exſpecto. Vale,& fortiter rem gere. XXVI. Novembr. CIↃ IↃC X.

EPISTOLA LXXVI.

Amico ſummo ac unice caro capiti Iano Rutgerſio Dominicus Baudius S. P. D.

NVlla vox eſt, qua poſſim abunde exprimere, quanta ſim lætitia affectus ex noviſſimis tuis literis, quæ mihi ſunt redditæ eo ipſo tempore, quum me accingerem ad detexendum diurnum penſum. Omnes alias res relictas habui, & cæteris curis prævertendum ratus ſum, ut reſcribendi officio fungerer, & animo cupienti tuo morem gererem, qui tam impatienter deſideras verba tibi dari. Cave autem putes, me ob eam cauſam à ſcriptionis munere ſuperſediſſe, quam ſignificas tuis literis. Nam nec ſimulationem cadere unquam putavi in tam niveum pectus, & inexpiabilem amori noſtro injuriam fieri putarem, ſi apud me alterum te ſecus loqui non horreres, quam ex animo ſentires. Sed non prius accepi epiſtolam tuam, quam nuncius erat profectus. Et blandiente inertia, ſimul etiam ex fiducia conſtantiæ tuæ in propoſito amandi, paſſus ſum elabi cum ſilentio alteram ſeptimanam. *Sed des veniam bonus, oro.* Vorſtius nondum adeſt: me lubente licebit ætatem abſit, niſi veniat animo prorſus compoſito ad conſilia pacis & concordiæ. quod impune vovere licet. ſed vix ſperare audeo ſi τῶν θεολογουμένων pervicaciam καὶ φιλονεικίαν novi, & quam implacabiles ſint fratrum inimicitiæ. οἱ πέρα φιλοῦντες, καὶ πέρα μισοῦσι. Quædam ſane ab ipſo ſunt prodita literis ſuper immenſa & omnipotente eſſentia Dei, ut judicio multorum præſtantium virorum, quibus addo ſuffragium meum, non aliter expiari poſſe videantur, quam ingenua retractatione. Nulla eſt melior ad ſanam mentem via, quam confeſſio erroris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

roris, & mutatio ſententiæ. Nulla glorioſior victoria, quam faſces ſubmittere Deo, & comiter vinci ab ineluctabili veritate. Si eſt, ut velit unioni ſtudere; Baudium habebit ſibi lege ſolduriorum obſtrictum: ſin aliter animatus eſt, odero hominem æque ac angues, & omni ope conſilioque reſiſtam ejus factionibus. De vidua, cujus in priori epiſtola mentionem injeciſti, ſane eſt fœmina quantivis pretii, & adhuc ejus ætatis, ut amori operam dare poſſit: viſaque eſt, niſi mihi ſum Suffenus, non indelectari vultu ac ſermone Baudiano. comiter ſane ſum illic exceptus ut nihil ſupra. Sed nec illa forte vellet niſi in equeſtribus ſedere: & valde animo meo placet ſententia dia Naſonis, qui decere ait, *Intra fortunam quemque manere ſuam*. Porro autem quamdiu aliquid ſpeculæ ſupererit de illa Penelope, cujus tu privignum in literis acerbo ſale perfricuiſti, quod magni nominis Theologum non exhorruiſſet appellare porcum grandinoſum dicam an glandivorum, (erat enim verbum aſperſum litura forte an de induſtria) donec inquam aliqua ſpes affulſerit, miſero amanti bonam illam divam, cui non *robur & æs triplex circa pectus hæret*, exorari poſſe, non cogitabo de ulla alia conditione. Textrici ſalva omnia precor: & quoniam tantopere gaudet ſiccis, voveo ut cum fulicis ludat in ſicco, & maritum habeat, qui ætatem careat temeti. Vale, & in veræ pietatis propoſito conſtanter perſevera. τὰ γὰρ θεοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος χαρίσματά ἐστιν ἀμεταμέλητα. Datum Lugdun. Batav. eopſe tempore quo tuas recepi. *Initio* anni CIↃ IↃC XI.

Saluta omnes tuos & quicunque ἀξιολόγοι noſtri meminiſſe dignabuntur.

EPISTOLA LXXVII.

Adriano à Mathenes & Cornelio vander Myle Curatoribus Academiæ Leydenſis Dominicus Baudius S. P. D.

Lugd. Batavor.

QVanquam nihil fieri poteſt utroque veſtrum humanius, &, ut plane perſuaſum habeo, noſtri amantius, tamen nuper quum eſſem Hagæ, non faſtu aut faſtidio veſtro, ſed naturali meo pu-

dore impeditus fui, quo minus ſigillatim vobis indicarim quibus rei familiaris difficultatibus & incommodis circumveniar. quæ talia ſunt, ut niſi proximis comitiis publica liberalitate nobis ſuccurratur, aut ope veſtra fides noſtra ſuſtentetur, omnino incertus ſim quid agam. Pleroſque enim creditores in id temporis rejeci, ut aſſiduas flagitationes, quibus animi diſcrucior, amolirer, aut ſaltem differrem. Nunc univerſi me quaſi agmine facto circumſiſtent. Mederi poſſet hiſce miſeriis illud lentum negotium de munere Hiſtoriographi, quod jam tres amplius annos protelatur. nec mihi quidquam magis eſt in votis, quam ut poſſim ſine cujuſquam onere quidquid in me eſt ingenii atque induſtriæ communibus bonis impartiri, atque ita meo, quod aiunt, remigio rem gerere, & pedem ab his ſalebris extricare, quibus undique circumvallor. Rogo vos & obteſtor, generoſiſſimi viri, benevolique Mæcenates, ut ea de re ſerio cogitationem ſuſcipiatis. Non queo comminiſci, quid in cauſa ſit cur tamdiu ſufflaminetur expeditio tam juſtæ petitionis, in tanta copia fideliſſimorum amicorum, qui gratia & auctoritate plurimum pollent: niſi quod ſuſpicor mihi obſtare concurſationem quorundam haud magni pretii mortalium, qui quum ſe cæteris dotibus impares eſſe intelligant, nec virtutis ac meritorum præſidio candidatum Baudium ſubruere queant, neſcio quos nævulos egregio corpori inſperſos acribus oculis rimantur, & cum invidioſa exceptione laudes noſtras prædicant, ut peſſimo nocendi artificio videantur tunc maxime famæ & exiſtimationi noſtræ favere, quum eam per cuniculos eunt oppugnatum. Quibus equidem ignoſco magis quam ſuccenſeo, quod ſui commodi gratia potius quam odio noſtri id faciunt, niſi bellum indixerunt ipſi humanitati, & ingenuæ ſimplicitati, quas dotes in me ſitas eſſe, etiam infenſi hoſtes agnoſcere coguntur. Veſtrum eſt facta potius æſtimare, quam ſiniſtris malignorum hominum rumuſculis aures patefacere, ſi bene quid merui de veſtra Academia, & ſi per me non ſtetit aut ſtabit, quo minus illuſtri fama ſit & optima opinione floreat apud exteras nationes. Invita fatebitur invidia, me charum eſſe de interiore

nota

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nota celeberrimis Europæ viris ; in quorum numero vos jure facio plurimi, & in amicitia veſtra tanquam in fido portu certam bonæ ſpei copiam mihi repoſitam eſſe confido. Quæ perſuaſio me adducit, ut familiarius vobis anguſtiarum mearum vulnera denudem, quam dignitatis veſtræ ratio poſtulare videbatur. Verecundia enim inutilis eſt homini egeno, &, ut ait Horatius,

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

Prorſus hac amabili credulitate, & jucunda opinione paſcor, ſi communi ope conſilioque tanquam Academiæ Curatores petitionem noſtram auctorare volueritis, rem dicto citius confectum iri. Sin vana ſpe oblector, & eam Helenam alius mihi Paris eripiat, jam pedum viſa eſt via. non enim repulſus, & ære dirutus, ultra in hiſce regionibus vivere potero, ſed cogar à neceſſitate præceps conſilium capere, cujus me longum fortaſſe pœnitebit. Fortaſſis tunc ſero ſapient Phryges, & carendo magis quam fruendo Lyceum hoc intelliget ſua bona. Sed meliora auguratur animus, & ſi votorum compos evadam, nunquam cogitabo de vertendo ſolo, ſed nexu mancupioque totus ſemper ero veſter. Quapropter iterum imploro atque adjuro veſtram fidem, ut ſedulo mederi velitis curæ ac ſollicitudini,

Quæ nunc me coquit, & verſat ſub pectore fixa.

Si ad impellendas mentes illuſtriſſimi conſeſſus Generalium Ordinum, Principis & heroïs Mauritii auctoritas in ſubſidium advocanda erit, eam mihi non defuturam ſpero pro cultu quo eximias ejus virtutes veneror, quem etiam carmine nuper teſtatus ſum: nec non Milandrum eodem genere liberalitatis ſum proſecutus. nam hic mihi jugis theſaurus eſt domi; utinam tali moneta creditorum nomina expungere liceret! Sed inamœnæ & inauſpicatæ aves non capiuntur hoc hamo. manus habent oculatas, ut ait Plautus, credunt quod vident. Non morabor vos longiori ſermone, ſed finem faciam ineptiendi, Deum Opt. Max. precatus, ut vos patriæ & Academiæ noſtræ quam diutiſſime ſalvos & incolumes conſervare dignetur. Valete,

O & præſidium & dulce decus meum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Dabam mœſtus è noſtro Muſeo x. Kalend. Februarii, cIɔ Iɔc XI.

EPISTOLA LXXVIII.

Iano Rutgerſio Domin. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

Literæ tuæ quo ſunt longiores, eo prolixius & clarius indicant magnitudinem ſinceri affectus, quo me complecteris. ſi paria tecum non facio in aſſiduitate ſcriptionis, fuge ſequius quidquam ſuſpicari de imminutione priſtinæ meæ erga te voluntatis, ad quam nulla poteſt fieri acceſſio; quippe quæ ad ſummum neceſſitudinis faſtigium aſcendit: nec ulla commutatio metuenda eſt, dum me ſalutis & bonæ mentis compotem ſervabit ille vitæ neciſque arbiter, quem penes eſt poteſtas

Tuique, meique, & omnium mortalium.

Quanquam video te impendio delectari frequentia & loquacitate noſtrarum epiſtolarum, tamen melius ominor de ſagacitate judicii tui, quam ut exiſtimem te amoris mei modum ex parſimonia vel largitate proletariorum hujuſmodi officiorum velle metiri. quod ſi faceres, dicam impingerem tibi grandem, qua jure tenetur menſor qui falſum modum dixerit. Audio & gaudeo te nunc ſedulo verſari in ſtudio Iuriſprudentiæ. Aude mihi credere, non potes utilius ingenii tui dotes collocare quam in legum ſtudio. Ὁ νόμος ἐστὶ βασιλεὺς πάντων ἀνθρωπίνων καὶ θείων πραγμάτων. Iuſtitia haud fruſtra μεγάλου Διὸς πάρεδρος. Deus parentum tuorum inſtinctu ad eas partes te vocat, ut aliquando in oculis hominum, & in luce patriæ verſari poſſis, ut in iſta vita conſeneſcas. De loco Ariſtophanis quod me conſulis, poſſem uti exceptione fori, & te remittere ad competentiores hujuſmodi rerum judices. Memini tamen legere in Adelpho Terentii hæc verba Demeæ, *ut te, Syre,* non cum tuis conſiliis, ſed *cum tua monſtratione magnus perdat Iuppiter*. De ſervis recens emptis quam ſint plerumque viles & cæteris ludibrio, exſtat elegans locus apud Tacitum in oratione Galgaci Britannorum Ducis, & ibi Lipſius. Poſſet & Dominicus, & matris meæ filius, plura ſuper his attexere,

ſed

ſed jam nec animus nec otium eſt commentandi. Tunc enim reddita eſt mihi epiſtola tua, quum nuncius ſe abiturum ſignificavit. Cum Barone agam fideliter ea quæ nimis verecunde poſtulas. valde me ignoras, Pamphile, qui cum familiariſſimo capite tanta cum ceremonia rem geris, quaſi ſtipem elephanto porrigendam haberes. Iachæus proximo die Lunæ diſputabit pro gradu, & meditatur excipere Luculliano luxu pleroſque noſtri ordinis cum Curatoribus & Magiſtratu. De munere Hiſtorici quanquam lenta materies eſt, & valde me vexant ἀμβολιεργίαι, tamen omnia jam ſunt in optima ſpe; necdum animum deſpondi in amoribus, licet iis me excidiſſe crimineris. Non uno ictu dejicitur quercus, nec ſimplex repulſa, aut potius verecunda nuptiarum deprecatio terrere debet ἀγέρωχ θυμὸν conſtantis amatoris, quo minus iterum atque iterum petitor in campum deſcendat. Nunquam magis quam in tali palæſtra expedit pudorem tanquam ſudorem noxium à fronte detergere. Si Lucretia eſt, faxo dicat ſe nactum eſſe alterum Tarquinium, niſi quod nihil inconceſſum concupiſco, nec aliam vim meditor, quam quæ à flexanima vocis clementer graſſante ſuada proficiſcitur. Vtinam tantum adeſſet illa, matronarum decus: & vi, clam aut precario, poſſim mereri ejus affatum. Nihil poſthac tam ſerio totiſque Baudii viribus aggredi ſtatutum eſt mihi, quam procandi munus. Deducam in actum univerſam Naſonis artem, & aliquid etiam addetur inventis. Vale, φίλτατε. Dabam raptiſſime Lugdun. Batavor. XXIX. Ianuarii, cIↃ IↃC XI.

EPISTOLA LXXVIII.

Iano Rutgerſio Dominicus Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

AMice ſumme, Non eſt ingenui pectoris, ſed patriciæ artis, id gratiæ velle apponi in quo nihil promerearis. Nolim itaque mihi quidquam imputes, quod opellulam meam verecundæ petitioni tuæ non abnuerim, in re quæ ſimilis eſt homini qui erranti comiter monſtrat viam, & quaſi lumen accendit de ſuo lumine. Scis olim apud Athenienſes

diris devotionibus agi ſolitos tanquam deſertores humanitatis, qui iſtiuſmodi officia vel ignotis denegabant. Iacchæus eopſe illo die in conventu Senatus Academici, cujus adhuc pars non ſum, etſi proxime cingendus pro jam cincto habetur, ἐγὼ δὲ περὶ πλείονος ποιοῦμαι κλήματος δόσιν ἢ τιμῆς σημεῖον, & cum ſententia dia magnanimi Catonis, qui præoptabat ut homines virtutum admiratores expoſtularent injuriam non decretæ ſibi ſtatuæ, quam ob honorem delatum gratularentur. Sed ut revertar ad noſtrum Iacchæum, ornatus eſt inſignibus queis ἰατρῶν παῖδες ſolent, præterito die Lunæ. Quanquam omnia ſumma præſagiebam animo, & publica exſpectatio nihil mediocre ab ipſo ſperabat, tamen ſine ambitione fabor veram vocem, longe vicit quidquid opinione præceperam. Locus ille quem in Lucano tuo à te ſcribis eſſe annotatum, exſtat in Codice T. de Epiſc. & Cler. *ſi quenquam.* in fin. ubi hæc verba reperies, *ut eos quos per facinus coinquinat & æquat, utroſque ſimilis pœna comitetur.* Non eſt dubium, quin Cæſares, à quibus emanavit illud edictum, ad Lucani verſus reſpexerint.

—— Rheni mihi Cæſar in undis
Dux erat, heic ſocius: facinus quos inquinat, æquat.

Sed tu, qui Cordubenſi Poëtæ lucem fœneraris ab Imperiali ſplendore ὡς οὐδὲ πάρεργον, rectius & magis ex dignitate faceres, ſi poſthabitis ad tempus ſtudiorum amœnitatibus totum te ad penetranda Iuris Iuſtitiæque myſteria conferres. Meæ exiſtimationis periculo ſpondeo, affirmo, fide jubeo, te, ſi in eam curam omni ope conſilioque incubueris, poſſe cum immortali gloria intra vertentem annum aggregari Themidis ſacerdotibus. ἀλλὰ δεῖ ἀμέλλητον εἶναι τὴν πρὸς τὰς καλὰς πράξεις ὁρμήν. Nam ὁ δρῶν τὰ τοῦ μέλλοντος οἴχεται φέρων. In hanc ſententiam poſſem pleno gradu exſpatiari, ſi liberet commovere ſacra incluſa ſub læva parte mammillæ, ſed curavit mihi ſignificandum tabellarius ſe hora prima diſceſſurum, quæ jampridem audita eſt. Itaque finis imponendus eſt epiſtolæ cum ſolenni formula ſalutis impartiendæ iis qui meminiſſe dignabuntur Ὀδυσσῆος θείοιο. Datum Lugdun. Batav. Nonis Februar. cIↃ IↃc XI.

EPI-

EPISTOLA LXXX.

Nicolao Seyſtio Dominicus Baudius χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

Hagam-Comitis.

VTar jure familiaritatis quam mihi apud te eſſe pateris, & liberius in ſinum tuum effundam indignatiunculam, qua merito ſum commotus ob contumeliam nobis illatam minime ferendam ab eo cui vos eum honorem habuiſtis, ut ipſi geminam, Iuridicæ facultatis & Hiſtoriarum profeſſionem, utramque toto homine dignam, fungendam committeretis. In quo munere ita verſari conatus ſum, ut in neutra ſtatione deſertor partium fuiſſe argui poſſim. Placuit poſtea ampliſſimo Curatorum collegio, ut altera parte oneris ſublevarer, non tanquam impar aut neſcius exercendi, ſed ut cum pluribus honeſti laboris ſociis ſtudium promovendæ juventutis communicaretur. Nuper allectus ſum in numerum Ordinariorum: qua in re non dubito, quin domini Curatores Academiæ & Conſules hujus urbis illud ſpectarint, ut non tantum ſuffragii auctoritate dignitas perſonæ noſtræ creſceret, verum etiam ut ea ſtatio nobis aſſignaretur, quæ Iuris Iuſtitiæque ſacerdotibus tribui debet, quum * ex iis ſacris operatus ſim in hoc Lyceo non ſine publica utilitate, & ante annos XXV. ſupremum ſim gradum in ea ſcientia conſecutus, quanto cum honore nemini antea contigerat ejuſmodi dignitatem adipiſci. Non ſum tam mihi Suffenus, tamque φίλαυτος, ut meritis meis apponi cupiam ea quæ ab amore potius quam à judicio proficiſcuntur. Sed tamen non infima laus eſt tantum valere gratia & benevolentia apud ſummos viros, ut eos amor in blandum errorem abducat. Vtinam ſic aut erret aut judicet de nobis æqua virtutum æſtimatrix poſteritas! Verum ut revertar unde ſum digreſſus, exhibitum fuit paucis ante diebus in Academico Senatu inſtrumentum noſtræ lectionis & cooptationis inter Ordinarios: illic me abſente, me nec vocato, nec audito, conſcripti patres decreverunt ut omnium caudam verrerem

Turnus ego haud ulli veterum virtute ſecundus.

Queſtus ſum de atroci injuria apud magnificum Rectorem, &, ut res eſt, negavi ad eorum juriſdictionem pertinere ut hac in re de meo capite ſententias ferrent. tale judicium ipſe jure non valere; quippe extra territorium jus dicenti impune non pareri, parem in parem non habere imperium; vitio ſtatutum videri, parte, de cujus corio luditur, indefenſa atque inaudita: Curatorum Conſulumque arbitrio rem decidi oportere, qui ut nobis publicam docendi provinciam, ita perſonis ſuam ſtationem aſſignant. ad eos itaque me provocare, nec unquam eſſe paſſurum ut in me exemplum imminuti honoris ſtatuatur. id fieri non poſſe ſine nota prævaricationis. Equidem & natura, & ratione ac doctrina valde ſum remotus ab aucupio inanis gloriolæ: nec ſum tam degeneris animi, ut me metiar ſubſellii humilitate aut faſtigio. ſed veſtræ auctoritatis intereſt ut tuear dignitatem profeſſionis quam detuliſtis: & inſerviendum eſt famæ atque exiſtimationi; quam qui negligit, is à noſtris Iureconſultis ſibi injurius & crudelis eſſe perhibetur. Vt non ambitioſe concupiſcendus eſt honos; ita cum judicio delatum minime aſpernari oportet. Nam ut præclare ait noſter Tacitus, ſeges & materies meæ gloriæ, *contemptu famæ contemnuntur & virtutes*. Rogo itaque te, & adjuro per humanitatis tuæ genium, perque ſacra communium ſtudiorum, ut honeſtæ petitioni meæ ſuffragari non dedigneris. Pro me militat ætatis prærogativa, dignitas & amplitudo muneris, in quo ſeſe noſtra exercet induſtria. Quemadmodum noctuæ non ferunt ſolis ſplendorem, ita doctores tantum in umbra & ſchola educati, non poſſunt animo amplecti quid ſit digne hiſtoriam interpretari, illam humanarum actionum moderatricem, teſtem temporum, magiſtram vitæ, vitam memoriæ, nuntiam vetuſtatis, matrem civilis prudentiæ ac ſapientiæ. Hanc nos Spartam exornare contendimus. & ſi dixero noſtra opera contigiſſe non indignum clariſſimo Lipſio ſucceſſorem, fiducia potius veritatis erit, quam inanis jactantia & oſtentatio. Facit me quorundam injuria præter naturam & conſuetudinem meam glorioſum. Nam alioqui fortiter contemno, & Stoïca firmitate concoquo ineptias iſtas

&

& concertationes de loco, quum ad rectam rationem & ad ſerium ac ſeverum judicium rem exigo. ſed obſecundandum eſt populo & ſcenæ, cujus calculo magni ſæpe viri ex ejuſmodi inanibus vel æſtimantur vel depretiantur. Ego ea me à puero ſequutum eſſe fateor, ex quibus vera gloria naſci poſſet, & unde non indignus amore bonorum, nonnulloque honore cenſeri deberem: ipſam certe gloriam nunquam per ſe putavi expetendam, niſi tanquam appendicem virtutis, & comitem recte factorum. Non me pœnitet olim ſcripſiſſe,

Nil curat alta mente præditus Cato
Qua ſede ſedeat, quam thori partem premat.
Nihil coloſſo demit aut addit baſis,
Nihil cothurnus adjuvat nani ſtatum.
Prætura mœret orba, cum Strumæ ſedent
Sella in curuli. Conſularis dignitas
Patitur repulſam, cum repulſus it Cato.

Plura non attexam. ſpero enim me propediem coram copioſius hac de re aliiſque, quæ meum animum magis angunt, eſſe acturum. Vale, & nos ama. Datum Lugd. Bat. XXIII. Martii, CIↃ IↃC XI.

EPISTOLA LXXXI.

Petro Rubenio Dom. Baudius S. P. D.

Antwerpiam.

NE ad inania excuſationum diverticula confugiam, ingenue confitebor aſſignandam eſſe oblivioni ac negligentiæ culpam tam diuturni ſilentii. Nam ex eo tempore, quo à vobis diſceſſi, ita me totum ſibi vindicavit procandi occupatio, ut omnium aliorum vitæ & amicitiæ officiorum fuerim oblitus. Nunc in optimæ ſpei vado conſiſtunt mea vota; & propediem fore ſpero, ut epithalamium mihi conſcribant duo primaria Belgicæ juventutis ornamenta Grotius & Heinſius, quos amore paterno complector, quod & apud poſteros teſtatum iri confido duraturis in perpetuum monumentis. Si nos dignaveris honeſtare aliquo tuæ artis ſpecimine; gratias immortales eo nomine tibi ſum debiturus, & viciſſim à me exſolvetur

Quie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Quicquid in arte mea poſſum promittere curæ.

Vtinam te caperet impetus huc excurrendi! invenies non ineptos induſtriæ tuæ æſtimatores, inter quos ſunt ea duo lumina quæ ante commemoravi. Nec deſunt etiam qui penicilli gloria celebrantur. Michaël à Mierevelt jampridem à fama notus eſt, & judicio recte ſentientium magnam laudem non ſine lucro conſequitur exprimendis ad vivum vultibus hominum. Multique alii in his provinciis florent. Sed ut ſimpliciter dicam quod ſentio, non accedunt ad decus tuorum operum, ſi oculos eruditos habemus, qui talia ſuis pretiis arbitrari poſſint. Non ſum factus ad aſſentandum, nec ea labes cadere debet in generoſum pectus, ſed loquor uti ſentio, non poſſum ſine horrore contemplari monumenta tuarum manuum, quæ vivent quamdiu ars æmulatrix naturæ, & humanitatis genius, in terris celebrabuntur. Sed ut cœpi dicere, totus jam ſum in procando, & fere ad mille Scazontes effudi in meos amores, quibus ad vivum expreſſi varios affectus eorum, qui hac amabili inſania tenentur. fortaſſe lucem videbunt non ſine ſuffragatione literatorum, niſi me communis philautia decipit. Tu qui omnia noſtra favore prono complecti ſoles, non ægre feres jactatiunculam, vitium agnatum erectioribus ingeniis, præſertim generi Poëtarum, quos ideo arbitror eſſe ſub tutela Phœbi, qui Medicinæ præeſt, quod illis non ſit ſana mens, & quod curatoris egere videantur. Accedit nunc eodem amor, ut ſi admoveatur oleum camino, ne quid deſit ad efficiendum poëtam omnibus inſaniæ numeris abſolutum. Negat enim princeps ingenii & doctrinæ Plato, quemquam abſque ſacro furore, Muſarum unquam pepuliſſe fores Poëticas. Sed furor hic optandus eſt omnibus quibus cor ſapit, & acetum acre eſt in pectore, ut cum ingenioſiſſimo vate gloriari poſſint,

Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo.
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Sed jam ſatis eſt ineptiarum, & tempus videtur finiendi nugacem epiſtolam, cum ſolenni formula, ut valeas, nos ames, & ſtrenue rem famamque augeas. Socero totique familiæ ſalutem meo nomine plurimam dicas. Datum Lugd. Bat. XI. April. CIↄ Iↄ C XII.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

In effigiem celeberrimi pictoris Petri Rubenii & uxoris ejus ab ipſo expreſſam, cum naturæ veritate certantem.

Principis os pictoris habes cum conjuge fida,
 Cui par dulce jugum vix vetus ordo tulit.
Æmulus ille manu naturam exæquat & arte,
 Hæc ipſam formæ vincit honore Cyprin.
Cætera concordes, lis eſt hæc una duorum,
 Officio atque fide quis potiora ferat.

EPISTOLA LXXXII.

Stephano Douſæ Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVod mea ſponte libens facio adductùs communi officio humanitatis, quo cenſetur intereſſe hominis, hominem beneficio afficere: id promptius uſurpandum eſſe duxi impulſus juſtis precibus patris ob filium unicum valde ſolliciti. Filius is eſt, cui contigit illud infortunium ut gravibus contumeliis exaſperatus hominem rixoſum, ſed hominem tamen, interfecerit. poſtea capitis ſervandi cauſa, quum omnem expediendæ ſalutis rationem honeſtam eſſe putaret, deceptus forte ſententia Ciceronis, evaſit cuſtodiam ſive mavis carcerem. Adverſus abſentem lata ſententia eſt, quam velut horribile arcanum Nordovicenſis quæſitor ſacro ſilentio conſignatam ſervat contra juris, ut opinor, rationem, certe contra morem uſitatum in regno Galliæ: ubi per contumaciam condemnati ſolent in effigie palam affici ſupplicio. Quocirca is qui haſce literas tibi tradet vehementer à me petivit, quum non ignoraret meas preces aliquid ponderis eſſe apud te habituras, ut hanc cauſam æquitati tuæ commendarem: ne miſer reus, qui nunc agit Kulenburgi, ſpe metuque anxius, fati ſui legem ignoret. Cui enim bono celari ſententiam veluti Bonæ ſecreta Deæ? Venit mihi in mentem lepidum epigramma Martialis de Cinna, qui ſemper omnibus in aurem garriebat, adeo ut etiam in aurem ſæpe ipſum Cæſarem laudaret, quaſi *periculoſæ plenum opus aleæ* eſſet de Principe bene opinari. Tu tamen videris an heic aut apud vos aliter uſu obſervetur. nam ego quaſi peregrinus ſum

ſum in patria, nec otium fuit conſulere peritiores. Vale cum lectiſſima uxore & ſuaviſſimis liberis, noſtri, ut ſoles, memor. Dabam feſtinanter VII Maii, cIↃ IↃCXI.

EPISTOLA LXXXIII.

Iano Rutgerſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

TAm multa ſimul occurrunt quæ cupiam ad te ſcribere, & quæ ſcilicet permagni intereſt tua ſcire, ut principium evolvere non poſſim. Procedit editio noſtrarum Gnomarum, cui titulum fecimus *Moralis & civilis ſapientiæ monita*, ut ſciant cordati lectores ſibi potius deferendum eſſe vadimonium quam carendum uſufructu tam ſalutaris doctrinæ. Certum eſt mihi feriis Auguſtalibus transfretare in Britanniam. Vtinam te habeam itineris comitem, & conſiliorum participem! non mediocria in pectore ſtruo, & mea ac majorum meûm virtute fretus confido me futurum apud τὸν κρατοῦντα inter intimæ admiſſionis amicos, & ſpes eſt impetrari poſſe ab ipſius Majeſtate, ut declaret ſibi gratum fore. *Quid non ſperemus amantes*, quum ὁ παραπρεσβευτὴς nondum recitaverit legem horrendi carminis? Sed emovit veterem morbum mire novus.

—— longæ
Ambages: ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.

Quidam ſtudioſus excantatus dulcedine noſtrorum leſſorum, qui jam pene in mille verſus excreverunt, & irritatus indigno Niſæ amore, quæ ſua bona non novit,

Ioviſque conjux eſſe neſcit invicti,

ſerio teſtatus eſt, ſibi maxime in votis eſſe, ut matrem ipſius procari vellem, ſe omni ope effecturum ut voti compos evaderem. Eſt autem fœmina nondum floris attriti, & quæ poſſidet *ignotum argenti pondus & auri*. Iam *omnis in hoc ſum*. Heinſius Hagæ eſt *, **, unde poſſet exſculpi fœcunda virtutum ſeges. quod me non perduxeris, quum apud vos eſſem, id vix omnibus deliciis & ſuaviationibus Graiarum matrum chorus unquam expiaverit. Et audes per literas gloriari apud Heinſium, tecum eſſe locutum. Sed quid iſtæ nugæ ad me, qui tantum Reges & Regum pueros dignos

gnos cenſeo, quorum gratiam aucupari velim? Cum Principis Haſſiæ filio aſſiduus accubuus fui. Nuper ſolus in magna menſa cum heroë Mauritio ſum cœnatus, & gratias ei egi ob honorem, iis verbis, quæ

——— *poſſent cœlo deducere lunam.*

Si unquam cauſa fuit idonea cur huc veniendum exiſtimares, nunc tempus eſt. Infinita enim ſunt quæ tibi volenti erunt audire, & utêris me ſi non prudenti conſiliario, certe fideli amico & honoris tui ſtudioſiſſimo. Quocirca propera, & nos conſpectu tuo beare velis. Leſſos amatorios ſtatui edere cum centone Virgiliano pene ducentorum carminum ad τὸν πάνυ Heinſium;

O præſtans animi juvenis, cui carmina ſemper
Et citharæ cordi, dulces ante omnia Muſæ.

Miraberis, genium

Ire iterum in lacrymas: iterum tentare precando
Reginam meditor; neque enim leve nomen Amatæ.

Charta deeſt, & jam tempus eſt deſinendi ineptiarum. Vale, & veni. Lugduni Batavorum Kalendis Iulii, cIↄ Iↄc xi.

EPISTOLA LXXXIV.

Nobili & Ornatiſſimo juveni Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

TActito rubore ſuffuſus ſum ad immodicas laudes quas in me tam profuſe congeris. Meminiſſe debebas illud Lesbiæ vatis dictum τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ. Tu vero toto horreo largiris copioſam gloriæ meſſem. quam ut ex abundantia quadam amoris profectam grato animo complector, ita nullus agnoſco: quippe conſcius ipſe propriæ imbecillitatis, & quam *ſit mihi curta ſupellex.* Efficiam tamen, ſi Deus mihi vitam & ſanam mentem conceſſerit, ut hæc ætas & poſteri ſciant me non vixiſſe degenerem, nec pœnitendum incolam hujus univerſitatis. κόσμου πολίτης εἰμὶ cum magno Socrate, & illud heroicum ſpe & votis ab ineunte adoleſcentia adamavi,

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Cæterum & ex ſtylo literarum tuarum, & magis ex

mero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

mero candore qui in iis ſpirat ad vivum expreſſus, perſpicio te natura genitum, & ſtudio ac voluntate informatum ad omne laudis exemplum, & ad virtutis ac doctrinæ decus amplectendum. Si vel tua ſponte incitatus, vel propinquorum conſilio adductus, exiſtimas, vel hujus loci genium, vel meam operam atque induſtriam, generoſis tuis conatibus uſui & ornamento eſſe poſſe, ſcito, nihil rerum tuarum tam promptum ac paratum fore, quam quidquid ex parte mea conferri poteſt ad exædificationem tam honeſti propoſiti. Nec id gratiæ apponi cupio, ſed beneficio me ſingulari affectum eſſe judicabo, ſi qua ſe occaſio ad manum dabit qua tuis commodis & utilitatibus inſervire queam. Id uti verbis nuncupavi, ita rebus & factis ratum erit, cujus voti velut ſyngrapham has literas eſſe cupio, ut ſubleſtæ fidei convincar, ſi à promiſſi religione ſciens dolo malo deſciſcam. Vale, & humaniſſimum virum hoſpitem tuum officioſe meo nomine ſaluta. Datum Lugduni Batavorum x. Kal. Sextil. cIↃ IↃ c XI.

EPISTOLA LXXXV.

Iano Rutgerſio Dom. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

NOn puto *A ſole exoriente Mæotidos uſque paludem* exſtare in terris mortalem te facetiorem, & qui melius norit quantum ſibi apud amicos liceat. Hodie quum ad ſolenne docendi penſum detexendum irem, venit ad me neſcio quis, & non ſatis poſſum recordari an ſalutem verbis tuis ullam renunciarit, ſed tanquam ab imperioſo aliquo Manliano legatus eſſet, edixit ex parte tua ut hoc ipſo die non committerem, quin literas ad te perferendas curarem. Non vacabat ridere, ut cui ſeria ſcilicet incumberent, nec fas eſſe putabam ſuccenſere tam aperto pectori, qui per interpretem ſignificaret animi ſui voluntatem. Sed ut etiam familiariter tecum agam, & Symmachi liberam vocem apud majeſtatem tuam uſurpem, *qua fronte ſermonis mei largam poſcis uſuram, cui nihil literati fœnoris credidiſti?* Niſi forte tantum ex obitu affinis mœrorem contraxiſti, ut nec mens ad cogitandum, nec manus ad ſcribendi officium idonea eſſe videatur: & offen-

ſam

ſam delicatarum aurium vereris ſcilicet, ſi in crudo luctu vox aliqua ſub acumen ſtyli veniat quæ Tullianæ candidatos elegantiæ corrugare queat. Si fas eſſet verum dicere, auderem affirmare, nihil aliud tibi perſuadere ejuſmodi confidentiam inertia cumulatam, præter ingenii mei facilitatem, qua fit ut parum ſeverus ſim in alios, quum ipſemet in pari culpa ſæpiuſcule deprehendar. Sed quid tandem vis ad te ſcribam? ediſſere ſodes vel per *internuncium*, ut major ſit mandatorum reverentia: niſi forſitan illud ſcire cupis, jam ad finem perductam eſſe editionem quatuor librorum *Civilis & moralis ſapientiæ*: cum duplici ad Regis filium præfatione, quarum altera ſatis magnifice munus ipſum & munerarium extollo; quandoquidem video, primarios ſæculi viros ignorari, niſi ipſimet indicio ſuo demonſtrentur, & notoris vice fungantur. Dices, periiſſe pudorem de rebus, & me vereri perdidiſſe: aliter judicat noſtrum utroque melior quidam auctor domo Chæronenſis,

Fando aliquid ſi forte tuas pervenit ad aures

Plutarchi nomen. Si hominem noſti, velim mea cauſa tantum demas inſititii laboris de ſtudiis verendæ Themidos, cui te νύκτας τε καὶ ἦμαρ ad languorem uſque incumbere nullus ambigo, ut percurrere velis περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως. Non pœnitebit de ſemita decedere, nec operæ ratio male conſtabit. Adjunctum eſt & carmen * *Rex cui fatorum*. cui etſi deflorata eſt gratia novitatis, tamen ſpero eventurum noſtræ curæ meditamentis, ut quo ſæpius terantur, eo magis placeant, ut cordatus & intelligens lector apud ſe dicat,

Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat uſque morari.

Heinſius noſter curat excudendam Diſſertationem de conſtitutione Tragœdiæ. ubi multa de more obſervantur

Ingeniis vatum nunquam obſervata priorum.

Dedicatur præſtantiſſimo virorum, Senatori Honardo. Fuit mihi plurimus cum * ſermo, quæ ſane viſa eſt fortis & quantivis pretii: ſed jam omnes iſtas amationes relictas

---

* Vide Baudii Poëm. pag. 569.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

relictas habeo, donec cum Regibus & Regum pueris tranſegero, quæ βυσσοδομεύει θυμὸς ἀγήνωρ. Nil parvum aut humili modo ſpiramus. quo eveniat, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Nudiuſtertius eram Hagæ, quo die mihi pulcherrima ſeſe auguria obtulerunt, ut jam plenus ſim ingentis ſpei. Paucis omnia expedire non poſſum, nec eſt animus longos logos texere. Εἷς οἰωνὸς ἄριστος fuit auſpicatus Atlantis Batavici vultus, quum jam rhedam conſcenſurus eſſem. Ad aſpectum tam benevoli ſideris protinus è curru deſilui, & paucis verbis, ſed quæ cœlo lunam poterant deducere, ſum gratulatus publicæ felicitati, quod ejus valetudinem, cui commune bonum annexum eſt, in ſolido locaſſet pax deorum. rogavi ut inter ſeria curarum etiam aliquid ſubſecivæ cogitationis huic homini exornando impartiri dignaretur. Dextra me benigne eſt amplexus, & omnia bona in ſpe habere juſſit, nulla ſe in re nobis defuturum. Nunquam mihi viſus eſt humanior. Non addam hoc tempore plura, ſed in hoc proſpero omine deſinam. Vale. Rogo ut parentibus, ſorori, & fratribus ſalutem meo nomine nunties, nec non avunculis, μάλιστα δὲ τῷ Πραίτωρι. qui *antiſtat mihi millibus trecentis*, ob ingenitam animi generoſitatem, & præclarum de nobis judicium: cui nunquam erimus dehoneſtamento, nec bonarum partium deſertores fuiſſe arguemur. Iterum vale, Lugduni Batavorum XXII. Iulii, CIƆ IƆ C XI.

Rectorem Voſſium non poſſum omittere tacitus ſine piaculo: ſed hæc talia continentur bonæ fidei judiciis, & præſtanda ſunt etiam citra conventionem.

EPISTOLA LXXXVI.

Petro Rubenio Dom. Baudius S. P. D.

Antverpiam.

LÆtus ſum oblatam mihi fuiſſe occaſionem ad te ſcribendi per hunc tabellarium, qui id officium comiter elicuit, injecta clariſſimi nominis tui mentione. Sed quam libens ac volens uſurpo munus iſtud literarium, tam mihi grave atque acerbum fuit audire, quum eſſem Bruxellis, præmaturam ad beatas ſedes abitionem fratris tui, viri ſine ambitione eruditiſſimi, & quo nullus è diſciplina magni Lipſii uberiorem

riorem frugem reportavit. Non jam inculcabo meditationi tuæ monita ſacrarum literarum, quibus exulceratæ mentes ad ſanitatem revocantur. Nam & ea tibi ſunt notiſſima, qui cum eximiæ artis inſtructu junxiſti ſtudia humanitatis, & gloriam eruditionis: tum autem ſi non ratio, certe dies jam magna ex parte vim ægritudinis ac mœroris imminutum ivit. Communis iſte ſane dolor fuit, & velut publicus luctus juſtitio luſtrandus ab iis omnibus, qui doctrinam, virtutem, ac probitatem venerantur.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.
Οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.

ut Homerico alloquio te compellem. Reliquum eſt, ut abſentis deſiderium grata recordatione proſequamur. quod pro virili parte faciam, & qua voce, qua ſtylo teſtatum relinquam apud poſteros, & eos qui nunc vivunt homines, quam fuerit intime charus animo meo germanus tuus, τοῦ καὶ κλέος οὔποτ' ὀλεῖται. Nomen tuum heic illuſtri fama celebratur, &,

Credimus, an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

neſcio qui fauſtus rumor nobis ad aures accidit, tibi eſſe in animo huc excurrere. Gratus omnibus candidis ingeniorum æſtimatoribus & exoptatus advenies. Mihi in primis, in cujus animo defixiſti aculeum reverentiæ atque admirationis. nec ſine quodam ſacro horrore ſum contemplatus artis tuæ monumenta cum naturæ veritate certantia. Macte Apelles noſtri ævi. Vtinam virtuti ac meritis tuis contingeret Alexander! quanquam non tam male ac maligne agitur cum præſenti ſæculo, quin exſtent plurimi & intelligentes, & remuneratores præſtantiſſimorum tuorum operum ac laborum. Nos etiam, ut captus eſt mediocrium, in hoc vitæ mortalis præſidio non inhonorificam ſtationem tueri conabimur, & jam exornare Spartam, quæ nobis judicio Illuſtriſſimorum Ordinum aſſignata eſt. Præcipue operam dabimus ut primarios ſæculi viros, inter quos tu inſignem locum obtines, amicitiæ mecum initæ non pudeat aut pœniteat. Hujuſce voti ac propoſiti ſyngrapham eſſe cupio hanc epiſtolam, teque pro immortali munere ac beneficio rogo atque obteſtor, ut nos amore complecti non dedigneris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ris. Datum Amſterdami in ædibus cognati mei, qui te à facie ignotum, à fama notiſſimum ſumma obſervantia colit.

Ioanni Wouwerio viro eximiæ humanitatis, & cui ego multis me nominibus devinctum eſſe fateor, plurimam à me ſalutem nunciari cupio. Socero item tuo, nec non amœniſſimi ingenii & inculpatæ libertatis viro Franciſco Sweertio: tum ſi qui erunt, quos noſtri meminiſſe non pigebit. Octavianum Venium ſine piaculo præterire non poſſum, commilitonem olim ſtudiorum, & nunc plurimis de cauſis unice mihi carum. Iterum vale, & noſtram in ſcribendo hallucinationem æqui conſulito. Scripſi IV. Octobris, cIↃ IↃC XI.

EPISTOLA LXXXVII.

Maximiliano Vrientio Dom. Baudius S. P. D.

Gandavum.

QVanquam hoc tempore omnes alias cogitationes relictas habeo præ cura perducendi ad bonos exitus opus iſtud, de quo tecum ſum locutus: tamen in maxima ſpe & optimorum conſiliorum conſcientia, minutis quibuſdam ſollicitudinibus attegor, quæ me ſecuro animo non patiuntur incumbere generoſis & æternitate dignis conatibus. Itaque ut hiſce difficultatibus & incommodis obviam eatur, omnino decretum eſt mihi quibuſcunque conditonibus, dummodo non peſſimis nec damnoſiſſimis, paciſci ſuper iſta domo, quam in urbe veſtra ſcis optimo jure ad me pertinere. Res eſt ſummariæ cognitionis, & minimo negotio inter bonos expediri poteſt. Quidquid hujus eſt, id omne tuæ permitto ac mando fidei, prudentiæ, benevolentiæ, ratum habebo, & gratias eo nomine debebo, ſi quid tua tuique privigni opera à triconibus iſtis exſculpi poterit. Sed mature facto opus eſt, alioqui (ut verbis utar nequiſſimi Romulorum) nequidquam opportuna res cecidiſſet, & ſpes magna dominationis in manibus fruſtra fuiſſet. Omnia auguria felicem ſucceſſum portendunt, ſed ἄνευ τῶν χρημάτων (ut ait oratorum princeps Demoſthenes) οὐδὲν ἔστι πράττειν τῶν δεόντων, ſine nummis nihil rite procedit eorum quæ

factu

factu neceſſaria ſunt. Rogo te ſerio ut hac de re continuo ſtatuas, & me pendentem animi quam citiſſime reddas certiorem. Vale, vir eximie, & importunitati, quam neceſſitas extorquet, æquus ignoſce. Datum raptim Lugd. Bat. XVIII. Octob. cIↄ Iↄc XI.

Is, qui haſce literas tibi reddet, mihi jure ſanguinis devinctus eſt; ſi quid ejus cauſa poteris, quod commodo tuo liceat, veniam in partem accepti beneficii.

Epistola LXXXVIII.

Nicolao Seyſtio Dom. Baudius S. P. D.

Lugd. Batavorum.

NOn arbitror, tibi ignotam eſſe cauſam meæ ſubitæ in hanc urbem profectionis, quam vel ex nobiliſſimo Vander Myle, vel incomparabili amico Grotio intelligere potuiſti. Scripſerat ad me cognatus, eum qui inhabitat heic ædes maternas, paratum eſſe pretium ſolvere, ſed cum nemine alio velle rationes diducere, quam mecum. Ea ſpe inductus iter hoc ſuſcepi. Sed & inops eſt debitor, & ſummus vitilitigator, itaque non habet unde nomen expediat, nec ſi haberet, videtur eſſe paratus ad exhibendum, niſi jure judicioque compellatur. quod & longum eſſet exſpectare, nec res & fama patitur ut diutius heic ſub incerta ſpe morari debeam. Quocirca te per fas humanitatis obteſtandum putavi, ne tantiſper dum abeſſe cogor aliquid durius in me ſtatuatur, cauſa indicta, reoque inaudito. Scio enim eſſe nonnullos qui cruentis ſermonibus famam meam miſere proſcribunt. quos poſthac honoratiſſimo vindictæ genere ulciſcar, vitandos cane & anguepejus ſcopulos ad quos exiſtimationis meæ navis obhæſit, more quidem multorum magnorum virorum, ſed ego culpam vitare malo, quam auctoritate & exemplo eam ire imminutum. Tu præſidio tuo abſentem amicum tutari ne graveris. non erit tibi opprobrio, ſuſcipere advocationem periclitantis Baudii. Vale, Vir Clariſſime. Scripſi raptim ex urbe Gandavo IX. Decembris, cIↄ Iↄc XI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA LXXXIX.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

INgentes me tibi gratias & agere & habere par eſt ob utilem, ſalutarem & honeſtam παῤῥησίαν qua me commonere dignatus es per literas, quæ mihi ſunt eruntque tanquam θεόπνευςα ῥήματα καὶ μαρτυρίαι ἐκ Διὸς δέλτων. Efficiam omni ope conſilioque, favente divina benignitate, ne fruſtra tam fidelem operam concaſtigando amico ob commeritam noxiam ſuſcepiſſe videaris, utque cæteris dotibus, quas in hoc homine ſitas eſſe livor ipſe negare non poteſt, etiam caſtitatis & ſobrietatis gloria adjungatur. Pendet enim ea res ab arbitrio liberimæ voluntatis, eſtque τῶν ἐφ' ἡμῖν. quod ſine ſemipelagianiſmi ſuſpicione offenſaque Theologici Senatus dictum eſto. De matrimonio cave me quidquam putes eſſe facturum quod ſit indignum ſapiente bonoque, nec unquam amplius amplexus in cloacam mittam. Sermones harum obturare, aut aures credulorum hominum, non eſt meæ poteſtatis, ego tamen ero meo promus pectori, ne quid temere admittam. Quod mihi ſcribis objici patrocinium malæ cauſæ ſub auctoritate magni nominis, malo præſens me tibi purgare quam per epiſtolam, quia res ea longiorem ſermonem deſiderat. Iuxta tecum adſpernor ſacræ militiæ flagitia, quæ diſerte admodum & cordate percenſuiſti. ſed nec ignoras, pleriſque moderatioris ingenii Pontificiis eandem mentem eſſe, maxima ſaltem ex parte. De præſtantiſſimo virorum Mylio valde meo animo ægre eſt, eum tantopere conflictari invidia ob hujus capitis propugnationem, neque nihil neque omnia vera ſunt quæ ad ejus aures ab imparibus æmulis & malignis hominibus deferuntur, qui quum ſuis virtutibus ſtare non poſſint, per alienæ exiſtimationis ruinam graſſari ad famam contendunt. hos in poſterum probitate & innocentia refellere annitar. Nam præterita fieri infecta non poſſunt. Hoc unum. Quod eſt æquiſſimum, poſtulo quæſoque, & in eo vires gratiæ, ſuadæ & auctoritatis tuæ imploro, ne indefenſus atque inauditus condemner.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

demner. Conradum Vorſtium quod in eadem mecum cauſa ſtatuere videris, in ea te opinione labi puto. Nam ut ſunt tempora & mores hominum, nulla erit auctoritas tanta quæ ejus afflictam conditionem in ſolido locare poſſit. quanquam virum bonum eſſe arbitror, & ex animo quæ ſcripſit ſcripſiſſe prorſus habeo perſuaſum. ſed non licet in tam arduis myſteriis ſolœciſmum admittere ſine nota impietatis & ſacrilegii. Vtinam publico monumento conſignata extaret ingenua retractatio potius, quam ad aucupia verborum & ſententiarum tendiculas confugeret!

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.

Sperabam me hic prima ſtatim congreſſione accepturum nummos, idque loquebantur cognati mei literæ quas tecum communicavit privignus. Sed & cognato verba data ſunt, & is viciſſim mihi impoſuit, ut ea ſpe objecta, me huc eliceret ad proceſſum quem habet maximi momenti præſentia mea impenſius promovendum. Nam & cum inopi debitore & eodem valde litigioſo mihi res eſt. Vereor ut ante ferias natalium Domini reverti poſſim, &, quod longe moleſtius eſt, vereor ne revertar inanis. Poſthac abſtinebo, ut mones, ab iſtis curſitationibus. Interim me famamque meam tibi committo, tuæque mando fidei. non erit tibi pudori, patrono fiſci, ſuſcepiſſe patrocinium Baudiani nominis apud faventes & benignos judices, niſi quod nimium incumbunt ad ſublevandum caducum parietem,& (quod ſine inſectatione humanitatis dixero) corpore cœlo fulminatum. Vale, Vir Clariſſime. IV. Decembris ex urbe Gandavo, cIↄ Iↄc XI.

EPISTOLA XC.

Cornelio vander Myle Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

EX literis, quas ad me ſcripſit decus ſæculi, & primarius juvenum Hugo Grotius, multa cognovi quæ plurimum intererat meæ famæ atque exiſtimationis non ignorari. Video per cuniculos, non aperta petitione oppugnari, per eos, qui præſentem omni ſpecie benevolentiæ ſubdole complectuntur & palam laudant, ut clam ſubvertant. Dabo operam quan-

tum humanitus fieri poteſt ut emendata vitæ diſciplina calumnias malignorum in poſterum compeſcam. nam præterita facilius corripi quam corrigi poſſunt. Obhæſimus, fateor, ad Sirenum cantus & Circes pocula, nunc vela retro flectemus ad bonæ mentis portum; neque enim unquam viro ſapienti non eſt integra mutatio conſilii in melius. Illud te per jus veteris amicitiæ oro atque obteſtor ne quid durius in me decerni patiaris reo indefenſo atque inaudito. Etiam ad cauſam dicendam ſummorum criminum manifeſti admittuntur, nedum ut nobis hoc commune perfugium excuſandi erroris intercludi debeat. Idem virorum eximius & amicorum intimus Grotius me, ut opinor, apud te purgavit & apud optimum Collegam de hoc itinere quod ſuſcepi, delinitus ſpe accipiendi præſentes nummos ex venditione maternarum ædium. ſic enim ad me ſcripſerat cognatus, nihil deſiderari ad eam rem præter præſentiam. Sed longe aliter coram experior, & vereor ut hoc moleſtum iter fruſtra ſuſceperim cum diſpendio etiam valetudinis, qua jam per triduum uſus ſum minus proſpera, nec adhuc bene convalui. Inter alias cauſas, quæ me moverunt ut in viam me darem, hæc fuit non infima, ut prudenti abſentia ſubterducerem me ab importunis conjugii diſparis congratulationibus quibus cottidie aures meæ circumſonabantur. Vt in meam vitam curioſa indagine livor inquirat, nihil reperiet præter duo bonæ mentis deliquia. à quibus ſedulo poſthac temperabo, & efficiam ut cenſeri poſſim exemplum veteris diſciplinæ. Hujus ego voti has literas teſtes eſſe cupio, ut perjurium mihi exprobretur ſi ſecus fecero. De matrimonio nec inopi, nec inhoneſto mihi ſedulo diſpiciendum erit. nam nec in rem meam eſt ut ſolitarius vivam, nec genius meus pati videtur ut hoc neceſſario malo carere poſſim. Mihi dum favor & benevolentia veſtra adſpirare dignabitur, non deerit unde mimum vitæ commode nec ſine gloria tranſigere queam. Plura non addo, niſi me quamprimum potero ad priſtinam ſtationem eſſe reverſurum. Datum Gandavi IV. Decembris, CIↃ IↃC XI.

EPISTOLA XCI.

Iohanni Polyandro Rectori deſignato Dom. Baudius S. P. D.

Lugd. Batavorum.

SI quiſquam eſt collegarum, ad quem lætitiæ cumulus ex honore tibi delato redundavit, in eo cenſu me principem locum tenere profiteor. Nemo enim hodie vivit, quem tecum candore & ingenuitate morum exiſtimem eſſe comparandum; nemo, de cujus propenſa erga me voluntate minus dubitem, & à quo certiora veri amoris pignora exſpectem. Non potes auſpicium Rectoratus ordiri à meliori omine & augurio, quam ſi meo nomine veniam impetraveris ab ampliſſimis Curatoribus & Conſulibus. * * Satis enim ſuperque pœnarum dedi ob quædam parum recte & ordine conſulta. Sanabo offenſas officiis, & in poſterum efficiam, ne quem nævum egregio inſperſum corpore livor carpere queat. Etiam illud te rogo, ut aura favoris tui me jam quinquagenario majorem liberet à curaturâ Pinakeri. Neque enim, ut opinor, ejus egeo, qui conturbatiſſimas habet rationes, & ægre rebus ſuis ſupereſſe poteſt. Hæc ſcripſi feſtinans. Cras, ut ſpero, te videbo. Supremum humanitatis officium, impendendum manibus boni ſenis, me huc hodie detinet, & haud invitus arripui occaſionem abſentiæ, ne cum detrimento honoris à muneris mei abeſſe cogerer officio ſolemni. Manebit penes animum meum ſempiterna memoria beneficii, cujus ſolidam laudem apud te reſidere cupio. Pleroſque Conſules & ipſum Syndicum diligenter ſum allocutus. ſpero te in cauſa minime jam odioſa impetrabilem fore. Itaque plura non addam, niſi ut nos amare perſeveres. Datum Hagæ Comitatenſis VII. Februarii, cIↃ IↃ C XII.

EPISTOLA XCII.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

RES eſt loquax lætitia, cui vis quædam ineſt cogendi. *quo, bone, circa* contineri non poſſum quin ejus te participem faciam, quem ſcio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

mea ſolide gaviſurum gaudia. Reverſus domum, ut heri ad te ſcripſi, optata omnia comperi de mea Sophia, quæ me abſente ancillam lecti & arcanorum ſociam miſit ad patrem ſcitatum, non oracula Phœbi, nec rogitatum ſuper Priamo, vel Hectore, quorum ſors lamentabilis jam ſatis diu multumque defleta eſt, ſed ſuper noſtra majeſtate, an durius accepiſſem plenam familiaritatis repulſam, & an fera beſtia factus eſſem amiſſa voluntate revertendi. Ego vero oculum mihi exſculpi malim, quam pati ut tam opima conditio elabatur è manibus. Heri profecta eſt Amſtelrodamum, ob ſiniſtrum rumorem, qui fertur de quodam mercatore, cujus nomen nec ſcio nec ſcire laboro. Eum ajunt ceſſiſſe foro. quod ſi ita eſt, tacta eſt mea ſperata bolo quinque millium florenorum. Sed magis moveor abſentis deſiderio, quam jacturæ periculo. Nam in tantis opibus, quas conſentiente fama poſſidere dicitur, hoc diſpendium per eſt exiguum, ut ſi ex uberi vindemia racemum demas, aut manipulum ex horreo. Ea res magis erit incitamento ne virum eum aſpernetur, cujus cenſus tale nihil metuit,

Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non caſus alios periculorum,

quem ſecum aſportabat Bias quum capta urbe & arce patriam expeditus deſereret. Scripſeram heri, literas tibi redditum iri ab uxore mei hoſpitis: ſed iter in hunc diem diſtulit, & ſe ad te ituram eſſe promiſit, ut reſciſcat an à Curia Provinciali reportaturus ſim pauca nuncianda propudio meo non bona dicta. Fertur eſſe ἐν ὀδύνῃ. *ſed nullus credo, licet illi plurima manet Lacryma.* ſunt enim quibus non poteſt perſuaderi eam eſſe gravidam, & ego quidlibet credo poſſe cadere falſimoniæ, fraudis & malitiæ in tam profligatam, perditam atque inteſtabilem fœminam. Si tamen rumor verus eſt, quaſi dedita opera Iuno Lucina videtur voluiſſe factum, ut pater γνήσιος καὶ ἀκίβδηλος deprehenderetur ſtratioticus ille Germanus, qui me catena ſua πονηροῦ κόμματος decatenavit ab iſto ſcopulo. Vtut res cadet, nihil mihi evenire poteſt triſtius aut deterius quam quod animo præcepi, & mecum ante peregi. nempe futurum,

futurum, ut perjurio caput alliget, & ὑποβολιμαῖον obtrudat heroï Baudio. Quid tum poſtea? malo agnoſcere alienum, quam fœtum humanum non ali. Teſtimonio erit me marem eſſe, & viri munia poſſe fungi. Nihil inde abradetur in poſterum meæ Sophiæ, cujus arvo familiari reſervabitur

Quidquid in arte mea poſſum promittere curæ.

Plura volebam familiarius nugari, quum ſignificavit mihi hoſpita, quæ tibi haſce reddet, ſibi eſſe continuo eundem ad currum. Vale cum uxore, parentibus, ſorore lectiſſima, & cum omni familia. Datum Lugd. Bat. III. Kal. April. cIↃ IↃC XII.

EPISTOLA XCIII.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

DOmum reverſus audivi nuncium perquam optabilem de meis amoribus. Omnia eveniunt ex animi ſententia, nec quidquam deeſt ad votorum ſummam, niſi ut eximam ſcrupulum de pollicitatione matrimonii cum exoleto iſto propudio, labe & tabe meæ famæ & exiſtimationis. Hanc tu peſtem ac perniciem ſi amolitus fueris pro dignitate muneris quo fungeris, & pro auctoritate qua merito vales plurimum, ſolidiorem capies gloriam, quam

——— *Diram qui contudit hydram,*
Notaque fatali portenta labore ſubegit.

Tam viles perſonæ, tam diobolares victimæ publicarum libidinum, non ſunt dignæ obſervatione legum, ut memini aliquando legere in Corpore juris, ſed locus non occurrit memoriæ. Quæſo te ut hiſce literis perlectis continuo cures accerſendum advocatum vander Werven, qui legem horrendi carminis dictet, cujus obnunciatione fulminari poſſit fatalis illa fundi noſtri calamitas. Hoc ego beneficium tanti faciam, ut nemini plus in vita ſim unquam debiturus. Sed matures, oro; nam amanti, & animo cupienti nihil ſatis feſtinatur. Si ullo modo fieri poſſit, effice ut per hanc nunciam, quæ eſt uxor Nerei hoſpitis mei, fiam certior non de tua propenſiſſima erga me voluntate, quæ mihi eſt mero meridie clarior, ſed de mandamento pœnali. Periculum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

culum enim eſt in mora. nam propinqua partitudo appetit, ſiquidem paritura eſt. nam permulti dubitant num ſit gravida. quod ſi eſt,

Sublimi feriam ſidera vertice.

Cuperem inſeri mandato, non eſſe illi ſcorto publice diffamatiſſimo deferendum jusjurandum tempore partionis, nec habendam fidem in deſignando parente tam multorum capitum.

Cum ſuis vivat valeatque mœchis,
Quos ſimul complexa tenet trecentos.

Ego nihilominus ſponte mea incitatus faciam quod officium humanitatis injungit. ſed cogi Baudium non decet, non oportet à tam proſtituti pudoris ſcorto. Plura non addo, niſi ut totum Grotium explices ad medendum curæ & ſolicitudini

Quæ me nunc coquit, & verſat ſub pectore fixa.

Datum Lugduni Batavorum XXVIII. Martii, CIↃ IↃC XII.

EPISTOLA XCIV.

Adriano à Mathenes, & Cornelio vander Myle, Curatoribus Academiæ Leidenſis, Dominicus Baudius S. P. D.

Hagam Comitis.

COmmuni officio humanitatis adductus ſum, ut hunc hominem veſtræ benignitati commendarem. Vexat eum importuna bonæ mentis ſoror paupertas: nec auſus eſt magnificus Rector ejus inopiam ſublevare niſi veſtræ commiſerationis ſuffragium accederet, ne liberalitas ipſi fraudi eſſet. Modico ſubſidio contentus erit: non enim animus aut ſors ejus arduas ſpes fovet. Si tamen pluſculum ſeſe diffundere volet veſtra fragilitatis humanæ conſideratio, majorem gratiam vobis habebit, & ego lætabor meas apud vos preces aliquod pondus habuiſſe. Quanquam ex quo tempore à jure dicendæ ſententiæ in Senatu Academico ſuſpenſus eſt heros Baudius, vix defæcato animo lætari potui. Sed optima ſpes me fovet, futurum ut brevi in integrum reſtituatur. Nam cum iſta peſte ac pernicie famæ & exiſtimationis meæ ſpondeo, promitto, ſanctiſſime juro, mihi nullam unquam fore conſue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

conſuetu[dinem]. ita mihi & animæ meæ propitius ſit Deus, quem ex intimo cordis affectu veneror, ut vos diu ſervet incolumes bono publico noſtræque Academiæ. Valete. Datum VII. Aprilis pridie natalium meorum cIↃ IↃc XII.

EPISTOLA XCV.

Stephano Douſæ Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVod heſterna die cum amiciſſimo collega D. Pynackero te rogavimus ut gatiam & auctoritatem tuam interponere velles adverſus ſordes & avaritiam tui Prætoris, id nunc iterum communiter à benignitate tua contendimus. Et ut majus habeant pondus tuæ literæ, oratum te cupimus ut eas vel mihi, vel collegæ cures reddendas. Nam ipſe D. Pynackerus homo natus ad humanitatis officia, & ad bene de miſeris mortalibus merendum, non gravate munus iſtud in ſe recipiet ut de manu in manum tradantur Schulteto. nam religio mihi eſt ulterius profanare majeſtatem prætoriæ appellationis. Fecero injuriam & amicitiæ quam mihi tecum eſſe pateris, & genio manſuetudinis tuæ, ſi pluribus te rogem quod tam comiter annuiſti te eſſe facturum. Vale, & bene rem gere. Datum XVII. April. cIↃ IↃc XII.

EPISTOLA XCVI.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

EX quo à nobis diſceſſiſti profectus ſum Amſtelrodamum rogatu * impulſus, quæ me vehementer obteſtata eſt per literas, ut ſi mihi chara eſſet ipſius fama & exiſtimatio, nuptias inter ſe & * maturandas curarem. Vltro quidem ivit nuptum non adhibitis in conſilium auſpicibus, ſed tamen nihil deſideratur ad ſummam legitimi conjugii præter ſolennes ritus. Ipſe enim eam jactanter agnoſcit pro uxore, ſed pater negat ſe habere quod det. Niſi res nimis palam eſſet, & niſi *parvulus aula Luderet Æneas*, auctor ei eſſem ut in priſtino ſtatu maneret. Eſt enim juvenis *nulla virtute redemptus à vitiis*, qui nulla alia ſpe ſolari poteſt ægram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

animi, quam exſpectatione fœcundæ & opimæ eſuritionis, qua non fiunt pingues in Erethria boves. Sed ut ad ea quæ propiora rebus meis ſunt veniam, à tuo diſceſſu nec patrem τῆς ἀστȣ̃ Σοφίας allocutus ſum, nec me conveniendum curavit Mercurii mater, niſi quod audio eam adhuc paſcere ebrioſas, futiles & furioſas ſpes de matrimonio.

— ſed prius Appulis
Iungentur capreæ lupis.

Quid mihi auctor es ut faciam? Exſpectem litis eventum? hoc ſpiſſum eſt amanti, cujus animo nihil ſatis feſtinatur. Quanquam hiſce nugis jam longum valedixi, ſaltem inducias pepigi. Cuperem ad me mitti per hunc ipſum nuncium formulam tranſactionis, quam ipſe concepiſti. Spero me effecturum injecto metu majoris malitatis, ut cupide ſubſignet, & voluntariam condemnationem ſubeat. Hoc niſi fundamentum præſtruatur, non ſinit θυμὸς ἀγήνωρ ut viam affectem ad meam Divam, quæ non intelligit ſua bona. nec ideo tamen demovebor ab amandi propoſito, quamdiu ſpes aliqua ſupererit expugnandi ferreum iſtud pectus. Sed nunc ſero ſapiunt Phryges, & pertæſum eſt occupatiſſimæ inertiæ, quæ me per aliquot menſes mihi ſurripuit. ποιεῖν τι δεῖ εἰς γόνυ χλωρόν. Vale vir eximie cum lectiſſima conjuge & familia. Datum Lugduni Batavorum II. Iunii CIↃ IↃC XII.

EPISTOLA XCVII.

Ioanni Iſaacio Pontano Dominicus Baudius S. P. D.
Hardervicum.

NVllum genus officii eſt quod uſurpem lubentius, quam quum coram aut per literas commendandi ſunt egregiis virtute ac doctrina viris adoleſcentes, quibus adeſt bona ſui ſpes, & qui parentum voto deſtinantur ut aliquando patriæ honori atque emolumento eſſe poſſint. Ex hoc genere eſt hic meus cognatus. qui ſatis feliciter jactis ſtudiorum fundamentis ad vos affectat viam, ut cum utilitate publicis recitationibus intereſſe poſſit. Quo plus jam ipſius libertati permittitur, hoc arctius in officio continendus eſt, ut ſua ſponte imbibat honeſtarum rerum & inge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

& ingenuarum artium amorem. in quo ſunt omnia ex mente & ſententia ſapientiſſimi hominum Socratis, qui ſeſe cuncta conſecutum eſſe arbitrabatur, ſi rationibus ſuis, aut oratione perfeciſſet, ut homines ad veræ laudis & virtutis ſtudium excitarentur. Amanti enim nihil difficile eſt, ὁ δ᾽ ἐρῶν τὰ τοῦ μέλλοντος οἴχεται φέρων. Pergratam rem mihi & patri atque omnibus amicis feceris, ſi dederis operam, ut intelligant meas apud te preces aliquod pondus habuiſſe. Datum raptiſſime Amſtelrodami, ex ædibus viri tibi non ignoti, III. Kalendas Quintileis, CIↃ IↃC XII.

Epistola XCVIII.

Stephano Douſæ Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

ITerum te audeo compellare, vir nobiliſſime, in gratiam hominis miſeri, motus miſericordia erga patrem, qui ſeſe animi diſcruciat ob moras, quas nectit tuus Schultetus, cui tamen manus inunctæ ſunt collybo. Dicit inſtrumenta litis eſſe penes te, ut ex conſilii ſententia concipiatur formula reſponſionis ad reſcriptum Principis. Etiamſi cauſa non eſt admodum favorabilis, quippe cum de homicidio agatur, tamen & parentis preces, qui pro unico filio vehementer ſollicitus eſt, & innata mihi facilitas nihil cuiquam bono denegandi, & humanitatis tuæ fiducia, & hominis ipſius dotes, cui hoc infortunium fato potius quam meditato conſilio evenit, me compulerunt ne gratiam & auctoritatem tuam implorare dubitarem, ut maturetur quidquid aut ſperandum eſt, aut metuendum. Satius enim eſt ſemel cadere quam ſemper inter timoris & ſpei tormenta verſari. Cujus rei documentum habeo domeſticum meos amores,

Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus.

Ego jam talibus ineptiis repudium renuntiavi, ſaltem inducias pactus ſum, cœpique ſerio incumbere iis curis, quas nobis Meurſioque collegæ concredidit Ordinum Illuſtriſſimorum auctoritas. Vellem cum Themiſtocle artem oblivionis doceri, ut ex animo elaberetur memoria tam operoſæ inertiæ deſidioſæque occupationis, qua me per aliquot menſes ſuſpenſum te-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nuit genus iſtud fœmineum. Nunc velut è fatali quodam veterno excitatus ſecum in gratiam rediit animus, &, ut ſpero, brevi exſtabit monumentum noſtri laboris, *quod & hunc in annum vivet, & plures, ſi qua ſui merito eſt fiducia forti*. Sed intercludor temporis anguſtiis. nam experiendo rem magis arduam eſſe cognovi quam animo præceperam, Hiſtoriam conſcribere. & æquior ſum erga Tragoram, cui benignitate Divûm non obtigit ut ad antiquitatis gloriam adſpirare poſſit. Quid alter præſtiturus ſit, volvenda dies declarabit. Omnia meæ ſpei prona eſſent, ſi tam eſſem ſapiens & diſertus quam ipſe ſibi videtur. Sed hæc taciturnitatis ſacramento obſignata manebunt penes totidem quot tu egoque ſumus, ne quid Andria forte apportet mali. Vale cum eximia uxore & liberis omnique familia. Datum Lugd. Batav. poſtridie Kalend. Quinctil. CIƆ IƆC XII.

EPISTOLA XCIX.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Cogor apud te, fidiſſimum & amiciſſimum pectus, exonerare conceptum animo dolorem ex inſigni injuria qua ſum læſus indignum in morem ab iis quos minime oportebat. Nam ex honeſta conſcientiæ fiducia poſſum jure gloriari me nemini mortalium, qui guſtum aliquem humanitatis, & honoris habeat, juſtam cauſam præbuiſſe cur me odiſſe debeat. Pridie Kal. Quinctiles vocatus ſum in Senatum ut cauſam dicerem qua fiducia ſubnixus theſes politicas defendere auderem, quaſi ſcilicet alterius fori ac territorii, non noſtræ juriſdictionis res foret. Dixi, ſalvis auſpiciis ea quæ. ſed priuſquam reſpondere volui, quum magnificus Rector verba facturus oſtenderet mihi locum ubi conſiderem, negavi, forſitan temere, ſed tamen negavi, me poſſe ſalva dignitate ex alio loco audire loquentem quam qui mihi eſſet ante aſſignatus, nec ipſis eſſe jus alia de cauſa me vocare in Senatum quam ut ſententiam cum collegis dicerem. Tamen ne ignorarem horribile arcanum quam ob cauſam patres conſcripti veniſſent in Curiam, & an Hannibal eſſet ad

portas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

portas, aut aliquis nuncius ſuperſtes à clade Cannenſi, propius acceſſi ad ipſum

Qui pecori imperitat, quem tota armenta ſequuntur.

ἄγχι σχὼν κεφαλήν. Quærit primum ex me an ſtatuiſſem præſidium & auctoritatem ſuffragii commodare defendendis corollariis periculoſæ aleæ plenis, ut eſt diſputare in ambas partes: An religio ſit de ſubſtantia reipublicæ, & negare fas eſſe ſubdito privatoque homini ob cauſam religionis arma ſumere contra Principem: & id generis alia. Reſpondi, cauſam non videri cur in hoc atrio libertatis non ſit fas abſque pervicacia ſentire quæ velis, & quæ ſentias expromere. Tamen rogatus ut admonerem juventutem ne temere & abſque delectu talibus axiomatis aſſenſum præberet, ſignificavi, me facturum. Quæſitum item eſt an ſcirem, Heinſio heroï decretam eſſe Spartam politicæ profeſſionis, ne falcem immitterem in meſſem alienam. Quidni, inquam, ſcirem? indigna homine dubitatio. Πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην; Ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας. Fama nihil ignorari patitur de inſignibus ad laudem viris. Sed & profeſſori primario τῆς φιλοσοφίας διὰ παραδειγμάτων fas eſſe puto bene mereri de ſtudioſa juventute. &, ut ante jeci, ſalvis auſpiciis ea geruntur quæ pro publica utilitate fiunt. εἷς οἰωνός,

Hoſtem qui feriet mihi erit Carthaginienſis.

Suſcipit iterum Rector, querelas ad ſe delatas, quod duobus ante diebus in funere amici, cujus funeris caput erat Philibert du Bois tibi probe notus, clauſiſſem latus Pinackeri, quum à tergo ſequeretur collega, ſi ſalva majeſtate imperii licet mihi eum ita appellare dum careo jure ſuffragii. Magnum ſane crimen, & funere expiandum. Atqui non ignoras, inquit, qua nota ſis adſperſus, nec tibi locum eſſe ullum inter ordinarios, donec in integrum ſis reſtitutus. Reſpondi ſatis confidenter, nec pœnitet. Sed caput erat, ſententiam Curatorum & Conſulum non ultra extendi oportere quam ad jus ferendi ſuffragii, non autem ad alia ornamenta dignitatis. Pœnas enim eſſe reſtringendas, & olim Senatoribus ultro ſe excuſantibus ſervatum fuiſſe ab optimo Principum Auguſto inſigne veſtis,

& ſpectandi in orcheſtra, epulandique publice jus. Non aliter ſentire ipſos à quibus eſſem notatus, quorum judicium acciperem tanquam ξυμφορὰν θεήλατον & cœlitus immiſſam admonitionem qua duce in viam redirem. Nec me ab eo tempore quidquam admiſiſſe dignum triſtiore ſententia. Subjecit Rector, aliud ſibi eſſe compertum. Sane ſi tam implacabili animo ſunt in me, quos ego præcipuos Mecœnates meos ſemper duxi, & ſi tam inviſus ſum Conſulibus ob quædam parum decore geſta, ut mea contumelia lætentur, conſilium ſumam à deſperatione, & me ſubducam ex hiſce regionibus aliquò *ubi nec Pelopidarum*. Sed reprimo iracundiam. audi reliqua. Quum eſſem domum reverſus, venit ad me Iacchæus, homo integerrimus, & mihi amicus fraternum in modum, aut omnia me auguria fallunt. Significat ex parte Magnifici, pleroſque Ordinarios diſputationi interfuturos, ſed hac lege, ſi eos omnes præcedere paterer, quum ex auditorio exeundum foret.

Quanquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit,

tamen & hanc contumeliam

Incolumi Iove & urbe Roma

concocturum me ſpopondi. Heſterna die graviter apud Rectorem queſtus ſum de inhumanitate non audeo dicere collegarum, nos tamen fremente invidia Baudius manebimus. renovavi etiam veteres offenſas quod me in cauſa deſipientis Sophiæ allocutus eſſet tanquam vitæ iratum, & candidatum patibuli. Sed Sophiam iſtam ſuam moribus ulciſcendam permitto, ſi quidem rata habet quæ barbarus parens in me ruſtice & inciviliter deſignavit: nam contrarii rumores ad me deferuntur. nonnulli dicunt, tam honorifice & amice de nobis loqui: quod ſi ita eſt, recte & ordine facere ipſam arbitror, καὶ γὰρ τόγε λώϊον εἴη, & tunc paratus ſum omnem præteritorum memoriam fideli amneſtia ex animo delere, καὶ μὴ μνησικακεῖν. ſin talia flagitia probat, nunquam eam ſermone fuero dignatus. Sunt enim qui dicant, me ab ipſa proſcindi tam cruentis convitiis, quaſi crimen ſit quod vivam. Sed nunc meliores curæ me exercent, quam otioſæ iſtæ occupationes circa fœmineum ſexum. Sero [a] arbores quas ſpero nec inuti-

les

[a] *Libros de Induciis.*

les fore vivo, & profuturas alteri ſæculo. Cæterum ut revertar ad τὸν μεγαλοπρεπῆ, [b] tantum abeſt ut doloris mei ſit miſertus, ut me objurgaverit, quod in concione auſus eſſem occupare locum altioris ſcamni, non niſi deſtinatum Ordinariis; idque Magiſtratui ſuperbum & arrogans videri, quaſi notam inuſtam contemnerem, & auctoritati Curatorum inſultarem. Quid eſt ſi non hæc contumelia eſt? Sed finem facio, & rogo te ne hæc diſpaleſcant. Verum pro jure familiaritatis quæſo reſciſcas παρὰ τοῦ εὐπενθέρου, an me tam inviſum fatis genuerit mater, ut reconciliari in gratiam non poſſim. Pedum viſa eſt via, & carendo magis quam fruendo intelligent, ἣν ἄτην ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισαν. De Maia jam ante ad te ſcripſi. nihil æqui bonique faciet niſi jure judicioque coacta. eſt enim animal impotens, indomitum. tu plus effeceris quam *diram qui contudit hydram*, ſi me hoc monſtro liberaveris. Cur non poteſt illi lata fuga indici quæ nihil habet nec in fama nec in fortunis quod deperdat? an quia tam præclara cive reſpublica noſtra, vel Academia carere non poſſit? Vale cum familia, & nos ama. Datum VI. Non. Quinctileis, CIↃ IↃC XII.

EPISTOLA C.

Hugoni Grotio Dominic. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

SCAZON.

O Celle vatum, cura corque Muſarum,
Medulla Suadæ, & officina doctrinæ,
Themidis ſacerdos, cultor integer recti,
Vir magne, vir mirande, vir ſine exemplo:
Quid me putas nunc agere, flos amicorum?
Vtrum ne faſtus, & protervias harum
Adhuc pati, colloque ferre ſervili
Captiva vincla retis? an mei juris
Traducere ævum? gratulare purgato
Morbi ſodali. jam meus, meus vivo,
Nec me amplius videbis, ô decus ſecli,
Seclo indecorum: non ego ſacramentum
Dixi infidele. ſat ſuperque decoxit

Egenæ

[b] *E. Vorſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Egena laudis fama Baudium vatem.
Nunc mens, & ætas ſanctioribus curis
Seſe ſacravit, unde conſequens ætas
Amare, & æſtimare nomen hoc poſſit.
Sero arborem, quæ proſit alteri ſeclo.
Si noſtra navis hæſit ad vadum Circes,
At eſt regreſſus ſemper ad bonam mentem:
Sanatibuſque pœnitentiæ portum
Nunquam benigna cura cœlitum claudit.
Nunc Sophia ſola me tenet ſibi totum,
Quæ certa nobis ſigna mutui ardoris
Dedit daretque: ſed cupidini obſiſtunt,
Sufflaminantque, frigidamque ſuffundunt,
Linguæ nocentes, & calumniæ virus,
Qua peſte non eſt ulla major in terris.
Hoc triſte monſtrum tu potes procurare,
Non mole vaſta, non toris lacertorum,
Clavaque ad inſtar efficacis Alcidæ:
Sed arte dextra vocis, & precis blandæ.
Adhæc parens humanitatis ignarus,
Qui præter auri laminam refulgentem
Nulla expetenda dona ducit in vita,
Ritu ferino barbaroque ciſpellit
Noſtros amores: nec capit ſuam ſortem,
Ioviſque conjunx eſſe neſcit invicti
Plebeia nympha, pectus integrum probri,
Fraudiſque purum, ſed nimis ſolo affixum,
Quæ Baudii de portione nil traxit;
Sed eſt tamen materia mobilis flecti,
Si ſit maritum nacta maſculæ mentis,
Qualem parentes protulêre me terris,
Quippe haud amomum tale naſcitur vulgo,
Nec more glandis procreatur è quercu.
Sed Sophia noſtra mora vivit, & neſcit
Tanta æſtimare dona, ni Poëtarum
Perfuſa aceto nomen aſſerat factis.
Hoc tu potes præſtare, lux juventutis,
Si nos favore duxeris tuo dignos:
Nil illa Magno denegabit Hugoni,
Sed & parentis ira vi tuæ Suadæ,
Meoque tandem amore victa miteſcet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Ita quidem *& reor, & (veri ſi quid mens augurat) opto*, quoniam tu mihi auctor es ut in amore pertendam, & ſignum ad bene ſperandum extollis. alioqui dicam grandem impegiſſem μελλοπενθέρῳ, & natam cum inteſtinis omnibus res ſuas ſibi habere juſſiſſem, nec vetuiſſem multum plorare, ſi lacrimis eluere poſſet labem famæ ſuæ adſperſam ex ridicula quadam expoſtulatione. Quam bella materies jocorum ſuppeditaret, ſi talis cauſa in judicium deduceretur? Sed nunc non eſt jocandi tempus, & ſatis habeo litium cum una excetra. quam audio collocutam eſſe cum uxore tua, & adhuc furioſas illas ſpes fovere de matrimonio. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Amabo te, libera me quamprimum ab hoc infami ſcopulo. *operum (mihi crede) tuorum eſt*. Heri mihi Heinſius noſter adfuit, & rogatu meo adductus, partim ſua ſponte incitatus, recepit in ſe munus colloquendi ſerio cum Feſto Hommio περὶ τῆς Σοφίας. is tenet clavum imperii, & patris animum habet in ſua manu. Sed ſumma cum æquitate exſpecto quemlibet eventum, & prope eſt ut malim repulſam; ita me tædet & contumeliarum parentis, & inſulſorum filiæ morum, quæ præter nomen non poſſidet micam ſalis. Illud te rogatum cupio, ut cauſam meam apud Mylium Matheneſiumque ſerio agas, ne diutius τὸν ἄριστον Ἀχαιῶν ὃς οὐδενὸς ἥττων εὔχομαι εἶναι τῶν συμμυστῶν patiantur adſperſum eſſe nota, quam humanitate & amore adducti, non odio (ut opinor) inuſſerunt, ut à fatali veterno excuſſus reverterer in viam. Valde item cuperem repeti ab εὐπενθέρου carmen meum ad facundum veri præconem, quod aſſervavit jam *ſpatio longius anno. Niſi quid tu, docte Trebati, diſſentis*, Heinſius & ego inter nos convenimus de editione. ſed addetur præfatiuncula, ne homines ἄμουσοι καὶ ἀπειρόκαλοι nos furere & vaticinari putarent. Rogo ut hæc tibi ſint curæ, & facias me verbo certiorem quid actum ſit. Vale vir eximie, & nos ama. Datum Lugduni Batavor. v. Eid. Iulias, CIƆ IƆC XII.

Centuriæ Tertiæ

FINIS.

DOMI-

DOMINICI BAUDI EPISTOLARUM CENTURIA IV.

EPISTOLA I.

Nicolao Reigersbergio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVod olim magno Senecæ fuit Lucilius virorum optimus, hóc tu mihi eris ſi te conditionis non pœnitet. Scribam ad te quidquid ſub acumen ſtyli venerit, & illinam protinus chartis, ubi me impetus ceperit, quæcunque ſe temere cogitationi objecerint. Non defugies opinor auctoritatem, nec intercedes rogationi, ſi bene ingenium tuum novi, qui joca, ſeria noſtra, juxta æſtimas, ὡς ἐκ τῶ Διὸς δέλτων μάρτυν. Nuper ſcripſi ad Philibertum du Bois, hominem, ut opinor, tibi non ignotum. nam cui non notus Hylas? erant adjunctæ literæ ad Arſenium ſcribam, plenæ magnificarum pollicitationum; ſed tamen non majora promittam, quam mihi conſcius ſum me poſſe factis abunde præſtare, ſi pergam, ut cœpi, ſacra mea commovere. Petebam ut ei viro traderet Senatuſconſultum illuſtriſſimorum Ordinum, quo me coadjutorem Meurſii laborum in Hiſtoria conſcribenda renuntiarunt. Nam etſi forti viro bonoque civi licet bene mereri de patria, de ſeculo, de literarum gloria, etiam abſque mandato, quum ſit εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης: tamen utilius ad ſpem compendii, & honorificentius ad famam eſſe creditur, ſi publicæ auctoritatis auſpicia ſequar, quam ſi meo remigio rem geram. Quocirca velim reſciſcas

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ex eo quid actum ſit. ex Philiberto, inquam, qui pro beneficio à me petiit, ut ſe parario & ſequeſtro uterer ad compellandum Scribam. Dicitur noſtra bonæ mentis & ſecundæ exiſtimationis pernicies jam per triduum aut quatriduum hærere Hagæ. Sunt qui aiunt eam profectam φίλην εἰς πατρίδα γαῖαν. Vtinam illo terrarum delata eſſet, quo monſtra piacularibus ſacris luſtranda amitti deportarique ſolent, ut Pelopidarum neque facta neque nomen audirem. Sed probæ iſtæ merces uſu non conſumuntur, immortales ſunt, vivunt in pœnas hominum, in infamiam ſæculi, in ludibrium ſacroſanctæ Themidis, quæ haud recte dicitur aſſidere ſolio Iovis ſupremi, & regina rerum humanarum divinarumque εὔχεται εἶναι, ſi tot Iuſtitiæ antiſtites unicam maleficam Circen, quæ meos ſenſus venenavit, amoliri non poſſunt, ſaltem ut Leidam contagione ſua & ædes meas noxia vicinitate non infeſtet. Detur illi lata fuga per immenſos patris Oceani nympharumque ſororum liquentes campos, detur libera vagandi poteſtas per omnia regna Veſtæ matris: dum oculis meis inviſum ſpectrum non occurrat. An non poteſt Academia noſtra carere tali incommodo? Iam pridem id pro imperio factum oportuit, ſi tantum ſibi juris vindicarent in beluas λαῶν ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, quantum εἰς ἀρίστους Ἀχαιῶν. Neſcio quæ tempeſtas nobis impendeat: nihil certe animus præſagit boni, niſi quod τὸ καλὸν παρ' ἐμοί, & patria eſt ubicunque vir fortis virtute ſua rectique conſcientia involutus ætatem degit. Video hoc agi, ut contumeliis, haud tolerandis ἀγήνορι θυμῷ, adigar ad diſpiciendam pedum viam, & quærendam haud inglorii atque inopis exilii ſedem. παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς. Nos frementibus quantum eſt invidorum * clari erimus, & olim forte cum Themiſtocle gloriabimur, *perieram niſi periiſſem.* Qui mortem non horret, non multum reformidat rumuſculos malignorum, qui per cuniculos oppugnare malunt famam & dignitatem heroum, quam divinas eorum dotes venerari, & amicitiam officiis elicere ac promereri. Nulla alia offenſione ſum nonnullorum odia conſecutus, quam inculpata libertate promendi quod ſentio, &

nimia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nimia quadam morum ſimplicitate. Malo decipi, quam diffidere iis qui benevolum vultum & affectum præ ſe ferunt. Nemini bono juſtam cauſam præbui, cur me debeat odiſſe, niſi candori & ingenuitati bellum indicat. Si fama noſtra paululum hæſit ad cantilenas Sirenum, ſi interdum virtus incaleſcit flore Liberi, commune hoc vitium mihi eſt cum priſco Catone, illud cum maximis viris. quibus ego tamen auctoribus nolo culpam defendere, ſed optimus eſt erranti portus mutatio conſilii in melius. Omnis jam in eo ſum, ut ſanem offenſas officiis. Interim ab amiciſſimis viris, & minime fucatis mihi obnuntiatur, aliquid adhuc triſtius parari. Sed ſolatur me illud, τίς ἐστι δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν; Quam putas mihi grave & moleſtum accidiſſe, quod ſerio monitus ſum à Magno affine tuo, quem primarium ſæculi juvenem audeo dicere, non debuiſſe me niſi communicato cum collegis aut magiſtris noſtris conſilio literas mittere ad * * *. Ego vero vitam mihi eripi malim, quam ut hac in parte culpam ullam agnoſcam, & miror tam cordatum virum rapi in aſſenſum tam ſiniſtræ interpretationis. Nullos æque omni obſervantia complector, aut magis mea cauſa velle & poſſe ſcio, quam Dominos Curatores. Sed tamen non ita contemptim judicandum eſt de præclaris ingeniis, & luminibus Academiæ, quibus ſæculum illuſtratur, ut Curatoris indigere cenſeantur. Datus eſt mihi tutor, quaſi rebus meis ſupereſſe non poſſim, adſperſus ſum nota ob quædam haud ſatis decore geſta. Plerique putant hanc labem non alia conditione deletum iri, quam ſi inſulſum pecus uxorem duxero, cui præter Sophiæ nomen nihil adeſt humani cordis. An ideo pereundum erat Pompeio Magno, ſi Lucullus non eſſet luxurioſus? Ego invitam cogere non poſſum ut velit eſſe conjux invicti Iovis. & tanti non eſt ut vel illi vel furioſo parenti ſupplicem. Dos tamen non eſſet aſpernanda, niſi marita foret, & poſſet abſque muliebri capite contingere. Poſtquam * * * * reverſus fuerit, perſuaſu amicorum decretum eſt mihi jacere noviſſimam aleam, & exquirere an mecum lege fidelis καὶ τῆς ἀδόλου ἀμνηστείας paciſci velit. Paratus ſum ex animi ſententia conceptis verbis jurare μὴ μνη-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

μνησικακεῖν: dum & ipſa levitatis culpam agnoſcat, & parentis furias non approbet. Si tergiverſabitur, relinquam illam ulciſcendam ſuis moribus, & aliam conſortem invenero quæ melius intelliget ſuam felicitatem. *Non tam inviſus cœleſtibus auras vitaleis carpo*, ut conditionem reperire non queam. Iam de ſucceſſore proſpectum eſt, ſi hæc Amaryllis Alexin deſpexerit. Non adeo exarui ex amoribus & humoribus, ut bona mea ſapienti fœminæ venditare non poſſim, etiamſi tam inſipienter circa Sophiam deliraverim, ut mihi Socratica fides objecta ſit. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Ὁ γλυκὺς ἔρως me admonuit relictum eſſe apud nobiliſſimum D. vander Myle carmen Hipponacticum. Rogo te, ut arrepto tempore id ab eo poſcas. nullum aliud habeo exemplar, nec indignum eſt, quod à candidis talium amœnitatum amatoribus inſpiciatur. Si genus Æneadum hujuſmodi quidpiam exſculpſiſſet, ſæculum eorum jactantias pati non poſſet. In primis ſcire cupio, an ante ferias Auguſtaleis diſcuti poſſit mea lis cum excetra. Vale, & Grotio heroi totique familiæ plurimam à me ſalutem nunciato. Datum Lugduni Batavorum XII. Kal. Sextilis, CIϽ IϽC XII.

EPISTOLA II.

Everardo Vorſtio Rectori Magnifico Dominicus Baudius S. P. D.

Lugd. Batavor.

NIhil eſt quod faciam libentius, & animo promptiore, quam facultas ſuppetit, quam ut ſublevem fortunas afflictorum, qui fatorum iniquitate magis quam ſuo vitio à paupertate circumveniuntur, quam Petronius appellat bonæ mentis ſororem. ſed Sophiam conjugem malim, quam ejuſmodi moleſtam contubernalem. Itaque ut illam mihi propitiam habeam, & hanc res ſuas ſibi habere jubeam, omnis à me labor & aſſiduitas Hiſtoriæ ſcribendæ impenditur. Cujus rei intra paucos dies monumentum publice exhibebo Illuſtriſſimis Ordinibus, quo ſanabuntur, ut ſpero, offenſæ præteriti temporis, & memoria noſtri nominis grato cum benevolentiæ teſtimonio ad poſteros propagabitur. Sed miſſis amba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ambagibus, cauſam cur auſus fuerim haſce ad magnificentiam tuam literas mittere, melius ex nuncio quam ex me cognoſces. Non eſt indignus quem aliquo ſubſidio fautrix bonorum ingeniorum Academia noſtra proſequatur. Rogo te, ut quod ſine incommodo tuo fiat, munem te & benignum præbere ne graveris, & ut me tui obſervantiſſimum ſolito patrocinio tueri conſtanter perſeveres. Datum Lugd. Bat. XVII. Kal. Septemb. cIↃ IↃc XII.

EPISTOLA III.

Petro Rubenio Domin. Baudius S. P. D.

Antverpiam.

Rogatus ſum à communi amico, & unico artis tuæ admiratore, Bartholomæo Ferrerio, ut filium ſuum, qui feliciter pro captu ætatis ad penicilli gloriam adſpirat, humanitati tuæ commendarem. Nolo promiſcuis commiſſionibus obſolefieri gratiam quam apud te mihi eſſe pateris. itaque hactenus morem geſſi deſiderio patris, & antiqui ſodalis, ut me internuncio, ſcires ipſum beneficio immortali devinctum iri, ſi cum Franciſco Snyders egeris, ut adoleſcentulum non tantum μαθητὴν τῆς ἑαυτοῦ τέχνης, ἀλλὰ καὶ συμβιωτὴν adſciſcere dignetur, ut aſſiduam magiſtro operam navare poſſit. Non parcet parens ulli ſumptui, & infinitum ſe debere utrique confitebitur. Quum hæc ſcribebam, eram occupatiſſimus, alias accuratiores erimus. Elogia Ciceroniana ſoceri tui, viri ad genium humanitatis facti, magna cum voluptate & utilitate legi, præſertim epiſtolam quæ tota Tullianæ dictionis indolem ſpirat. Opinor jam te ex fama audiiſſe, me choro maritorum iterum eſſe adſcriptum. Contigit uxor prorſus ex animi mei ſententia, imo (ſed penes te pereat hoc horribile arcanum) ſupra votum. Feriis Auguſtalibus, ſi poteſtas data erit, ad vos cum Iunone excurram, ut ſerio te admoneam promiſſi, quod ego in præcipua cenſus mei parte deputo. Nam bona nomina non appellando fiunt mala. Bene vale, & feſtinationi ignoſce. Datum Lugduni Batavorum IX. Kal. Martias, cIↃ IↃc XIII.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Epistola IV.

Iacobo Magno Domin. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Qvum dilecta mea conjux Hagam proficiſcatur, eo potiſſimum nomine ut mihi redonandum curet ſpecimen Hiſtoriæ, quod penes ampliſſimos Ordines depoſui, quia nunc verſor in pertexendis quibuſdam monumentis, ut tota illa negotiatio Belgicarum induciarum, quæ maxime memorabilis eſt, & digna quæ à reliquo corpore rerum geſtarum ſeorſim tractetur, ut ea, inquam, omnibus numeris abſoluta ſit, & ne quid deſiderari queat: rogandum te per literas exiſtimavi, ut velis dare in mandatis oſtiario veſtri collegii, ne mora fiat quo minus uxori meæ tradatur. Intra paucos dies ſpero me reliqua perſoluturum, non ſine honorifica mentione nominis tui, quippe qui te colo, & plurimi facio tanquam virum non dignitate ſolum conſularem, ſed præclaris erga patriam & remp. meritis. Efficiam omni ope & induſtria, ut eorum memoriam poſteri nulla oblivione deleri patiantur. Datum Lugdun. Batav. XVI. Aprilis, CIↃ IↃC XIII.

Vxor mea ob intemperiem aëris mutavit conſilium. Sed is qui has literas tibi reddet, eſt meus privignus, cui tuto committi poterit & volumen, & ſi quid mihi nunciatum voles.

Epistola V.

Guilielmo Braſſero Dom. Baudius S. P. D.

Amſtelrodamum.

Feci, quemadmodum ſuadebas, & ut optimum factu eſſe rebar, ſcripſi ad prædivitem & probum virum *Hans van Solt*. Non dubito, quin literæ meæ vim & efficaciam habituræ ſint ad perſuadendum, ſi re & facto talis eſt qualem eum fama conſentiens demonſtrat, quæ vox Dei eſſe perhibetur. Plurimum me debere fateor benignitati fratrum ab Offenberg. quorum alter non contentus fuit excipere nos hoſpitio & omni genere comitatis, verum etiam ultro cauſam meam fratri commendare dignatus eſt, quod nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nec ab eo poſtulaveram, nec ſperaveram. Tanto igitur gratius officium fuit, quia præter opinionem accidit, ut lætius provenire ſolent herbæ ſua ſponte naſcentes. Alter mihi à facie ignotus magno etiam me beneficio devinxit, quod à fratre monitus, Baudium debendæ gratiæ reum adſciſcere ſibi voluerit. Sed & reverendo viro D. Petro Plancio gratias immortales me habere & agere par eſt, qui nos etiam favore ſuo complecti non eſt aſpernatus. Memoriam iſtius officii nulla unquam apud me delebit oblivio,

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Rogo ut literas his adjunctas ipſe de manu in manum tradas. non dubito, quin aculeum defigent in animo & conſcientia boni illius viri. quem ſi domi offendiſſem, jam rem confectam haberem. Non eſt quod metuat ne ſolutio trahatur in conſequentiam. Nullus alter ad eum accedet Baudius; nec quiſpiam vivit à quo frater defunctus plura ſummæ neceſſitudinis officia acceperit. Liberum ipſi erit quam voluerit cunque proteſtationem adjicere, dum tamen honori noſtro conſulatur. Sed inprimis mature faciat ſi quid facturus eſt, aut cito ac ſimpliciter neget, nec palum mihi obtrudi patiatur. Vale vir officioſiſſime. Salutat te uxor, & omnia fauſta tibi tuiſque comprecamur. Datum Lugduni Batavorum v. Kal. Maias, cIↃ IↃC XIII.

EPISTOLA VI.

Petro Scriverio Dom. Baudius S. P. D.

Amſtelredamum.

IAm dies decem aut duodecim elapſi ſunt, ex quo literas ad cognatum Matthæum Luſſium miſi, quibus erat incluſus faſciculus, quem magni mea refert tutis manibus deponi. Quoniam autem nihil reſponſi ad me dedit, vereor ne parum bona fide ſit uſus nauta in iis tradendis, aut forte ſolennis inertia obſtitit cognato quo minus reſponderet. Quidquid in culpa ſit, vehementer expeto ſcire utrum literæ meæ pervenerint ad ipſius manus. Nam quin porro fideliter functus ſit officio in reliquis quæ ab eo poſtulabam, minime dubitandum eſſe arbitror. Quocirca vehementer te rogo, ut hominem ad te voces, & exquiras quomodo ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſe ea res habeat. Nam etſi facilis eſt jactura literarum, tamen officii mei fides periclitaretur ſi quid heic offenſum eſſet. In reditu facies me, ut ſpero, de tota re certiorem. Nam etſi animo cupienti nihil ſatis feſtinatur, tamen non ſum tam impatiens, ut in tantillum temporis deſiderio moderari non poſſim. Quod ſi cum officioſiſſimo amico Guilielmo Braſſero mutuas operas jungere voles in negotio de quo tecum propter viam ὁδοῦ πάρεργον ſum loquutus, immortali me beneficio devinxeris,

Perpetuuſque animi debitor hujus ero.

Alterum iſtud negotium, quod concredidi tuæ fidei ac ſilentio, vide quæſo ne diſpaleſcat in vulgus. Tale enim conſilium non poteſt laudari niſi peractum. & crearet mihi odium atque invidiam, ſi ad aures noſtrorum Curatorum deveniret. Nos tamen liberi ſumus, & vivimus in regno ac domicilio Libertatis; quæ ſæpe degenerat in effrænem & infinitam licentiam, niſi moderamen adhibeatur: ut apparet ex fatalibus diſſidiis ac certaminibus inter Fratres, quibus mederi poteſt ſola vis ineluctanda divinæ providentiæ, quæ ſupra nos negotium curat. Sed hæc non pertinent ad Edictum Prætoris, ut aiebat princeps Iureconſultorum Cujacius, multo minus ad interpretem Taciti. Nos tamen verſamur in ea navi quæ periclitatur. nec ſumus ex infima plebe vectorum, ſed ex eo ligno unde exſculpuntur illuſtres Mercurii. Vale vir amiciſſime, & bene rem gere. Datum Lugduni Batavorum, ſtatim ut à te proficiſcente ſum digreſſus, VIII. Maii, cIↃ IↃC XIII.

Ὁ σὸς ἐξ ὅλης τῆς καρδίας
Κυριακὸς ὁ Βαύδιος.

EPISTOLA VII.

Guilielmo Braſſero Dom. Baudius S. P. D.

Amſtelredamum.

SCribo hæc raptiſſime. urget enim hora proficiſcendi. Gratias habeo quam poſſum maximas tibi, Scriverioque in primis, cujus officia & ſingularem erga me benevolentiam tantis in cœlum laudibus effers. Memorem me ſciet eſſe & gratum. Tuo-

rum quoque meritorum recordatio nunquam ex animo meo dilabetur. Scripſi ad utrumque Offenbergium, uti ſuades. Non dubito quin res ſuccedat ex voto. Tu quod cœpiſti, conſtanter urge, ſcitoque beneficiorum gloriam non in carceribus, ſed in meta repoſitam eſſe. Datum Lugduni Batavor. IV. Eidus Maias, CIƆ IƆC XIII.

EPISTOLA VIII.

Cornelio vander Myle Dom. Baud. S. P. D.

Hagam-Comitis.

QVum nuper non fuiſſet oblata commoditas occaſionis ad conveniendum Socerum tuum, depoſui apud ejus cubicularium libellum ſupplicem, ut tibi primo quoque tempore traderetur. Res eſt facillimæ impetrationis, & quæ nemini vulgariter noto denegari ſolet. Habeo in promptu probationes liquidæ veritatis, unde conſtat, eum, qui mihi præbendam illam contulit, eſſe verum ac legitimum patronum, utpote ex poſteris viri clari Philippi à Leida, qui beneficii fundator fuit ſub expreſſiſſima conditione, ne cuiquam jus faſque eſſet, etiam interveniente ſuperiorum conſenſu, præbendam iſtam conferre, niſi qui ab eo genus ducerent, cavitque nominatim per varias ſubſtitutiones pluribus perſonis quantum humano conſilio provideri potuit. Sed hæc in cauſæ dictione apud competentes judices diſceptabuntur. Hoc unum nunc agitur, ut Illuſtriſſimi Hollandiæ Ordines auctoritate ſua firmare dignentur collationem, cum ſalutari clauſula quæ injuriæ licentiam adimit. Periculum eſt in mora, ideoque privignum meum dedita opera iſthuc miſi, ut negotium maturandum curet. Rogo te ignoſcas animo cupienti, cui nihil ſatis feſtinatur. Differor etiam impatienti deſiderio ſciendi quem eventum habituræ ſint preces, quas literis ad Illuſtriſſimos unitarum provinciarum Ordines ſcriptis intexui, & fidei ac prudentiæ N. N. de meliore nota commendavi. Si vel ex parte conſit quod expeto, vincam diligentia & aſſiduitate exſpectationem omnium, & rebus ac factis plura præſtabo quam verbis audeo polliceri. Brevi ſpecimen operæ appa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

apparebit, cujus, ut ſpero, poſteritatem meminiſſe non pigebit. A nutu & arbitratu præſtantiſſimi viri N N. cui in ſolidum debiturus ſum immortalis beneficii gratiam, ſcribendi legem accipiam. denique me totum voluntati ejus dedico conſecroque. In tam fauſto nomine & omine deſino, teque ſalvere & bene rem gerere ſpero voveoque. Datum Lugdun. Batav. IX. Iunii, cIↃ IↃC XIII.

EPISTOLA IX.

Nicolao Seiſtio Dominic. Baudius S. P. D.

Lugdun. Batavorum.

NE peccem in publica commoda, quibus aſſidue promovendis omnes curæ & cogitationes tuæ deſtinantur, literis te præſentem alloquor, & rogo per ſolitam humanitatem tuam, perque ſacra communium ſtudiorum, quæ me tibi arctiſſima neceſſit udine devinxerunt, ut horam condicere velis, qua commodum videbitur me una cum N. ad te venire, ut liberer ab imperioſa auctoritate Curatoris, homo jam quinquagenario major, nec, ut opinor, ætatis vitio delirus, aut ad agnatos & gentiles remittendus; niſi forte parum ſano capite fui, quum ovem cuſtodi lupo commiſi. Fretus recti conſcientia & bonitate cauſæ, nullum recuſo judicem in quo ſit mica cordis humani. Sequar formulam fiduciæ, quæ inter bonos bene agier, &, quod melius, æquius, ſequi oportere præcipit. Tuum arbitrium mihi legis inſtar erit. Res momento tranſigi poteſt, niſi contra manifeſtam veritatis lucem inanes tricæ & fruſtrationes opponantur, quas amoliri non ſolum æquitatis tuæ eſt, verum etiam auctoritatis. Dedecus vero publicum fuerit, nos in hoc regno Libertatis adminiſtratione bonorum prohiberi, quaſi rebus noſtris ſupereſſe non poſſimus. Vale, vir honorande, & nos amore tuo complecti digneris. XIII. Iunii, cIↃ IↃC XIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA X.

Petro Plancio Dominicus Baudius S. P. D.

Amſtelredamum.

NIſi mihi abunde perſpecta eſſet humanitas tua, & generoſa animi proclivitas ad bene de bonis merendum, ingenuo pudore deterrerer quominus toties eadem de re tecum agere auderem. Sed quia jam mea cauſa velle cæpiſti, non eſt tuæ gravitatis atque conſtantiæ in tam æqua & favorabili cauſa deeſſe amico, qui ſe tuarum eximiarum virtutum cultorem profitetur. Rogo igitur te, ſi quid vel me, vel ipſum dominum van Solt amas, ſerio in eam curam incumbas, ut mihi ſatisfacere non detrectet. Nam una opera me ſingulari beneficio devinxeris, & effeceris ut effugiat periculum aut pejerandi, aut lædendi enormiter fraternam exiſtimationem. Stat enim ſententia, jus meum ad extremum perſequi; ne impune nobis illuſerit homo qui ſe vult exemplum pietatis haberi. Detraham mimo perſonam, & efficiam ut hypocriſis & avaritia ejus cœlo oſtendatur, niſi omnibus hiſce incommodis obviam eat exonerando conſcientiam ſuam. Deponam juratus penes veſtræ urbis Scabinos, quæ ex fratre ſæpius audivi, cujus manes non poſſum excitare à mortuis, ſed non eſt mihi dubium quin omnia fuerint liquidæ veritatis. Nemo ſibi, nemo Deo mentiri poteſt, qui ſcrutator eſt renum, & ſeveriſſimus vindex perjurii. Quod ait, ſe dediſſe novem libras ſterlingias nuncio per quem ſignificavi ei τὰ καθ' ἕκαστον quæ ad fratris ſtatum pertinebant, id tam manifeſte falſum eſt, ut vel à cœco mendacium perſpici poſſit. Iterum ergo te per humanitatis tuæ genium oro atque obteſtor, ut tuam hac in re gratiam atque auctoritatem utrique noſtrum commodare non dedigneris. Communis enim res geritur. Mihi nihil periculi imminet niſi de damno pecuniæ. illius fama in dubium veniet, niſi proſpicit ſibi & conſcientiæ. Non patiar me ſic contemni, ut tot literis ne gry quidem reſpondere dignatus ſit. Tuæ dignitatis quoque non levis imminutio eſt, quod cum pollicitus ſit ſe tecum amica via tranſacturum, poſtea reſiluerit à promiſſo. Si cum Thomaſio, quo ſe conſi-

liario

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

liario uſum eſſe perhibet, res rationeſque meas communicaſſem, procul dubio aliud ipſi conſilium ſuggeſſiſſet. Quidquid à te geſtum fuerit, id ratum habebo, & ejuſce rei obſidem cupio eſſe hanc epiſtolam. Quod ait ſe vereri ne præjudicium ei adferat ſiquid ex cauſa fratris nobis ſolverit, id futile eſt effugium. Inter bonos bene agier oportet. Mille ſunt expeditæ rationes quibus incommodum iſtud vitari poſſit. Sed nimis pellucent ſchemata tergiverſantium, quibus avaritia ſpecioſum colorem obducit. Reſcribe quæſo vel uno verbo quid ſit facturus. nam mihi ſatis exploratum eſt quid in omnem eventum facere debeam. Non patiar me præter diſpendium rei familiaris etiam inſuper contumelia affici. Vale vir reverende, & parrheſiæ noſtræ benigniter ignoſce. Datum Lugdun. Batavor. XI. Iulii, cIↃ IↃC XIII.

Epistola XI.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Quum Heinſius noſter adoptivum librum curaret edendum, nefas erat nomen noſtrum ibi non conſpici, & quoniam animorum germanitate laudumque conſortio tam arcte invicem devincti eſtis, ut fama conſentiens vos prædicet tanquam rarum par & exemplum antiquæ virtutis ac fidei, volui conſecratum eſſe ſæculo monumentum obſervantiæ qua vos ambos veneror. Nec quidquam eſt quod majori ambitione concupiſcam, quam ut tam felici jugo tertius adjungar. Nunc viciſſim te rogo, ut epigrammatidio aliquo velis teſtari quam non ſim dignus repulſa in tam honeſta petitione. Calent operæ typographicæ circa editionem Hiſtoriolæ noſtræ ſuper induciis belli Belgici, quam tribus chartis complexi ſumus, quæ & hunc in annum vivent & plures, *ſui ſi qua eſt merito fiducia forti*. Non poteſt auſpicatiori frontiſpicio inſigniri veſtibulum libri, quam veſtro duorum nomine, quod nulla unquam obſcurabit oblivio. ἀρχομένου δ' ἔργου χρὴ θέμεν τηλαυγὲς πρόσωπον. Vive & vale noſtri memor. Raptiſſime XII. Kalend. Sextil. cIↃ IↃC XIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XII.

N. N. *Dominicus Baudius S. P. D.*

QVanquam dudum factum eſt, poſtquam nihil literarum abs te accepi, tamen non imitabor tuam ceſſationem. Altius enim inhæres meo pectori, quam ut ſuaviſſimæ conſuetudinis noſtræ oblivíſci queam. Et ut ſcias me tui memoriam illibatam ſervare, teſtatus id ſum etiam publico monumento. Vſus ſum eo jure quod mihi permittit genius familiaritatis, nec tibi erit dedecori apud eos qui noſtra in manus ſumere dignabuntur, quod tecum liberius jocer. Ab amoris ingenuitate profectum eſt, quicquid hujus eſt: nec in aliam partem interpretari debes. Ego te fortiter & ſeria lege diligo, gratiuſque tibi fore putavi teſtimonium licentioris affectus, quam ſi te oneraſſem falſis laudibus. Scis ingenium meum abhorrere ab omni adulatione, nec tibi tam degener eſt animus, ut alienis encomiis inclareſcere velis. Sed de his tantum eſt. Tua ſtudia quid agunt? non enim te ceſſare æquum eſt, nec reſiſtere in medio curſu. Si non dabitur ad eorum famam aſpirare, quos literatus orbis admiratur, pulchrum eſt in ſecundis tertiiſque conſiſtere, præſertim in tanta doctorum penuria, ubi magnæ laudis inſtar habetur inter mediocres cenſeri. Qui præſtat id quod poteſt, ſummam omnem officii implevit, nec pudentis aut cordati hominis eſt amplius quidquam poſtulare. Debemus quidem ſpe & ſtudiis conſectari optima quæque, ſed ſi quem eximia vis ingenii defecerit, non ideo debet deſperatione debilitari, ſed tantum eniti, quantum per vires licet. Nemo tam deſeritur à naturalibus bonis, quin ſi cultu & induſtria diligenti ſubigat, ut ſic dicam, mentis arvum, ad frugem pervenire poſſit. Sed labos adhibendus eſt, ſine quo vel excellentiſſima ingenia quaſi peſtilenti ſidere afflata contabeſcunt. Aquæ torpentes vitium contrahunt, & (ut cum Plauto tuo jocer) *naſum ſpurcant odore illætabili*: ſic adoleſcentium animi ſitum quendam ducunt, ſi eos otio & inertia languere patiaris. Hæc non ob eam rem inculco, quod in dubium veniam de tua in ſtudiis aſſiduitate, ſed ut quod facis te feciſſe gaudeas,

gaudeas, & in tenore laudabilis inſtituti gnaviter perſeveres. Nec te maceres quod forſitan non protinus ad alias Academias dimittaris, quaſi hoc pacto præciſa ſit via quo minus egregiam eruditionem aſſequi valeas. ſi tua bona noris, ubique bonam mentem invenies, nec longe ſcilicet quærenda eſt; habitat enim in mentis penetrali. Non fruſtra cœlo imputatur, *Noſce te ipſum.* in hujus enim effati ſententia verſatur omnis apex ſapientiæ. Plura geſtit amor meus adjungere, ſed hæc ipſa video fuiſſe longiora. Vale. Scribebam II. Non. Aprilis.

Epistola XIII.

Iano Rutgerſio Domin. Baudius S. P. D.

Dordrechtum.

Erat mihi in animo ad vos proficiſci, ſed blanda compede me detinuerunt convivatorum ſodalitates. Forte haud ingratus eveniſſet parentibus tuis noſter adventus. Nam ſtatueram fidem tuam ſecutus cavere ſub periculo meæ exiſtimationis, te ſerio & omni ſtudio ac diligentia incubiturum Iuridicæ facultati dimiſſis ad tempus literarum amœnitatibus. Quod ſi in animum inducas facere, ſpondeo, promitto, conceptis verbis juro, te ſpatio minus annuo, ſumma cum dignatione aſſequi poſſe, non Perſarum gazas aut atria divitis Craſſi, ſed quod utroque potentius eſt *neque purpura vænale nec auro* (arrige aures Pamphile) majeſtatem doctoralem. Quid te lætius erit beatiuſque? De literis à Principe impetratis nihildum actum eſt, ἀλλ' οὖ ἐλπίζειν κελεύουσί με φίλοι ἄνδρες, *ſed non ego credulus illis, iſta ſum captus ab arte.* Περὶ τῆς ἑρμηνείας πάντα καλῶς ἔστι, & ut in eam curam toto pectore incumbat * facundus veri præco cum ſua ſibi conjuge, proſecutus eum ſum plus quadringentis ſcazontibus. σὺν ἀδραστείᾳ λέγω, nunquam minus mihi diſplicui, videbis illic ad vivum expreſſas omnes affectuum formas quibus inquietantur mentes amentium amatorum.

Quid poſcis ultra? quid laceſſis ô Progne,
Crudelis, implacata tigridis proles?

* i. e. *Vtenbogardus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Meam ne vitam, ſanguiſuga feralis,
Haurire quæris? ecce, pronus advolvor
Genibus tuis, ut audiam mei fati
Suprema jura. Namque tu regis clavum
Vitæ neciſque. ſed quid hæc ad Edictum?

Tanti eſſet te huc venire, ut ſimul jocari, & verſus iſtos relegere poſſimus. forſitan & prælo mandabitur. neque enim debet tale domini perire munus. Vtut res cadet, intra duos aut tres dies accipiam fati mei legem, non enim diutius decretum eſt mihi vana ſpe produci. Nam ut ſerio tecum fabuler,

O dulcis heroina, quæ meo cordi
Das jura, pro qua ſanguinem libens fundam,
Si morte functus te ſuperſtitem linquam
Voti potentem. namque me mori cogis
Dum mente dura ſupplicantis ab vocem
Audire temnis in noviſſimo caſu, &c.

ſi pergis ultra faſtidire virum talem

Quem publico favore fama dignatur,
Quem principes regumque filii haud temnunt:

ego te ſuperbiæ tuæ relinquam, nec intercedam quo minus ubertim plores, viduaque permaneas uſque *Dum regna cœli temperabit Iuppiter.* καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Blyenburgum in cæteris bene de nobis ſperare jubeo, & omnia fidelis amicitiæ officia exſpectare, ſed ἐκτετόξευται ἐμὸς βιὸς, quod ad carmen attinet. Illa quam pater Nereus effurcillavit ex ædibus, ambigit an ex ictu ſcorpionis onuſtam celocem geſtitet. Quæ eſt iſta jocandi ſævities? dices. Ego certe non magnopere commoveor. Sed tempus eſt deſinendi ineptiarum. Vale. Dabam II. Kalend. Maias, CIↃ IↃCXI. quo menſe malas nubere vulgus ait. tamen Philibert du Boïs omen vulgi non metuit. eſt enim intra octo dies ducturus uxorem.

EPISTOLA XIV.

Nicolao à Vechta Domin. Baudius S. P. D.

Franekeram.

ET literæ tuæ mihi gaudio fuerunt, & oratio. quam etſi ante videram, tamen precium operæ fuit eam iterum perluſtrare. eſt enim ad illud Horatii

Horatii elogium, *decies repetita placebit.* Lætor ex animo te tam illuſtri gratia & comitate exceptum fuiſſe ab eximio illo Principe, quicum olim ſociare ſermones merui cum eſſem in familia & contubernio juvenis ad omnia virtutum exempla geniti, ſed immatura morte prærepti ex rebus humanis, Philippi Sidnei, Mecœnatis olim mei, & qui ſi diurnaſſet in his terris, florerem forte opibus & dignitate inter primarios populi viros. ſed Deo aliter viſum. & fatum meum non videtur capax magnæ alicujus fortunæ. De animo erga me veteris amici & conjunctiſſimi ſodalis Petri Regemorteri nihil novum narras. Vtinam omnes ita ſentirent aut errarent! facilis mihi aditus ad omnia ſumma ſperanda patefieret. Ioannem Wouwerium avunculum tuum apud nos fuiſſe, certior, ut puto, factus es ex literis noſtri Rosbekii. Ex quo hinc diſceſſit, graviter conflictatus eſt continua febri, quæ poſt decendium mutavit in tertianam, & adeo confecit eum debilitate, ut Scipionum familiæ ſit aſſcriptus. ità enim etiam in calamitate jocabundus ad me ſcribit. Significat tamen, ſe intra tres hebdomadas aut eo maturius reverſurum, rogatque ut ea de re te faciam certiorem, ne tunc temporis præſentia tua deſideretur. Aliud in præſenti non ſuccurrit quod tua ſcire magnopere interſit. Si qua tibi neceſſitudo eſt cum D. Druſio, plurimam ei à me ſalutem dices. Olim in ſermonem injecerat, ſe effecturum ut non ſpernendis conditionibus iſthuc evocarer, quanquam non facile mutabo coloniam, tamen vellem ut promiſſa apparerent, utque iſtius gratiæ debitor eſſem. animum certe benevolum, & faventem famæ utilitatique noſtræ non poſſum quin grata mente amplectar & exoſculer. Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavorum Idibus Iuniis.

EPISTOLA XV.

Hugoni Grotio Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

EGo vero nihil æque expetendum duco quam ut ſæpiſſime nos excipias tali adventitia. Diſtuli reſponſum, quod mihi in animo erat ſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

periori die Sabbathi ad vos excurrere ejus negotii ergo de quo ad me ſcripſiſti. Omnino videor mihi reperiſſe magiſtrum ad eam rem unicum, etiamſi voti res eſſet. cui ὡς ἔχει τὰ νῦν αὐτοῦ χρήματα pro ſummo munere erit hujuſmodi provincia, putabitque ſe adeptum τὰ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα. Neſcio an unquam mentionem in ſermone apud te fecerim cujuſdam mortalis qui talem operam nunc locat filiolo vix ſeptenni G. W. cui totos dies impartiri cogitur nulla ſpe luculentioris fortunæ in lembo terræ ubi litus & aër, non homines. Adfuit mihi cum ſuo ſibi domino ante duos menſes, & ſecreto magna cum ratione expoſtulavit de iniquitate ſortis ſuæ. Sane dignus eſt meliore fato. nec dubito quin perplacebit generoſo qui recto ſecernit iniquum: eſt enim factus ad civilitatem, atque adeo etiam ad genium aulæ. Egit aliquando cauſas in Curia Pariſienſi non ſine ingenii & facundiæ nonnulla commendatione. Propinquorum injuriæ, & (ne quid te celem) aliqua ejus haud prudentiſſime conſulta cauſam ſuſtinent cur voluntarium quodammodo exilium ſibi indixerit. Caret patria jam fere triennium: & non evaſit quidem fera beſtia, ſed tamen animum revertendi non habet, niſi magna rerum mutatio intervenerit. Trajecti per ſeſquiannum vitam hoc genere muneris toleravit. Optime autem linguam callet utpote vernaculam, & feliciſſime mentem ſuam evolvit tum dicendo, tum ſcribendo,

Ἤθους χαρακτὴρ ἐστὶν ἀνθρώποις λόγος.

Affirmationis meæ documentum præbent literæ quas ab ipſo ad me miſſas diligenter aſſervo ὥς τι κειμήλιον. nonnullas recitavi Heinſio heroi, cum forte interveniſſet quo tempore mihi ſunt redditæ. Miratus eſt ſtyli elegantiam & ſenſuum concinnitatem. Tum, quod maxime conſiderandum arbitror, valde obſervans eſt amicorum, reveretur que famam, cujus contemptu, ut noſter Tacitus ait, contemnuntur virtutes. Sed non inſtitui hoc loco panegyricum ſcribere. Si præterea notorem deſideras, arbitror eum non eſſe ignotum ampliſſimo Legato. Mylius, dulce decus noſtrum, præſens aderat cum eum de meliore nota commendavi G. W. Sed arte eliciendus erit, ne res diſpaleſcat ad aures illius

illius Satrapæ. Tu operam dabis ut literæ tuto perferantur. puto dominum majorem; vivit enim ſub πολυκοιρανίῃ, eſſe in exercitu. Theſes, quas à me poſtulas, non potui reperire apud typographum. qui eas curavit excudendas, omnia exemplaria abſtulit. Ipſum hodie aut cras alloquar. Vale. Datum Lugd. Batavorum.

Epistola XVI.

Eximio cauſarum patrono D. Stephano vander Werven Dom. Baudius S. P. D.

Hagam-Comitis.

Permagni intereſt famæ & exiſtimationis meæ ut quam primum ad commiſſarios lis cum Hydra deducatur. Itaque ſi unquam mea cauſa voluiſti, rogo te ut ſedulo in eam curam incumbas, ne diutius inter ſacrum ſaxumque hæream. Adeo me animi diſcruciant hæ moleſtiæ, ut pene ad vitæ tædium compellar. Pluribus te orare non eſt opus. Satis enim intelligis quantum in eo ſitum ſit. Forſitan cras iſtuc excurram, ut præſens eadem de re tecum agam. Scripſi raptim IX. Octob. CIↃ IↃC XII.

Epistola XVII.

Humaniſſimo conſultiſſimoque Viro Stephano vander Werven, Dom. Baudius S. P. D.

Mitto ad te dedita opera privignum meum, qui haſce literas tibi redditurus eſt, à quo ſtatum rerum mearum optime cognoſces, & quanti interſit, litem, quæ mihi intercedit cum ſcopulo bonæ mentis, primo quoque tempore ad delegatos judices deduci. Non dubito quin ratio facile inibitur, qua tam diſpar jugum abgregari queat. Interpellavit propudium denunciationem, nixa emendicatis ſuffragiis domeſticorum teſtium, me nec audito, nec citato. Cupiebam vi tranſactionis fruſtrationes ejus eludere, nec detrectabam ſubjicere me juriſdictioni urbani magiſtratus, ſed quia per exceptionem litiſpendentiæ patebat effugium, ſimul etiam quod neſcio quo fato mecum nonnulli ex iis capitali odio diſſident, & ejus cauſam fovere videntur, ſatius eſſe duxi totum me permittere tuæ diligentiæ, & fidei atque æquitati com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

miſſariorum, quos ſpero habituros rationem & perſonarum, & cauſæ, & exempli. Vale, & feliciter rem gere. Datum Lugduni Batavorum, v. Eid. Octobris, cIↃ IↃC XII. Tui ſtudioſiſſimus Baudius.

EPISTOLA XVIII.

Dominicus Baudius Stephano vander Werve, inſigni cauſarum patrono, S. P. D.

Hagam-Comitis.

ÆSculapio gallum debeo votis reus. quippe heſterna die tranſegi cum ea, pro qua mihi ſunt tanta bella pugnata. Gratias tibi ago per literas, & præſens acturus ſum pro ſingulari erga nos ſtudio ac benevolentia. cujus animi perpetuus debitor ero *dum ſpiritus hos reget artus*. Si quid viciſſim officii tibi tuiſque rependere potero, memorem me dices eſſe & gratum: fac ex te reſciſcat Advocatus Fiſci, me jam purgatum fatalis iſtius incommodi, ne diutius cauſa mea laboret. Redemi me captum quam potui minimo. Quod ſi iſtud conſilii antea urſiſſem, jampridem opime dotatam conjugem in matrimonii naſſam elicuiſſem. Solum enim iſtud impedimentum obſtitit generoſis meis conatibus; neque tamen me pœnitet, aut unquam, ut ſpero, pœnitebit conditionis, quam mihi mutui affectus certa fides conciliavit. Deum conjugii authorem ſupplex oro veneror que, ut eam rem favore ſuo cœleſti complecti dignetur ad nominis ſui gloriam, & animarum noſtrarum ſalutem. Vale, & nos ama. Datum Lugduni Batavor. XI. Octobris cIↃ IↃC XII.

EPISTOLA XIX.

Viro ſingularis exempli nunc Sponſo Dominicus Baudius concordans matrimonium & fauſta omnia vovet auguraturque.

SI unquam ex animo miſeratus es hominem graviſſima ſorte & infelici fato conflictantem, adeo ut eum hujus ſæpe lucis tædeat, niſi ὁ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ vetaret deſerere vitæ ſtationem ſuo injuſſu: nunc illud eſt, quum eam virtutis indolem erga pectus amiciſſimum tibique ad extrema omnia paratum

tum expromere debeas. Jam nuper quum gratiſſimo occurſu alter in alterum incidiſſemus, gratiam mihi feciſti carminis: ſed ego, ut eſt ingenium μεγαλήτορος θυμοῦ, tanto me devinctiorem interpretabar ad eas officii partes ſedulo exſequendas, quod remiſſa erat neceſſitas. Itaque ſerio & ex intimo affectu te rogo, φιλάτη κεφαλὴ, ne quid ſequius de animi candore ſuſpiceris, quod tali tuo tempore per literas me excuſem. Scis τῶν ἀδυνάτων nullam eſſe nec civili jure nec Prætorio obligationem: ne tamen ſolus eſſem ceſſator, functus ſum vice cotis, & ad munus meum vicaria ſorte ſupplendum excitavi Nerea, non à quo genita eſt

Ἀργυρόπεζα Θέτις θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος,

ſed hominem tui nominis obſervantem, ſi quiſquam eſt mortalium. Sed cuicuimodi ſit, bonum nomen feceris creditor, ſi humaniter admiſeris debitorem delegatum: ita enim leges ſanciunt, ſine quibus erubeſco loqui apud te legis maritæ candidatum, & ultra cœlibis vitæ intolerantem, hoc eſt, vitæ vere cœlitis. nam nuſquam magis aſſentior Grammaticorum tribui, & collegæ quondam meo Iuſto Lipſio, quam in hujus vocis origine aſſignanda.

* * *

Nonnulla huic Epiſtolæ deſunt, uti nomen viri cui inſcripta eſt. Forte is eſt Grotius.

Epistola XX.

Dom. Baudius Cornelio Van-Dalio S. D.

Agnoſco & amplector affectum tenerrimi amoris, quo impulſore literas meas tantopere efflagitas. Sed ſi forte non explevero aviditatem tuam aſſiduitate ſcriptionis, æquum te mihi & benignum judicem præbere debes, omnemque ex animo ſequiorem amoliri ſuſpicionem. Si me amas, ego te in oculis fero, nec quiſquam vivit è juventutis noſtrarium flore, cujus adoleſcenti gloriæ magis faveam, & de cujus præclara indole ſpem opimiorem concipiam: ſequare modo ſemina ingenii, neu te aliovorſum trahat vel ſæculi hujus labes parum æqua magnis

virtutibus, vel neceſſariorum tuorum auctoritas, quorum prava judicia nihil in rebus humanis æque expetendum cenſent atque ſplendens terræ lutum. Non potes uti meliore conſilio, quam ſi tecum ipſe deliberes, tuum Genium interroges, quid optimum factu fore videatur. Ego quidem patrio affectu adducor, ut te tam feliciter in omni literatura progreſſum horter ad conſtanter perſeverandum in ſuſcepto veræ laudis curriculo, ſed amor mihi non imponit, quo minus ſuadeam, quod & naturæ tuæ convenientius, & haud alienum à dignitate futurum arbitror. Non eſt forte nunc is honos ingeniis, non ea merces induſtriæ hominum, qui ſua ſtudia publico applicant bono. at erit olim. tempora in fluxu ſunt. denique generoſo pectori ſemper integrum eſt ſe frui, & ſua ſe virtute involvere. Hoc qui ab animo impetrare poteſt, eum de recto mentis ſtatu nunquam labefaciet frigus aut favor illius inſtabilis Divæ, quam cœlo dicavit

Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ.

Quamcumque in partem ſeſe conſilium tuum flexerit, cupiam ſemper omnia quæ voles, nec cuiquam intimorum tuorum ceſſero, ut te quam florentiſſimum eſſe malint. Quod adeo extollis fortunas eorum, qui noſtræ conſuetudinis uſura fruuntur, facis pro cætera benevolentia, quam in te cognovi ſummam. non intercedo, quo minus in ea blanda hæreſi ſemper hæreas. verum non omnes capiunt iſtam ſapientiam, nec intelligunt ſua bona. Pauci dies ſunt ipſi, ex quo cariſſimum adoleſcentem, quem ſcripſeram detractis vitiis ſolas Gallorum virtutes poſſidere, eum, inquam, rurſus invaſit pervicax iſte morbus, & ut olim omnia in contumeliam ſuam detorquebat, ita tum ſimulate ſecum agi criminabatur, quin protinus tanquam ex infeſto hoſpitio proripere ſe à noſtris ædibus parabat, niſi rem ad Apollinem noſtrum Scaligerum detuliſſem, qui auctoritate ſua & libera oratione hominem corripuit, & admonuit, ut diſceret bene ferre magnam fortunam. Nunc etiam alter Gallus iſte pluma levior delicias facit, & felicitati ſuæ iraſcitur, nec reperire poteſt colorem, qui deſultoriam levitatem ſuam obvolvat. queritur de exiguitate niduli, quem

rarus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rarus hoſpes init, niſi cum rationes cum ſomno computat. Hæc Baudio concoquenda ſunt, & tamen vivit. vivit? imo vero (quod tibi ſummæ voluptati fore certo ſcio) floret præ ceteris omnibus ſui ordinis viris frequentia & celebritate auditorum. cottidie creſcit nova ſervitus, non ſine tacita indignatione ejus, qui olim ſolitudini noſtræ petulanter inſultabat. Verterunt ſe memoriæ. Sunt qui me hortantur ad editionem præfationis ad Tacitum, quam in auſpicio de more recitavi. Fors erit, ut amicæ voluntati eorum non gravate morem geram. Sed ſi iſta videntur publicanda, qui ceſſo referre in commentarios, quicquid nobis in mentem venit dicere cum in ſuggeſtu ſumus? crede mihi, non parum aſſurgit animus & dignitate rerum, quas tractamus, & ſucceſſu famæ, cujus contemptu contemnuntur etiam virtutes. Equidem non perveni ad eum gradum ſapientiæ, ut cum magno illo Camillo gloriari poſſim, nec Dictaturam mihi animos arrexiſſe, nec exilium minuiſſe. Quanquam in recte factorum conſcientia pretium & theatrum eſt ampliſſimum viris alta mente & rigida virtute præditis, tamen cum Hectore Næviano lætus ſum laudari à laudatis hominibus. Itaque licebit aut gratuleris hoc nomine nobis, aut vanitatem reprehendas, cum pauciores adſunt ſexaginta. Eumolpus familia deſtitutus non videtur agnoſcere dignitatem ſuam. Sed hæc jocati ſumus nimis familiariter, præſertim tali tuo tempore, cui tamen vel dies, vel potius recta ratio mederi debuit. Vxori meæ mandata tua curæ erunt. Muſæo tuo & libris utor, fruor, donec te fata ſoſpitem & incolumem nobis redonent. Peſtis incepit lenius ſævire; ſeptimana ſuperiore venerunt in Libitinæ rationes capita tantum quinquaginta duo. Plura volebam, ſed hora interpellabat, ut manum de tabula ponerem. Vale. Lugdunum Batavorum VIII. Decembris, cIↃIↃC IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XXI.

Ampliſſimæ dignitatis & eximiæ virtutis viro, D. Gravio Conſuli civitatis Amſterodamenſis, Dom. Baudius S. P. D.

CLariſſime vir, non exiſtimavi operæpretium eſſe ut iterum publice ad collegium veſtrum ſcriberem, ſed humanitati tuæ gratias immortales habeo, per quem certo ſcio non ſtetiſſe, quominus honeſtæ & verecundæ preces meæ liberalius exciperentur. Ego perpetuus ero debitor iſtius animi, & omni genere officii, quod à noſtra mediocritate expectari poteſt, memorem me gratumque profitebor. Privigno meo dedi antapocham ut peculium iſtud accipiat. Rogo te, ne degenerem ullam opinionem de me concipias, quod auſus ſum ſperare liberationem æris alieni ab opulentiſſima civitate ob monumentum ære perennius, quod benigna eum æſtimatione excipietur ab erudita poſteritate. Vale. Datum Lugduni Batavorum x. Iunii cIↄ Iↄc XIII.

Tuæ dignitatis obſervantiſſimus Baudius.

EPISTOLA XXII.

Alberto vander Vechte Dom. Baudius S. P. D.

Hamburgum.

EGregia filii tui indoles accenſa ad ſtudium honeſtiſſimarum artium, injecit mihi hanc mentem, ut te jucundiſſimi nuncii voluptate oblectarem. Tanto enim curſu & impetu fertur ad laudem virtutis, atque eruditionis, ut potuis freno, quam calcaribus egere videatur. Si eundem tenorem conſtanter ſervet, non eſt quod dubites, quin olim aſſurget ad ſolidam gloriam, & tibi ſummo gaudio, patriæ civibuſque magno uſui & honori eſſe poterit. Quod futurum non ſpero tantum, verumetiam confido, niſi ſi qua vis major ex tranſverſo incurrat præclaris conatibus. Nam qui ſemel animo imbibit amorem honeſtatis, & ſenſum cepit veræ gloriæ, nihil cum ea voluptate comparandum arbitratur. Meum ſtudium ei nuſquam deerit, quibuſcunque rebus induſtriam & diligentiam ejus juvare potero. Id & communiter exigit officii mei ratio,

qui ideo in hac profeſſoria ſtatione collocati ſumus, ut adoleſcentum mentes recto cultu informemus, & peculiari quodam vinculo ad hanc voluntatem erga filium tuum demonſtrandam obſtringor, quod ingenii docilitate & animi alacritate curam noſtram invitat, tum quod mihi quaſi de manu in manum traditus eſt, & de meliore nota commendatus per incomparabilem virum Ioannem à Wouweren, quo nemo hodie vivit, quem pluris æſtimem, & cujus cauſſa magis velim. Vale. Lugduni Batavorum, cIↃ IↃC VI.

Epistola XXIII.

Ludovico Servino Dominicus Baudius S. P. D.

Lutetiam Pariſ.

Cum ſuperiori æſtate Caniculares feriæ nobis intermiſſionem à publicis lectionibus conceſſiſſent, excurri Hamburgum, benigno amicorum hortatu invitatus: præcipue autem impulſus deſiderio viſendi Ioannem à Wouwer, virum ad omnia laudis exempla genitum, & olim opinor probe tibi notum. Ejus ductu & auſpiciis incidi in notitiam ornatiſſimi viri Rutgeri Rœlandii, I. C. qui cum intelligeret, quod minime obſcurum eſt, me eſſe unum ex iis qui amplitudinem tuam ſingulari ſemper obſervantia coluiſſet, & quem honore inferioris amicitiæ dignari ſoles, permagni referre putavit, ſi ſe tibi de meliore nota commendaſſem, ut ſuffragii tui auctoritate poſſit jus ſuum obtinere. Plures jam anni ſunt, ex quo litem in foro veſtro pendentem habet, optimo quidem jure nixam, ut ex communi fama, quæ raro in talibus hallucinatur, jam tum perſpexiſſe videor, cum Lutetiæ degerem. Fugitiva oblivio mihi ſubduxit ea, quæ ſigillatim ad cauſſam attinent: illud optime reminiſcor, nihil aliud obſtare, quo minus rem pactam habeat, quam quod conflictatur cum triconibus & vitilitigatoribus, qui longo ſufflamine & veteratoriis fruſtrationibus hominem miſere exercent, ut tædio morarum atque ſumptuum vel ab incepto deſiſtat, vel ad iniquas & damnoſas conditiones adducatur. Nunc etſi perpetua tua conſuetudo ſatis te hortatur, ut improborum malitiis occurras, & bonorum, præſertim exterorum

terorum incommodis mederi velis; tamen hac ſpe & credulitate fruor, non nihil in cumulum ad priſtinam illam voluntatem acceſſurum, ſi precibus & gratia tecum agerem, ut in eam curam incumbendum putares. Hoc pacto feceris par cæteris tuis laudibus, & immortali beneficio me veterum virtutum tuarum cultorem, & illum pariter haud indignum illuſtri gratia tua in perpetuum devinxeris. Vale, & nos tui obſervantiſſimos ama.

EPISTOLA XXIV.

I. Lipſius Dominico Baudio S. P. D.

Dolorem tuum quod apud me effundis, gratum: certe apud amicum, & de amico. Collegæ illi meo non ego volo, & ſemper volui? ex animo. nec moror quid maligni ſuſpicentur aut effutiant pro ſuo more. Deus, ego, res mihi teſtes: & tempus quædam aperiet, quæ nunc latent. Eo dico, quia hæc res ita geſta eſt, ut me celata omnia ſint, & nunc adeo celentur ab iis, qui nihil aliarum rerum me celarunt. Non credunt? eſto. hilum non ego deterior, ſed nec triſtior: qui ſto apud judicem, cui nemo mentitur. Curvæ illæ mentes ſunt, quæ de me tam curva. At tu Baudi eſto quod ſemper: id eſt, bonus & volens, & æquus in eum, qui talis in bonos. Sed de ſermunculis parum eſt, quos nemo par mihi vitavit, nemo major: res magis ipſa me angit, cui utinam à me medicina. Nec de cauſſa inquiro, quam tu tangis: vulnus ipſum qui coibit tam grande, tam patens? Auctoritas alterius partis agitur, alterius honor. & ſcis alioqui quam lenti cedere iſti noſtri. Heu multa in hoc ævo qua publice, qua privatim moleſta! illud inprimis, quod rebus miſcentur, ſuſpicione aut voluntate vulgi, illi ipſi qui extra res omnes ſe projiciunt, animi quodam decreto. Talis ego, nec mentior. ſed rarum tamen aliquid in hac urbe, non ſolum Schola, cui Lipſii nomen non inſertum, vero ſive falſo. Douſam noſtrum ama, excuſa, & inter plures ſcito eſſe unum: aut certe ne damna (quod in hac miſſione maxime damnatur) inaudita cauſſa. Ego eum à diebus aliquot non vidi: & me ſubtraho, & manum cum Milone haud temere inſero inter hiante: has rimas, quæ (Deus ita faciat) coibunt. niſi, quod ea quæ munus Recturæ & officium amici mihi imponunt, non deſero, non deſeram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ram, nec cum offenſa. Salve mi Baudi, III. *Non. maji,* cIↄ Iↄ LXXXVII.

EPISTOLA XXV.

I. Lipſius Dominico Baudio S. D.

Hagam-Comitis.

G*Rata compellatio tua hoc habuit ingrati, quod ab invalente. Itaque initium epiſtolæ tuæ me permulſit, percuſsit finis. Sed ſolatur, quod febris eſt. quam ego, niſi valida ſit, ſcio non eſſe diuturnam. Si autem talis, non ſcripſiſſes. Vtinam res noſtra publica in leviculo aliquo morbo! at ego metuo, ne in letali. Ea video, ea audio, ut ſpes deſeruiſſe videantur hunc ægrum. Heu fata, & immota vis! quid enim aliud culpem? cum nobis omnia ad ſalutem adſint, præter ſanari velle. Nec diſputo de culpis, quæ ubicunque reſideant, penes nos certe pœna. Te, mi Baudi, valide valere opto, & nos amare. Lugduni Batavorum,* XVII. *Kalend. Octobris,* cIↄ Iↄ C LXXXVII.

Mi Baudi, in ſermone nuper injeciſti epiſtolam ſive epiſtolas meas apud te eſſe, quas dedi ad olim, heu, noſtrum Sidneium. Ego reconcinno & recolligo quaſdam è meis ad Centuriam ſecundam. Itaque uſus mihi illis inſpectis, & ſi (velim hoc nuncio) miſeris ad me, gratum facies, cum deſcripſero, remittendas. In Politicis pergo, ſed lente. Calor ille & vigor, qui in me ad ſtylum, vereor ut paulatim per hanc valetudinem deferveſcat.

EPISTOLA XXVI.

I. Lipſius Dominico Baudio S. D.

Hagam-Comitis.

M*Oeſtus tuas legi, mœſtus. eo magis, quod auxilii & ſolatii cupido mihi eſt, vix facultas. imo nec conſilii. Quid ſuadeam? deſeras vitæ genus quod iniſti? vix honeſtum videtur, & junctum cum ſpecie animi vacillantis. Perſeveres? ut video, non vides fructum. Et ſane tarda ſolat eſſe in agro iſto forenſi meſsis. Nonnihil etiam ab eo te arcet & tardat, credo, lingua ſermoni huic parum facta, &, quod caput cenſeo, ipſa natura. Cur diſsimulem? credo te meorum hominum, qui totum iſtud genus à puero odi* æque atque angues, *ut ait noſter. Tamen vide etiam atque etiam, & fortaſſe perſeverantia fructui*

hic

*hic tibi, ut multis. Nonne plerique hodie ad culmen honorum evecti ab hoc gradu? pene ſcripſeram, à Gemoniis his gradibus. At te Aula injicis. Per fidem, ſerio? & an non ſatis expertus? Nec tamen plane improbem, ſi qua hic ſplendidior & Principalis aula. Aſſeclam te eſſe neſcio. cur è minutis Satrapis dedecus ſit noſtrum, Baudi, noſtrum? nam & me conjungo, & quicunque in hac literaria claſſe. Apud ipſum Comitem tamen ſi qua feneſtra aperta, fortaſſe aliud cenſeam, quod me latet, & vix puto: ita multæ muſcæ ſunt, quæ involent & inſinuent per ejuſmodi rimas. Ad ſummam, quid ſuadeo? nihil movere adhuc aut mutare, niſi in ſpe meliori. Tempora in fluxu ſunt. imo in lapſu: ex iis & pro iis conſilium. In re Donelli noſtri actum aliquid, non peractum. Comes petiit, abiit: ſed vereor * ut obhæreat iſta navis non alio impellente. Nam unicus ego remex quid poſſum? Plurimum: ut quidam cenſent, & per malevolam benevolentiam ſpargunt: ſed falſo. Sane ego non ingratus iſtis, fateor: ſed in rebus adde, quæ ipſis non ingratæ. Illic validus, & efficaces meæ preces. Tamen traducor: & fero multa in hoc ſtatu. Læva & mala mihi mens, ſi nec hanc conſtantiam Conſtantia mea me docuiſſet. Vale, mi Baudi. Lugduni Batavorum Kalend. ipſis Octobribus,* CIↃ IↃ LXXXVII.

EPISTOLA XXVII.

I. Lipſius Dominico Baudio S. D.

Middelburgum.

BInas à te literas vidi: patiare ut ad utraſque uno reſponſo defungar. Prioribus agebas de Legatiuncula ad Navarrenum. quo fundamento, mi Baudi, aut qua ſpe? Nunquam id factum: & ut in tua perſona novum exemplum Ordines inſtituant, cave credas. Tu hoc & alia mereris. ſed male res humanas noſti, ſi merita in his talibus appendis potius quam fortunam. Illa eſt, quæ eligit, evehit, cæca ſpe aut nulla mente. Quo ergo literæ, aut prudentia? ad te ipſum. & hæc interna. interdum & ad externa, ſed cum voluit potentior illa Diva. Haud libens hæc talia efferam apud

---

Al. Nunc tamen ſpes melior & ſpero, vincemus unum, qui alios. Spero.

apud adoleſcentes & teneros, ne abſterream: te ſpero firmum jam eſſe in meliore iſta via. Hoc unum te moneo, ne præcipitent te tuorum vota, pia, ſed improvida: qui ad lapſum ſæpe impellunt, dum cogunt feſtinare. Ne ſperne honores, ſed nec avide appete: & qui eo minorem te putant quia cares, tu eos habe pro minutis. At vivendum tamen eſt. ſane: & omnino huic rei eligenda aliqua via. Illa Advocationum tibi diſplicet: quæ tamen directus ipſe limes hodie ad civiles dignitates. Ineamus aliam, & vel de Profeſſoria hac conditione cogitemus (in quam opera mea nunquam deerit,) vel de aliqua Nuptiali: hic dico, ut legas tibi, cui formam dederit pulcherrima illa & ſimul valentiſſima Dearum. Nam cui Venus ſola faverit, ſpinturnicium & nugæ. Ego ita cenſeo, & fidele conſilium tibi do: abjicienda vana rerum: nihil calide nimis appetendum, quia omnia in tempore vehet hic aut alius veſper. De Aula, ſi ſapis, nihil cogita. hic ſumus; & perſeveranti in ea, ſimus. Apud nos nunc quidem anguſta loca, & reſtricta ob ærarium tenue, quod fraudibus etiam imminutum: ſed in tempore non deſperem: niſi obſtant nobis, quos noſti. Mitigabuntur: ſed die opus eſt. Vale, & ſi quid poſſum pro meo Baudio, ſcito velle. Lugduni Bat. v. Kalend. Octob. CIↃ IↃ LXXXVIII.

Literas dedi nuper ad Iac. Gruterum, Rectorem Scholæ Middelburgenſis. virum noſti? ſi ita; adi, & pete quid impetraturus ſim de Seneca manuſcripto. Si non ipſum: non & excerpta, ſive notas?

EPISTOLA XXVIII.

I. Lipſius Dominico Baudio S. P. D.

PLuſculas à te literas accepi, fateor: ad quas ſilui, non voluntate aut ſubita ignavia, ſed quia deinceps ſic cogit valetudo. Tibi narro Baudi. frangor paullatim, frangor: & per aſſiduum hunc languorem deſerit ponitque calor & vigor ille in nobis, velut ventus. Velo ferri ſolebamus, nunc vix remis. Politica etiam mea, ſerium opus, valde me tenuerunt. Nunc ipſa abſolvi, nondum quæ ad ipſa: id eſt Notas. Invidia fatebitur arduum & operoſum opus eſſe, neſcio an probum. Tu certo & ſemel ſic exiſtima, te à me æſtimari, amari, & ſemper id fore, ſive ſcribo, ſive ſileo. donec perpetuum tamen ſilebo. De munere

ſive

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſive titulo, quo non ſine fructu gaudes, tibi gratulor, & voveo atque auguror majora. Amande ama. Idib. Iul. cIɔ Iɔ LXXXIX.

EPISTOLA XXIX.

I. Lipſius Dominico Baudio S. D.

Lutetiam.

PAuca here ſcribebam, illa mea fuligine & μελαγχολίᾳ πεπεδημένος, *quam diſcuſſi leviter, & ſtatim animus manum tibi juſſit operari. De re tua primum, id eſt, ipſa re, & quæ ad vitam facit, vellem hic, aut illic aliquid factum. Proh Iupiter, blenni aliquot, & buccones, ad culmina honorum veniunt: meliora & altiora ingenia arcentur? tamen rem dicamus, ita ævum eſt, & paucos nuda virtus aut doctrina evexit. Ego, ſi quæ velim, poſſim, quid labores? ſed ingenue tibi dico, plus mihi gratiæ, quam potentiæ eſſe: vel quia amovi me ſemper à publicis, vel quia natura majore ſum, & parum efficace. Nec in meis quidem poſſum prenſare: & bene Deus, quod pleraque mihi ultro delata. Vtinam per Brullarium aliquid vel Thuanum fiat! ad quem iterum de te amanter, imo non amanter, ſed judicio ſcripſi. De publicis, miror in Edicto illo ſic pertendi: etſi fateor Galliæ præſentis ſtatum haud uſquequaque mihi notum. Sed niſi neceſſitas exprimit, quid opus? cur non vel in quiete hac manent, & vitant innovare, id eſt, turbare? Quod ſi fiat,*

Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες.

Noſtri de pace etiam nunc ſperant, quia de Britanniæ inclinatione non deſperant. Sin illa obdurat, & adverſatur, certum eſt, νησιῶται *noſtri non molleſcent, & pergent*

Ἄπρηκτον πόλεμον πολεμίζειν, ἠδὲ μάχεσθαι.

Sub adventum Infantis *(is apud nos certus & propinquus habetur) aliquid neceſſum eſt decerni in alteram partem: pace ſemel fruamur, an æternum. ſed fugio* δυσφημεῖν: *& ô nos miſeros, ſi ita erit! Ego cogitationem, ac pæne decretum, habebam eundi in Italiam: quo ſub annum hunc Sæcularem à principibus viris evocabar. Si eo, etiam hoc pæne ſtat per Gallias vorſoriam capere, & inſignes ibi viros amplecti. Ioſiam Mercerum jam olim inter eos habui, & valde ſe mihi nunc probavit, eruditis, & probi animi judiciique, ad Tacitum Notis. Vidi enim. & quanquam à me interim divertit,* lau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

laudare & amare virum debeo: quia & cum cauſſa, & cum modo facit. Vtinam ſic in ſtudiis noſtris alii! utinam ne Critice hæc ludus fiat, & arena, ut ſic dicam, beſtiariorum! At bona hæc via, conferre ſine livore, ſine æmulatione, in publicum: nec detractum ire ingeniis, ut tuum attollas. De Caſaubono, audio ad vos certo venturum: cui ſalutem dici, & hoc etiam velim, me ante menſes duos circiter ſcripſiſſe. Propior cum erit, fortaſſe ſæpius: ſi tamen valetudo non impedit, quæ valde hac hyeme anni adverſa fuit. Tu vale mi Baudi, & amaturum ſemper ama. Lovanii v. Kal. Mart. cIↄ Iↄ xcix.

Epistola XXX.

I. Lipſius Dominico Baudio S. D.

Lugd. Batavorum.

Quod jam diu ex aliorum literis, nunc è tuis diſco, inter doctores publicos te cenſeri, loco quem olim ipſi inſedimus & jucunde & honeſte. Neque enim nego delectatum me ea habitatione & hominibus: ſed Deus alias aliam mentem nobis donat, ut ait ſupremus vates. De titulo, alium videris velle: ego diſſentio, & video te ad novitia judicia ire. Pro antiquis, quid illo honeſtius? Tamen de eo parum eſt, oleum modo lucernæ tuæ affatim inſtillent, quod Anaxagoras, opinor, olim Periclem monebat. Plinii Orationem te docere, & ſic docere, libens audio. Vidi & quæ præfatus es, decore & κατὰ μοῖραν. Amo & æſtimo te, mi Baudi. De Sidonii loco, non in magno eſt, utrovis modo legas. Tuam mentem capio, nec improbo: neque noſtra à vero abit. De loco Plinii pag. 32. * cujus pulſi: non perſuades plana & plena omnia fore, ſi civis legamus. Porro pag. 139. Nobis, Reip. tibi: idem mihi dicis ac ſentis, & ſcripſi aut volui palam ſcripſiſſe. Vide. At alia, non dubito, habes, in quibus nos etiam doceas, ut olim doctus à nobis: & in gloria hoc ponimus, tales inſtruxiſſe. Stoica noſtra videre, atque etiam cenſere te velim, quæſitu & diſpoſitu (non nego) ἐπίπονον nobis opus. De vocatione in Galliam, fuit ea ſana & benigna: ſed nos mortalitatis memores non mutamus, & ad alias ſedes ire auguramur. Tu me ama, optime vir, & ingenii, & mea cauſa aliquid Corn. Vandalium, cujus φιλόκαλον καὶ ἤπιον illud amo. Lovanii xv. Kal. Ianuar. ipſo die quo tuas accepi, ſubæger, cIↄ Iↄc iv.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Quod Notas in XIII. *Annali*, anni *pro* anui *edi: vidi, & piget. Tamen primæ editiones noſtræ in octavo (uti vocant) forma, palam* anui *: & quis neſcit ?*

EPISTOLA XXXI.

I. Lipſius Dominico Baudio S. D.

Lugd. Batavorum.

MIhi vero epiſtola tua grata, læta, ſi à te ulla. Ipſum meum Baudium candidum, purum, αἰθερειώδη *præferebat: & qualem olim novi, novi? ſed & (ne abnue) formavi. Hoc titulo & affectum, & fidem, mihi debes: quæ utraque largiter in hoc ſcripto oſtendis. Nuncias de viro Scaligero Epiphane mihi novum, aliter de me loqui. Novum, neque olim & nuper ſic ſolet: triſte etiam, non nego, quia & exemplum diſplicet, & vereor ut hæc res longius eat. Non deſunt utrimque, qui videre velint nos commiſſos. Et jam Epigrammata in medium projiciuntur, quaſi proludia, & feruntur ab eo ſcripta. Ego verbis & ſcriptis etiam abnuo, & fortiter nego apud amicos. Heu, fructus iſti, & quaſi* ἐκγεννήματα *literarum ſunt? Pudet, & piget. Quid autem à me cauſæ eſt? Quid non de eo bene honeſteque ſemper ſenſi, dixi, ſcripſi? Orbis eſt teſtis. At enim* DIVA *diſplicet. Eſto. ergo & me oderit? ergo & in re* δυσσεβείας *conſenſum imperet? Nos hic liberi, nec ſervi vel heroum ullorum ſumus. Aliud eſſe opinor non cauſæ, ſed coloris. & dicam. Sunt mihi amici, qui ipſi non ſunt: & hoc fortaſſe mordet, ut ſuſpiciones gignit, quas probitas & candor meus ſpernunt. Quam ſæpe de illo benigna & honeſte apud averſantes etiam locutus ſim, ſcio, & dolentibus aut culpantibus multis. Hæc præmia: ſed omitto. Alienam culpam, ſi qua eſt, præſtare non poſſum: poſſum & debeo meam. Ad alia, & ad te. In Britannia fuiſſe te ſcribis, & me expectaſſe: & paſſim de abitu meo etiam hic opinio erat. Rogati certe fuimus, & ibam, niſi vetus illud tenuiſſet,* Reipublicæ non miſceri. *Chriſtophorum Harlæum, ibi Legatum, amice in me affectum eſſe, aliunde etiam, atque adeo ex literis ejus olim ſcio. Redamo, & in occaſione nunciato. Hoc lætum, triſte, de fato noſtri Douſæ. quem quidni poſt alios etiam tu laudes? Facito, & viro candido, & publice & privatim de ſtudiis merito, gratiam hanc repone. Quam aliam potes?* τὸ μὲν γέρας ἐστὶ θανόντων. *Symmyſtes in hoc ſacro eſſem, ſi adeſſem. Vale*

mi

mi Baudi, & ama qui te priſca & Romana fide. Lovanii VI. *Idus Febr.* cIↃ IↃC V.

Alia epiſtola ſcripta erat, ſed cum calore & προθυμίᾳ majuſcula. retinui, & ſcidi.

Epistola XXXII.

I. Lipſius Dominico Baudio S. P. D.

Lugd. Batavorum.

N*Ovi, novi tuum animum, apertum, ſimplicem, & quæ ſcripſiſti, & tali illo. De magno amico noſtro* εἰκῆ καὶ χύδην *me credere, mos meus vetat, imo natura. Sum* φιλόφιλος, *ſed idem ſuſpicionibus haud indulgens, & reddi mihi vicem, quam mereor, credo. In re tua quam vellem ut velles? & ſignifica ſi quid poſſim, dum poſſum, id eſt, dum aura iſta & ſermone veſtro etiam veſcor. Nam grandis nuper morbi ictus me concuſſit, & nunc vacillo aut lapſo. Ne tu in mei amore, per ſupremum Numen rogo. Lovanii,* XV. *Kal. Majas,* cIↃ IↃCV.

Epistola XXXIII.

I. Lipſius Dominico Baudio S. D.

Lugd. Bat.

N*Vlla à te epiſtola venit, quæ non purum amorem (amorem, an ignem dicam?) ſpiret. quid etiam? eundem mihi inſpiret. Quomodo reſiſtam? non ſum ex adamante: & molle ac mite pectus ad honeſta omnia & honeſtos fateor me ſortitum. O mi Baudi, amo & amplector te: non diſſolvar, donec illa* λυσίβιος *Parca divellat*

— ζώοισι φέρον αἰώνιον ὕπνον.

Quæ prope me vidit, pæne abſtulit, & medicorum certe miraculum vivo. Sed vivo, nec miror famam ibi aliter fuiſſe: quam venti nunc auferant, & fruar aura iſta, amicis, literis, quamdiu Deo meo etiam viſum. At Senecam *noſtrum à te viſum, etſi ſtrictim, gaudeo: ut tuo otio & ἀτρέμας poſſis. En tibi à me exempla. fruere auctore. Nam de Notis meis ſatis, ſi vel obiter libes. Neque hæc talia equidem jacto, aut iſtis me attollo: mea ubi vides, à ſtylo vel judicio haud improbes fortaſſe: in Obſervationibus, & multilectione, ut mea tempora & occupationes ſunt, facile palmam aliis*

donem.

donem. Scribimus, imo edimus nunc Hiſtoricum aliquid, cui Lovanium *titulum fecimus. Quid eſt? quod ex nomine divines, opidi hujus & Academiæ deſcriptiuncula, ſed in partibus (audacter dicam) non mala. Eloquentiæ & hic aliquis eſt campus. Cluſii Exotica accepi, & libavi, & ſtatim tuum Carmen. O tuum! id eſt altum, numeroſum, animi & doctrinæ plenum. Tale & Epithalamium tuum in Mylium, quod ad veterum laudem ire ſæpe hic ſum teſtatus. Quam malo iſta, quam Arenæ illa munera, id eſt, Eriſtica, videre! quæ ævum hoc male procax aut ferox profert, & nati in alternas injurias videmur. Ah, quam abhorreo! & quam exemplum à me non erit! Et ſunt qui provocent: ſed non componar, nec vincam ut vincar. An non vinci eſt, ab ira, ab odio abduci? Ego oraculum tibi dicam: Omnium malorum materies ſunt literæ, niſi modeſtia refrænet. Hac ego, quam ingenio, malo clarus eſſe. & poſſe me pugnare, certe repugnare, unus aut alter libelli mei dicent, ſed cum fructu aliquo, & ex graviore cauſa ſcripti, & in quibus nec hoſtis bilem meam ſuſpicetur. Itaque illa ipſi videant, & doleant, bono viro injuriam ſe feciſſe. Satis nunc iſta: quando te videbimus? quandocunque, gratum, optatum; & collum invo.abo. Lovanii, III Kal. Novembris, ipſa hora qua tuas vidi,* CIƆ IƆ C V.

EPISTOLA XXXIV.

I. Lipſius Dominico Baudio S. D.

Lugd. Bat.

IN *epiſtola tua illud* εὐκλειότατον *de tuo adventu, ſive inviſione, gratiſſima, etſi vel in paucos dies.* γένοιτο. *At munuſcula noſtra* ὑποψίαν τοῖς ἄλλοις ἐνδιδόναι, *quam vel riſi vel indignatus ſum? Hoc ævum eſſe. & pene addam, viros bonos hoc ævo eſſe? Ferendum eſt. nam non mutamus. Ego etiam illud, ſi quid Lydus ille barbarus (ſcio quem deſignes) præter jus moremque gentium patrat. Magna ingenia magno animo hodie eſſe oportet, aut* ἔξω φέρεσθαι *generoſo quodam &* μελαγχολικῷ πάθει. *Non miror ſi ille noſter interdum videatur. qui tamen fallitur, opinor, quod de junctis operis audivit in ſuum genus: ego quidem nihil, niſi Romæ eſſe Scoppium, qui tale verbis molitur, ſed adhuc verbis. Verſus tui Heroici, vere tales ſunt, mihi crede. De Iambicis non dicam, pauculos vidi: nec ſcio an*

ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ille ſpiritus in iis, & varia inventio, quæ in iſtis. Si eſt, ſuadeam vel judicii mei periculo edi. Sed coram hæc licebit. veni, & vale. Lovanii, Prid. Non. Febr. cIↃ IↃc vi.

Epistola XXXV.

Iſaacus Caſaubonus Dom. Baudio S. D.

Lugd. Bat.

B*Inas à te accepi, vir eximie, poſtquam ex Anglia iſthuc trajeciſti. quod ſerius reſpondeo, quæſo te ne interpreteris ſecius. multa enim quotidie impedimenta objiciuntur quæ me in hoc officii genere obmiſſiorem plane* ἀέκοντι θυμῷ *reddant. accedit morbus diuturnus, & peregrinatio cum inſecuta plurium menſium. Quod igitur hactenus non potui, nunc tibi, præſtantiſſime Baudi, toto intimi pectoris affectu gratulor, non in patriam ſolum reditum, ſed etiam ad illud vitæ genus, quod nunquam à te fuiſſe derelictum, omnes non dicam tui, ſed omnino literarum amantes magno vellent redemptum. Nemo eſt vir bonus, cui tuum excellentiſſimum ingenium innotuerit, quin & tua literarum cauſſa, in quibus tantum potes, omnia tibi fauſta ac læta optarit. Sed agimur nimirum arcana quadam fatorum lege: neque eſt ſemper in nobis ſitum, ea eligere ac ſequi quæ ratio ſuggerit tanquam utiliora ac potiora.*

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοι κῆρ.

Equidem non dubito quo ſerius ad hoc vitæ genus acceſſiſti, eo fore admirabiliores ſtudii ac diligentiæ tuæ fructus: qui utinam in publicum brevi prodeant, cum ſtudioſorum utilitate, & nominis tui æterna fama. Faxit hoc Deus Opt. Max. mi Baudi, tibique modis omnibus ὑπερπλουσίως *benedicat. Vale. Lutetiæ Pariſ. a. d.* v. *Kalend. Septembris,* cIↃ IↃc iii.

Eruditiſſimo Heinſio plurimam meis verbis ſalutem velim nuncies. Heſiodum audio ab illo editum, & neſcio quæ alia, quorum hic ne nomina quidem novimus. ſi quid nunc ab eo paretur, me feceris certiorem. habebo gratiam. nam nihil niſi exquiſitum ab illius ingenio exſpectamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

EPISTOLA XXXVI.

Iſaacus Caſaubonus Dom. Baudio S. D.

Lugd. Bat.

QVando mihi noviſſimæ tuarum ſunt allatæ, præſtantiſſime Baudi, æger eram, & Thorii noſtri imperiis obtemperare, non autem literas curare cogebar. Diu enim me tertiana habuit, ſane quam moleſtâ. in hac præſertim ſolitudine, uxore abſente & omnibus meis. Venerat quidem uxor media hieme ſuperiore ut me inviſeret: ſed quæ res domi incompoſitas reliquiſſet, Lutetiam ad negotia perficienda reverti eſt compulſa. reverſam pene detinuit Regina: vetuit certe redire in Angliam. ſed mox conſilium de me revocando aut omiſſum eſt, aut intermiſſum. hoc potius. nam etſi S. Rex per Legatos ſerio de me egit cum Regina: aliud tamen non impetravit, niſi ut rediret uxor, & ego hic aliquamdiu manerem: atque interim maneret mea bibliotheca Lutetiæ. quod mihi longe acerbiſſimum eſt: qui ab optimo Rege nunquam niſi gemens ſum diſceſſurus, nunquam niſi vis major compulerit. Clariſſimum Heinſium ita credo in literis eſſe occupatum, ut noſtris reſpondere ei non vacet. opto & illi & tibi omnia læta & fauſta. Vale. Scripſi raptim. Londini V. Eid. Iul. cIↃ IↃCXI.

Ioh. Meurſium, V. Cl., ſalvere meis verbis ut jubeas, rogo te, quæſoque.

EPISTOLA XXXVII.

Iſaacus Caſaubonus Dom. Baudio S. D.

Lugd. Bat.

VIr clariſſ., ut ſcias quibus in ſtudiis nunc ſim, mitto ad te libellum à me hic ſcriptum. argumentum ſcripti, & τὸν σκοπὸν, ſcio, probabis. τὴν ἰδέαν τοῦ λόγου an ſis probaturus, neſcio. Ego, relictis omnibus meis libris in Gallia, dum ſubinde Londino in aulam excurro, hoc aſſecutus ſum, ut videar mihi jam ἐκβεβαρβαρῶσθαι. Et eſt quidem pars librorum allata; ſed non multum ea re ſtudia mea ſunt ſublevata. Omnino rerum mearum rationes mirificè ſunt perturbatæ: nondum enim à Regina plenam miſſionem impetravi. atque ut ingenue tibi dicam, etſi ſupra modum

dum capior humanitate tanti Regis, tamque inſignium Præſulum; multa ſunt tamen, quæ deſiderium patriæ in animo meo excitat. ſed nihil magis, quam amor priſtinorum ſtudiorum, quæ hic perſequi nullo pacto poſſim. Sed de his alias. Te valere, & bene rem gerere, ex animo opto. Vale. Londini VI. *Kal.* Novembris CIↃ IↃC XI.

Epistola XXXVIII.

Dominico Baudio ſuo Richard. Thomſon S. P. D.

Lugd. Batavorum.

Lıteras tuas, & Druſii faſciculum, poſt aliquot menſium errores, tandem accepi, doctiſſime Baudi. Sed bene quod tandem. Gratiſſimum enim fuit intelligere ex te, quo gradu, & loco iſthic eſſes. Nam ex quo hinc diſceſſiſti, nihil niſi per nebulam de rebus tuis inaudire potui, etiamſi diligenter inquiſiverim. Gratulor ergo tibi hanc profeſſionem tuam, mi Baudi, præſertim vero, quod in illa cum utilitate auditorum placeas. Raræ iſta conjunctio, & paucis conceſſa, etiam magnis alioquin viris. Perge age, & lucem illam ingenii tui, cujus ſtricturas vidimus, magis magiſque quotidie diffunde. Nos inter illos ſedebimus, qui maxime plauſum dabunt. De Arminio quod ſcribis, benigne. Quanquam illius Viri fama non tam ignorabilis apud nos eſt atque tu videris exiſtimare. Nam & mihi olim notiſſimus, antequam apud vos profiteretur, & ex quo profitetur, multis aliis quoque hic innoteſcere cœpit. Itaque quoties iſtinc ſtudioſi aliqui ad nos veniunt, diligenter de Arminio inquirunt Profeſſores noſtri. Itaque Academiæ veſtræ nomine ſane lætor, quæ tantum virum tenet. Angli noſtri ſtudioſi raro peregrinantur. quare mirum non eſt ſi pauci ad vos confluunt. Scaligeri Elenchum vidi. Profecto ita eſt, ut ſcribis, θαύματα καὶ τέρατα, *non* ῥήματα *ſunt quæ effundit. Ego illum libellum necdum ex manibus depoſui, etiamſi aliquoties perlegerim. Plane divinum ſcriptum eſt. Quid Lojolitæ facturi ſint, proximis his nundinis ſcribimus. Non leviter eos pupugit. De Martiale Scriverii jam prorſus ſperare deſii. Non perſuadeo mihi fore ut denuo in manus ſumat. Quare te etiam atque etiam rogo, mi Baudi, uti quantum editum eſt ad me tranſmittas. Rem aliam gratiorem haud facile feceris. Aveo videre Græca Scaligeri noſtri. Interim tamen ſalutabis*

meo nomine Dn. Scriverium, & aurem velles. Vale mi opt. & doctiſſ. Baudi, & me quod facis ama. Vxori amiciſſ. ſalutem. Cantebrig. a. d. VI. *Kal. Auguſt.* CIↃ IↃC V.

EPISTOLA XXXIX.

Illuſtribus, ampliſſimis, ac præpotentibus Dominis Ordinibus Confœderatarum Belgii Provinciarum.

Epiſtola hæc præfixa eſt poëmatibus.

N*On diu mihi, nec ſollicite deliberandum fuit,* Illuſtres, ampliſſimi, ac præpotentes Domini, *quodnam ſibi nomen in operis veſtibulo Poëmata noſtra præſcribendum haberent. Quum enim ſub præſidio veſtræ legitimæ & auſpicatiſſimæ poteſtatis hæc otia literaria nobis concedantur, æquum fuit, ut eorum uſus ac fructus in rationes veſtras referretur. Longe quidem ampliora merebatur virtus & magnanimitas veſtra, quæ per univerſum terrarum orbem illuſtri fama celebratur: ſed accedit hoc cæteris laudibus, quod etiam exile munus non dedignamini, nec æſtimatione ſed affectu donantis liberalitatem metiri conſueviſtis. Hac ego dote & ingenuo amore patriæ libertatis forte paucis conceſſero. Cujus rei fidem abunde facient vel hæc ipſa Muſarum noſtrarum meditamenta, in quibus paſſim expreſſa veſtigia minime degeneris animi, nec abjecti civis agnoſcere poteritis, ſi tantum vobis otii à gravioribus curis ſupererit, ut iſtis ingeniorum oblectamentis aliquid ſubſecivi temporis impartiri velitis.* Nec vero *Poëſis indigna cenſenda eſt, quæ tractetur ab iis quorum fidei ac prudentiæ publica ſalus & felicitas committitur. Nam ſi juſtam quandam venerationem ac majeſtatem operibus adferrè ſolet id quod antiquitate præcellit: nihil eo genere monumentorum vetuſtius exſtitiſſe clariſſimi authores perhibuerunt. Quin etiam hæc opinio ſapientiſſimorum hominum conſenſu firmata eſt, cæteras artes & facultates, quæ ad humaniorem cultum animos informant, à doctoris & magiſtri ingenio per diſciplinam & præceptiones ſenſibus inſinuari: poëtam contra naſci, non fieri, nec præclaram iſtam vim aliunde quam à divino quodam inſtinctu propagari, quem illi ſacrum furorem appellabant.* Nec *ideo inſaniæ condemnarunt, aut ad gentiles & agnatos relegari voluerunt eos, cui (ut cum Platone loquar) poëticas fores pul-*

ſare

ſare inſtituunt, & Muſarum ſacris initiantur: niſi ex principum Philoſophorum ſenſu, quibus placet nullum extraordinarium & admirabile ingenium exiſtere ſine mixtura dementiæ: Quanquam iidem vehementer hallucinati ſunt in regundis, ut ſic dicam, hujus vel ſcientiæ, vel naturæ, vel divinæ dotis atque inſpirationis finibus, quum in vatum numero locandos eſſe negaverunt eos qui res geſtas, aut ſalutares ſententias verſibus æternitate dignis intexuerunt, niſi eas fabularum pigmentis & lenocinio condiiſſent, quaſi veritas, quæ princeps eſt & fundamentum omnium virtutum, gloriam carminum dehoneſtaret. quo errore nihil potuit dici minus dignum tantis ſapientiæ canditatis, aut magis pernicioſum bonis moribus. Equidem non invideo privilegium iſtud vatum choro, quin illis liceat hiſtoriæ leges interdum negligere, nec ſum tam rigidus ac ſeverus judex, ut ab iis tanquam à religioſo teſte ſacramenti fidem exigam: ſed ut fingere & mentiri eos oporteat, nec fas ſit eſſe veracibus iis qui volent cenſeri nomine ac dignitate legitimorum poëtarum, id vero ab omni recta ratione, & ab ipſo communi ſenſu capitaliter diſſidere mihi videtur. Nec leviora peccant, minuſve reprehendendi ſunt, qui magiſtrali ſupercilio & cenſoria quadam gravitate pronunciant, totam iſtam nationem poëticantium haudquaquam videri magnæ frugis in bene conſtitutis civitatibus: atque eos qui hiſce nugarum illecebris, veluti Sirenum cantibus deliniri patiuntur, eſſe prorſus ineptos rebus gerendis, ideoque parum utiliter in tam ſterili campo ſementem ingenii atque induſtriam exerceri. Sed quid tandem fidei cauſa adferunt? Dignitatis forſitan plus quam ut contemni debeant, rationis vero minus quam ut magnopere ſint pertimeſcendi. Ajunt, eum qui ſemel animum ad iſtam amabilem inſaniam appulit, ita hoc deſidioſæ oblectationis pabulo ineſcari, ut cum reliquarum artium, unde ſolida utilitas & verus honos paratur, capiat oblivio, vel faſtidium atque contemptus; ad inſtar ſociorum Vlyſſis, qui deguſtata pernicioſa loci ſuavitate deſiderium ac memoriam patriæ penitus exuebant. Hoc qui cenſent, extra territorium & ſupra juriſdictionem ſuam jus dicunt, quum ſententiam ferre audent in eos, quorum generoſitatem & naturæ præſtantiam ne intellectu quidem imaginari queunt. Nam quod princeps ingenio ac doctrina Plato principem poëtarum Homerum ex

republica ſua dimittendum ſciſcit, id nihil adjuvat cauſam eorum, qui carminum decus, & poëticæ ſtudium infamare contendunt. Ille enim non contumeliæ cauſa ſic ſtatuit. (nam quis Platone ſplendidius Homeri laudes in cœlum extulit, aut quis eum crebrius in rebus graviſſimis teſtem producit?) Sed quum blanda quadam ingenii luxuria, tanquam ferente vento profectus, informaret hujuſmodi populum, & talem regendæ civitatis ſtatum, qui omnes in ſe numeros eximiæ perfectionis contineret: judicavit nullum ibi fore uſum maximi vatis: quemadmodum non eſt opus exquiſito cœnarum ingenio iis, qui jejunio aut exercitio famam opſonaverunt, quod eſt optimum cibi condimentum: nec arte medicorum indigent, qui integra valetudine, ac firmis corporibus utuntur. Similiter ſi qua civitas exſtaret uſquam gentium, in qua cives ita eſſent à natura facti, vel ab educatione imbuti, nihil ut concupiſcerent improbum, nihil admitterent niſi quod eſſet cum officio & honeſtate conjunctum: nullam ibi vim haberent ſeveræ leges, nec foret neceſſe homines præmiorum ſpe invitari ad laudem, aut ſupplicii metu terreri à vitiis, quum ipſa virtus bonique mores ſua ſponte ſatis placerent. Verum hæc talia poſſunt impune optari à philoſophis otio & ingenio abundantibus, dum animo & ſtylo concupiunt non quid uſus communis admittat, aut quid ſors & conditio temporum ferre valeat, ſed quid in ſuo genere ſit abſolutiſſimum. Hac mente ſummus author, & egregius bello dux Xenophon in perſona Cyri nobis adumbravit effigiem perfectiſſimi imperatoris: nec exegit narrationem ad hiſtoriæ fidem, ſed ad exempli normam, in quo nihil deſiderari poſſit. Igitur in aſſerenda poëtarum fama, nec ullum locupletius teſtimonium quærimus, nec ad alium judicem provocamus, quam ad ipſius tribunal Platonis, qui ſub perſona Socratis vult ille quidem Homerum emanere à ſua republica, ſed coronatum ante & unguento delibutum è finibus dimittit. quo honore declarat, hominem Diis immortalibus prope parem videri, ſed quærendum huic numini aliud cœlum, in quo divinum ejus ingenium cultores idoneos invenire poſſit. Haud abſimili exemplo ſancita fuit apud Athenienſes lex oſtraciſmi, quæ exilio mulctabat viros optime de republica meritos, non ullum ob crimen, ſed ad pacandam invidiam, quod periculoſum liberæ civitati arbitrabantur, quemquam unum potentia, dignitate & glo-

ria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ria longe ſupra cunctos eminere. Nec poterat ad ejuſmodi honorificam contumeliam niſi periculo virtutum perveniri. Nihil igitur adſerunt, qui tantopere Muſas & Muſarum alumnos averſantur, ut iis aditum ad honores & dignitates intercludant. Quid enim minus probabile aut veriſimile eſt, quam ejuſmodi parum idoneos fore publicis muneribus adminiſtrandis, qui ſublimitate mentis ultra ſortem humanam ac ſupra mortale faſtigium aſſurgunt? Sed videlicet ita eſt, judicio potius ſpernunt ea quæ vulgo dicuntur ampliſſima, quam ob virium imbecillitatem reformidant. Thaleti olim uni è ſeptem Græciæ ſapientibus vitio dabatur ab imperitiæ patronis & obtrectatoribus magnarum virtutum, quod inanem atque inutilem contemplationis voluptatem ſectaretur, quæ ipſum à pudenda paupertate non vindicaret. Voluit exemplo convincere, & animi cauſa redarguere ſuos objurgatores: quum enim ex inſpectione rerum cœleſtium, in qua ſcientia mirabiliter erat exercitatus, præſagiiſſet fore uberem & copioſam oleitatem, parvo precio licitatus eſt, & arrhabonibus datis redemit quidquid olivarum ſequenti anno in inſulâ Chio, & in patriâ urbe Mileto enatum eſſet: atque hoc pacto magnam pecuniæ vim redegiſſe dicitur, & illuſtri documento comprobavit, non eſſe rem arduam Philoſophis, pervenire ad divitias, ſed ejuſmodi curam humilem non convenire vel profeſſioni ipſorum, vel dignitati. Heraclitus fratri regnum reſignâſſe fertur, ut ſe totum ſtudio ſapientiæ devoveret. Empedocles oblatum ab Agrigentinis popularibus ſuis imperium pari animo, nec diſſimili propoſito, repudiavit. Diogenes quum ſummâ penuriâ conflictaretur, tamen inter anguſtias fortunæ ſpirans heroicum indolem, noluit eo ſe demittere, ut regis omnium maximi ac liberaliſſimi beneficentiam experiri dignaretur,

Nam neque divitibus contingunt gaudia ſolis,
Nec vivit male qui vivus morienſque fefellit.
Quod ſatis eſt cui contingit, nihil amplius optet.

Plena eſt omnis antiquitas exemplis eorum qui honeſtam paupertatem Attalicis conditionibus antetulerunt. Alii quum principem locum civitatis virtute ac vitæ dignitate mererentur, tamen quod parum ſcite noſſent adulari, & per ambitionem aucupari populares auras, neglecti jacuerunt non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſine convicio ſeculi, & exprobratione publicæ ingratitudinis. Sed nimis digredior ab orbita ſuſcepti ſermonis, nec tamen in cauſa prævaricor. Ex his enim cuilibet cordato & intelligenti liquere poteſt, non eſſe à rebus gerendis excludendos qui interdum mentem feſſam gravioribus ſtudiis recreant ac reficiunt jucundiſſima conſuetudine dulcique commercio Muſarum. Permultum enim intereſt utrum aliquid ita tractemus, ut nihil in omni vita ſimus aliud acturi, an vero per intervalla divertamus ad amœniores diſciplinas, ſive animi relaxandi gratia, ſive ad exornandam eam facultatem, cui præcipuam curam ex profeſſo dedicavimus. Neque enim tam illiberaliser natura, vel lex ulla cum humanis ingeniis tranſegit, ut homini cuiquam induſtrio ac diligenti ſit interdictum ne amplius quam artem unicam mente ac ſcientia complectatur. Poſſem ad teſtimonium citare multos inſignes viros, qui ſimul in republ. ſummis honoribus floruerunt, & tamen hoc liberali exercitationis genere vehementer ſunt delectati, quoties otio inſititio diem diffindere, per publicas occupationes, potuerunt. Nec vero nobis hæc ſtudia obſtiterunt, quo minus publice ac privatim, ut captus eſt mediocrium, prodeſſe conemur. Abſit, ut apud tales viros gloriari auſim; tamen non deſperamus, hanc ipſam editionem & juventuti nonnihil utilitatis & Academiæ veſtræ haud indecorum nomen allaturam. Sed nihil æque ſtudeo, quam ut apud eos, qui literas & literatos amant, exſtet pignus ac teſtimonium meæ ſingularis erga vos obſervantiæ. Bella jam per tot annos geritis cum regibus longe lateque dominis, quorum immenſis ditionibus ſi conferatur veſtrum harediolum, vix puncti inſtar obtinebit. Interim non ſolum armis atque animis fortiter ſtatis, ſed copiis atque opibus ita abundatis, ut nunquam antea fundatior rerum veſtrarum ſtatus fuiſſe videatur. Qui vires ac potentiam adverſariorum in infinitum extollunt, non aptius quam exemplo veſtro doceri debent, nihil eſſe magnopere formidoloſum viris fortibus, & generoſis civibus, qui pro patria mori feliciſſimum augurium putant, quoſque ad bonæ cauſæ defenſionem juſtus dolor, & intolerabiles injuriæ compulerunt. Non regnorum, aut regionum ſpatiis & latifundiis vera magnitudo metienda eſt, ſed fide, benevolentiâ, & obſequio ſubditorum. Majeſtatis auguſta ſedes non alibi auſpicatius conſecratur, quam in domicilio animorum. Hæc vere regia gaza eſt, hic preciosiſſimus principum theſau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſaurus, qui nec ab India ſubvehitur, nec auro Philippeo parari poteſt. Qui terrore ac minis, non liberalitate ac beneficentia compeſcuntur intra gyrum ſervilis obedientiæ, non eſt quin aliquando ingenuo dolore ſuſcitentur ad excutiendum acerbæ jugum ſervitutis. Nullo enim populo tam degener eſt animus quin velit, tam afflictæ vires quin poſſit ſeſe liberare ab ea conditione cujus eum pœniteat. Id ſi antea dubitabatur, vos exemplum grave præbetis, qui continuatione conſtantiaque propugnandæ libertatis, vitæ, famæ, & incolumitatis Belgarum eo rem deduxiſtis, ut Sereniſſimi Archiduces jam vobiſcum fœdere ac ſocietate jungi cupiant, nec dedignentur paciſci tanquam cum libero populo, nullis ultra legibus ſecum devincto. Quod quidem immortale beneficium, voto & ſpe omnium ſublimius atque excelſius, non eſt ut queat ſine ſacrilegio & impietate, niſi cœlo & fatis, imputari. Deus, in cujus manu ſunt corda Regum ac Principum, addat conventis induciis fidam, ſtabilem, honeſtam, nec inſidioſam pacem; quo munere nihil præſtabilius, nihil exoptatius huic ſtatui, boniſque omnibus evenire poteſt. Hominem enim & humanitatem prorſus exuit, quem civiles diſcordiæ cædeſque delectant, aut quiſquis alio fine bellum ſuſcipit, quam ut in tranquillo pacis & otii portu conquieſcat. Optima ſpes affulget, fore ut hoc tanto bono perfruamur, cum ob alia certiſſima ſigna & auguria cœleſtis erga nos curæ & providentiæ, tum ob inſignem victoriam navalem, non humano Marte, ſed favore divino recens reportatam ex potentiſſima & judiciis hominum inſuperabili claſſe Regis Hiſpaniarum. Sed ut nihil eſt in rebus mortalium ab omni parte beatum, obnubilavit illius pugnæ proſperitatem occaſus magnanimi Thalaſſiarchæ Iacobi ab Heemskercke, qui fortiſſime ob patriam pugnando nobis triſte cum ingenti lucro deſiderium reliquit, ſibi decus immortale morte quæſivit. Deum O. M. cujus numine ac virtute, non humanis opibus ac præſidiis, tamdiu ſtetit hæc reſpublica, quæſo venerorque, ut omnia conſulta, & facta veſtra moderari, ac ritè ſecundare dignetur. Scribebam, ac vovebam ex animo, Dom. Baudius, cIↃ IↃc VII.

EPISTOLA XL.

Daniel Heinſius Baudio ſuo S. D.

Epiſtola hæc præfixa eſt Baudii Amoribus.

C*Lariſſime* Baudi; *Omnium virtutum regina mihi ſemper viſa eſt conſtantia, quæ in rebus humanis magnum illud & divinitati proximum invexit,* NON MOVERI. *Stare quippe contra fortunam nemini eſt datum, quam qui animo invicto ictus excipit illius ac frangit, & cum natus ad calamitatem ſit ut homo, ſibi dat quod non accepit. Hæc eſt illa Stoicorum* ἀποθέωσις, *qua conditionem numinis invadunt, & mortalitatis leges cum divinitate proxime conjungunt. Fortes quidem viri, ſed, ut noſti, qui invidiam multorum ſibi creant, dum tam alta loquuntur. Nollem etiam,leniſſimum affectum,* τὴν φιλανθρωπίαν, *penitus excluderent: & humano generi hoc negarent, quod ab eo nomen accepit. Vtriuſque ſummum temperamen in te vidimus. Chariſſimam (ita vocas) uxorem nuper amiſiſti. Commune hoc cum omnibus fuit tibi. Mortalis quippe erat, & hac lege venerat, ut ſic abiret. Reliqua vere ſunt tua. Aegram animi ac corporis, ſuaviſſima adlocutione recreaſti: nullum optimi mariti officium prætermiſiſti: abeunti, qua neceſſe erat, viam quæ ad loca beatorum ducit, quaſi digito monſtraſti. Cætera boni viri; hoc & Chriſtiani & Theologi fuit. Functus his calamitatibus, lachrimis pauciſſimis, ſed quas partim mœror eliceret, partim animi conſtantia inhiberet, proſecutus es. Ita quippe maritum agebas, ut te virum eſſe meminiſſes: ita conſtantiæ ſeveritatem tuebaris, ut humanitatis legem non excederes. Aliquot deinde poſt diebus funus mortuæ feciſti: & atratus ipſe (quanta conſtantia, Di boni!) agmen amicorum duxiſti: donec terræ partem ſui reddidiſti. Ex hoc tempore animum firmare ſapientiæ præceptis aggreſſus es, & in uſum tuum promere, quæ diu ante eras meditatus. Videbas quippe ereptam eſſe quæ jam reddi non poſſet. Cæterum præſidia in te ſita, indidem promenda eſſe. Ita tecum tandem & feſtivitate tua in gratiam redire cœpiſti. Munera Deorum, quæ ſolatia humanitatis noſtra natura eſſe voluit, paulatim etiam adhibere. qualis liquor eſt illius Dei, qui Indorum fines expugnavit. Idque cum judicio & delectu. Neque dubitamus, quin in*

tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tantum jam profeceris, ut ſuaviſſimum Deorum, ipſum ſcilicet Amorem, qui vel ultro te invitat, ſenſim ſis admiſſurus. Certe quicquid uſquam venuſtatum eſt, cœlibatum tuum decet. Cogita cum quanta amœnitate tibi ſit luctandum: quanta tibi in conditione iſta adverſaria parata ſit. Si quæ uſquam eximia eſt forma, libertatem tuam provocat, quæ tutorem jam non novit. Si quæ dos eſt uſquam, quæ contemni non debet, eam occupare ſpe jam potes. Et ut poſſis, imo debeas, domi habes quod reponas: cui plus quadragies Iamborum eſt in arca. Probæ monetæ quidem, quamvis vix in vulgus uſitatæ. Cætera ut excuſes, Baudium aliquem terrarum orbi debes. Quicquid nil agenti tibi elabitur, hominibus perit: qui virtutes tuas à te quidem, ſed in alio expectant. Quare cavendum tibi cenſeo, ne quantum tu ceſſes, omnium interſit. Ætas abit; quæ ne fruſtra elabatur, etiam noctes occupandæ ſunt. Quod futurum brevi jam ſperamus. quare etiam jocari auſi ſumus. Nam cum reliqua quæ dici in luctu ab amicis ſolent, partim tempus, partim tua nobis præripuerit conſtantia; plus jam omnes judicabunt eſſe, quod vel ad lepores uſque obduraſti. Quos, te ſerio ſuadente, publico jam damus. qui nonnullum huic ſcripto, in quo doctam antiquitatem expreſſimus, pretium poſuiſti. Cui editionem imputabis. Vale.

EPISTOLA XLI.

Ioan. à Wouwer Dominico Baudio S.

NVperis ad te meis, revocavi tibi in memoriam imaginem amplexus tui; & plurimis inſinuavi religioſiſſimum in te adfectum meum. Subit adeo mirari, quod tam diu reſponſum mihi debere velis. Rurſus te rogo quæſoque ut votum meum impleas in iis quæ promiſiſti. Sed adjuro te per amorem noſtri, effice ut intelligam illas Muſas tibi in opere adſtitiſſe, quorum auxilio & digna Regibus, & poſteris memoranda commentari ſoles. Vale, & me ama. Hamburgi XVI. Kal. CIↃ IↃCIII.

EPISTOLA XLII.

Principi literatorum & amicorum Dominico Baudio Ioannes à Wouwer S. D.

Lugd. Bat.

TImeo fidem oculorum, qua aſſerere audes ſacrum illud caput Burchardi currente rheda tibi oſtentatum fuiſſe. Nam à lectione tuarum literarum ſcripſi Stadam ad amicos, & per omnes angulos inquiri de hoc omnium ſuppliciorum pabulo juſſi: at nemo fugitivum commonſtrare potuit, neque adeo indicium ejus ullum facere, cum tamen graphica ſatis deſcriptione inquirentium oculis nefandum caput expoſuiſſem. Si eum fata in his terris ad ſupplicium rapiunt, non erit, quin ſolenni Panegyri immixtus turbæ urbem hanc accedat. Quod ſi ita eſt, crede me ſaxum paratum, unde ſalire debeat; olimque epigramma mihi deberi: WOVWERVS SCOPVLVS BVRCHARDI. *Ego ternis jam literis officium Carminum à te petii. Quod indubie ægre tuliſti. Sed fallor, aut amicitia noſtra hanc licentiam mihi dare poterat: cujus leges te minus exacte impleviſſe noris, quod me eo tam diu fraudare volueris. Vereor enim ut nimis tarde in manus meas veniat. Nam niſi intra* XV. *dies accipiam, parum me juverit. certe aliter apud me ſtipulatus eras. In quo etiam accuſo Iunonem tuam, quæ admonitionis officium in ſe receperat. eam tamen meo & Dominæ meæ nomine officioſiſſime ſalutabis. Vale amiciſſimum caput. Hamburg.* IX. *Kalend. Octobr.* CIↃ IↃC III.

EPISTOLA XLIII.

Ioan. à Wouwer Dominico Baudio S.

Lugd. Bat.

MVltum te amo de munere ingenii tui, aptiſſimo ad genium meum, quem tu ſolus unice noſti. Sed quid animo in me tuo rependam, ſerio diſquiro; tuum erit mihi oſtendere quo nomen meum apud te expungi poſſit. Interim, quæ libertas eſt mea, patiar hunc titulum reliquis tuis in me beneficiis accedere. Nequicquam delibatum de libertate hujus civitatis; ſolenne homagium, & quidem ſine juramento, Regi & Holſatiæ Duci præſtitum; ſola manus obla-

oblatione fidem dederunt. Hæc omnis ſolemnitas, & totum jus quod petere potuit. Excepimus lætum Regis adventum, quem feſtivitate ſpectaculorum conſecravit. Ita plurimi exacti dies. Ante paucos dies Imperator Legatum cum mandato inhibitorio, & ſub pœna banni miſit ad hanc civitatem & Regem. Sed Rex contemtim, ut intelligo, remiſit. Puto hoc agunt Pragenſes, ut aliquo argenti bolo cives noſtros emungant. Ipſi viderint. Indicavi Luchtemakero Buſium obiiſſe. quod ægerrime tulit. Vale, & me ama. Hamburgi Prid. Kal. Novemb. cIɔ Iɔc III.

EPISTOLA XLIV.

Clariſſimo Viro, Dominico Baudio, Ioannes à Wouwer S. D.

Lugd. Bat.

NIſi vererer amicitiæ noſtræ injuriam fieri, ambitioſe gratias agerem promptitudini adfectus tui, cujus magnitudo blanda vi evicit, ut non invitus ſuſciperes, quæ te minus operoſe rogâram. Inprimis vero hoc nomine me tibi devinctum ſentio, quod vel omnibus notum eſſe gratum habuiſti, quanti me faceres, & qua arte neceſſitudine animi noſtri coaluiſſent. Non facile autem dixero, quantum ſibi D. Præfectus Regius de literis tuis gratulatus ſit. Prolixa profecto oratio eſſet, ſi apud te referre vellem, quantum de tua erga filium benevolentia ſibi placeat. Cum vero vir Illuſtris nihil inter tantas ac tam amplas poſſeſſiones magis carum habeat jucunda hac anima, non miraberis, ſi tenero & anxio adfectu prudentiæ tuæ illum credere ſatagit. Nam, ne quid erres, ut eſt vir cordatus, & temporum inprimis peritus, nihil apud vos fortaſſe tantopere nobis imponeret, ut ſuaviſſimum hunc ſpiritum eo ablegaremus, niſi cordi eſſet, unico Baudio vota noſtra credere, quem ſolum dignum æſtimemus, propter quam Theſpiæ petantur. Quare majori ſtudio à te contendimus, ut pari facilitate, qua nos ſemel erubeſcere humanitas tua coëgit, curam totius inſtitutionis in te ſuſcipere velis. Nam, ne falſus ſis, ſupervacuum, imo indignum nobis viſum, præceptorem illi adjungere, quem Baudianæ diligentiæ commendare par erat. Noſti ſtultitiam eſſe, poſt aſellam diaria ſumere. Itaque non tam præceptorem, quam cuſtodem illi comitem noveris. Sed ut adſe-

adfectus noſter vere compoſitus acquieſcat, unice rogamus, nobiſcum ſtipuleris, te præter individuam conſuetudinem lectiſſimæ indoli hoc quoque largiri velle, ut ipſius ſtudiis ſingulis diebus vel horam tribuas, quæ vel lectione optimi ſcriptoris, aut alia quavis ratione, ut tibi viſum fuerit, non ſine ingenti fructu præteribit. Accedat neceſſe eſt quotidianum aliquod Latinitatis exercitium, quo te judice & arbitro ipſa ſcribendi emendata ratio robur ducat. Quo vero honorario hanc diligentiam tuam remunerari velis, certiores nos facias, ſerio petimus. Non tam rudes rerum, aut ignari celſitudinis animi tui ſumus, ut fugere nos poſſit, operam iſtiuſmodi inæſtimabilem. Sed concede nobis, ut liceat eſſe ſecuris: quod ægre fieri potuit, niſi te hoc pacto conditionem accepiſſe certi eſſemus. Noluimus periclitari animum tuum verbis inverſis: ſatius duximus Latina ſimplicitate cum illo agere, quem ab omni fuco & illecebris averſum novimus. Quanti vero æſtimes, ut commendatam indolem tecto recipias, menſæ adhibeas, & omnibus rebus, quæ ad commodam habitandi rationem pertinent, illi proſpicias: ſimili modo ad nos ut perſcribere velis rogamus, quo omnium rerum certi, adoleſcentis iter prima occaſione feſtinemus. Ita nos æternum obligabis. Lepide vero narras de ſalaputiolo. atrox certe bellum meo nomine pugnare non detrectavit. Vide, quæſo, quantus ſim, quo tibicine dignitas mea fulciatur. Aegre eſt animo meo, quod tam ridiculum hoſpitem tibi conciliavi: turbas dabit Eunuchus. quanquam fœcunda in illo ridendi ſeges. De nepote meo, multum te amo. Ad reliqua Epiſtolæ tuæ capita prorſus admiranda vix accedere audeo: terret me rara illa elegantia, & judicii quædam maturitas captum ſæculi ſupergreſſa. O te divinum! cujus genium non ſine ingenti ſtupore exoſculor. Quid habet vel eruditiſſima antiquitas quod tuis opponat. Mi Baudi, concede nobis, ut te digne æſtimemus: tum demum me vivere & mente vigere intelligo, cum tua reliqui: ſentio ſacros quoſdam ignes inflammare hanc mentem laſſitudine rerum humanarum ſemiſopitam, cum à te ſecedo. Et recte judicas; ſatis datum eſt ſtudiorum amœnitati, revocanda ſunt ad utilitatem. Non negabo: abripuit me ſeculi furor, cui plus ſatis indulſi: ſed invito & reluctanti genio, qui toties injecit manum fugienti, atque ad meliora trahere conatus eſt: detrectator imperii non ſine gemitu ereptos ſine gloria dies repeto. Laborant in

ſine

ſine conatus noſtri ; quibus abſolutis, moriar ſi vel tralaticio adſpectu hæc ludicra literaria dignabor. ſolidiora me occupabunt, & forte ad æternæ famæ templa non ſine fauſtis acclamantium votis vel quadrigis albis ſubvehar. Te vero, ſerio ut me ames, unice rogo. non elegiſti amicum, leve hoc nomen eſt, ſed fratrem. in gratiam tuam quidvis pati aut facere paratus ſum. Vale. Hamburgi, XXIV. Auguſt. cIↃ IↃc v.

Epistola XLV.

Amicorum Deo Dominico Baudio Ioannes à Wouwer S. P. D.

Lugd. Bat.

SI graviter & acerbe ferunt jacturam tuarum literarum homines imperiti, quam durum & moleſtum nobis exiſtimas nihil profuturo gemitu illas repetere, & non ſine invidia deficienti pene voce evocare. Neque enim eſt quod in re ſeria rideas, mi Baudi. Secede pauliſper in rem præſentem, & quo loco apud me ſis conſidera, quo animo te complectar cogita, cujus deſiderio & ardori nullum aliud lenimentum, præterquam quod hanc adumbratam tui imaginem exoſculari liceat. Et vero te lepidum, qui liberius excurrentem retrahis & coërces, quem evagaſſe & omnes tranſiliiſſe terminos oportuit. Age vero, annumerabis mihi verba, atqui ad depenſum cauponia fraude exhibebis. Adfirmo tibi, ſecedo ad tua, tanquam ad loca pura & incontaminata, vere fruiturus ſecreto meo. Sentio enim neſcio quos inſtinctus. Nam altius exſurgit hæc mens, & velut divino igne inflammata ſupra homines eluctari conatur ; ſive quod animata abſconſa quadam tua virtute, quam propius intueri & tangere poteſt, ſive quod ipſa genii tui admiratio in quandam ſui imaginem rapiat & abducat. Quam religioſe te colam, expertus jam Huſwedelius, quem mihi commendâras: gratus certe mihi & jucundus vel hoc nomine, quod genus vitæ, quod amplexus, pene mihi perſuaſeris dignius & præclarius trabeis & prætextis, lauro & palmatis. Quod ſi reges & tyranni meis auribus hunc

Florem illibatum populi, Suadæque medullam

audirent, diadema penulis & ſceptra ferulis mutarent. Sed vicit apud imperitos omnis ad pompam compoſita actio

qua

quæ pellicit ſpecie inanium, & imponit lenocinio præcepti erroris; quem haud dubie multis eripient divina tua poëmatia. quæ cur diutius premas, cauſam non video. Sequere quo te vocat ignea vis animi, & fauſta bonorum vota. Te-ne tibi narrabo? Nempe nunquam de corona contendiſti, nunquam victor ex hoc ſtadio rediiſti. At ignoſce, non capio, quod ſcribis pleraque τῶν γνωμολογικῶν proditura cum * *. Si ſapis, non permiſeris hanc commiſſionem. Quid opus incruſtare vas purum, quod per ſe elegans & emendatum nullo alieno emblemate eget? Ægre autem eſt animo meo, quod cum omnia feci ut adventum ad te feſtinaret Frid. Bertramus ab Alefeldt, impetrare tamen non potui, ut illum crederent itineribus parum tutis, & cœlo inclementi. Proximo autem veris tempore omnino tibi adfuturum ſpondeo. Reſtingue deſiderium male apud nos adhærentis: quod leniet tibi ſpes moræ diuturnioris. De mercede operæ ſine cauſa diſputas. Novimus rectæ educationi nullum pretium ſtatui poſſe, & operam Baudii plane inæſtimabilem. At recte adjungis de ſorte tua, & formula fiduciæ, qua inter bonos bene agi oportet. Equidem ſi ſolam eruditionem & animi tui magnitudinem ſpectaremus, nulla penitus iniri ratio poſſet, quo dignum operæ pretium rependeretur. Sed facilitas ejuſdem animi facile nos inducit, ut ſtatuamus beneficia beneficiis expungi poſſe. Intuere quæſo θρησκείας & officia religioſorum: levia profecto & exilia deprehendas, ſi iis beneficiis cenſeas, quæ à Deo conferuntur. Finge eandem in tuis imaginem: digne te æſtimamus, cum inæſtimabilem concipimus. Licebit interim religioſo obſequio delinire, & ſacrificii quadam impenſa propitiare. Valde vero nos liberales ſalutis tuæ munere noveris: neque eſt quod exiſtimes notores à me exigi. Inſcitum autem *, quaſi non ſatis laudaſſes, quem laborioſum dixeras. Cave ſchema Eucolpianum de Aſcylta. Nam ne hoc quidem capere poteſt vervex iſte ſenio areſcens. Quid ſibi quærit homo Claudiana lingua diſertus, & ſolus inventus cui feliciter ceſſit per aliena ſubrepere ad famam, & imperitis fumum vendere. Pulchre honoratus ſecedit, ſi hoc elogium à te impetrat, quod mihi ne fidiculis quidem extorquebit. Vnice interim te amo, quod me ad hanc palæſtram vocas, ad quam rapit divinus quidam ardor & magnæ indolis generoſitas. Sequor ducentem, imo præcurro, utinam ad eandem tecum metam! quod vel optare non di-

cam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cam fatui, ſed ſtulti. Tragicomœdiam Venerii noſtri nepotuli riſu & applauſu, an indignatione excipiam, dubito. Sane valde me afficit, quod illum commendârim, qui tibi tuiſque non mediocres moleſtias excitavit. Bellè tamen evenit, quod data occaſione eliminaris, quem vel ædes ipſæ ferre dedignabantur. paſſim hic innotuit ſeceſſiſſe licentiæ alumnum ad Biberiorum collegia, concenas opimos, & omnis fumi valde peritos: ſed quis color ſeceſſioni quæratur, necdum comminiſci potui. Noſſe potes hoc hominum genus ingeniatum ad calumnias: quæ etſi leviter & ſine cauſa orta, tamen animis credulis & parum à prudentia munitis facile obhærere ſolent. Non periclitabitur domus tua me patrono: convocabo vires, & pro aris & focis depugnabo; certus victoriæ, de qua tuis auſpiciis decerto. Domum tuam differri ſermonibus malevolorum

Audieras: ſed fama fuit.

Quid opus hoc ad me referre, qui te propius novi: fruſtra maledicentiæ os obturabis. revertere in te, & animum adverſus iſtiuſmodi mendacia offirma. Non ceſſabis extorquere à Scaligero, quæ injunxeram: eadem à te quoque peto. Non pœnitebit redire in præterita, & velut ruminatione reguſtâſſe quæ delibaras diſertiſſimus Romuli nepotum. Vale, ô animæ dimidium meæ. Hamburgi XII. *Decembr.* CIↃIↃCV.

EPISTOLA XLVI.

Clariſſ. & eruditiſſ. Baudio, amicorum & Poëtarum Deo, Ioannes à Wouwer S. D.

Lugd. Bat.

HOc ipſo momento redditæ mihi literæ tuæ, quas avide hauſi, fontem amoris mei. Quas ad te dedi aliena manu, non mente, ſcriptas, quin acceperis, minime dubito; gratias in illis egi tuæ uxoriſque humanitati, quam vel ſanguine meo, vel ſi quid mihi carius, remunerare conſtitui. Exagitat me etiamnum lenta febris; moleſtior tamen, quam periculoſior. hoc me excuſabit amicis, quo minus ad illos ſcribam. obligabis fidem tuam, me diuturnum ſilentium meum paratum expungere frequentiori alloquio. Interim, mi Baudi, quid rependam animo tuo & adfectui, quem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

nunc demum plenum & integrum agnoſco, cum eorum meminiſſe digneris, quæ mihi grata eſſe noſti: unice te rogo, ut ſerio pertendas, nec deſiſtas me tibi obligare. Inſpice ſodes Douſæ F. Ciceronem, ſi forte conatus noſtros juvare poſſet. De Apologetico Tertul. & Diſſert. Polit. fruſtra te monebo. Si non ſufficeret vobis, quod Rumpius fidem ſuam obligavit, non ægre ferrem me quoque ſponſorem aſſumi. Vehementer autem pro amicitia noſtra te rogo, ut commendatum tibi habeas infelicem Nepotem. Hac autem lege avia expungi nomina vellet: ut iis, quorum petitio præferenda, aut tota ſumma, aut major pars ſolvatur: huic fini mercator Amſterodami numerabit centum taleros, quos pridem vos accepiſſe exiſtimo; quibus jam adjicit LXX. *taleros. ita ſpero ſingulis ſatisfactum. Quod ſi hæc ſumma exſolvendo impar; poſtulabis tabulas à creditoribus, eaſque tranſmittas; quicquid erit, continuo curabo ad te tranſmitti: hac tamen lege & conditione, ut ſplendidus iſte Nepos ad nos feſtinet; cui ſumtus itineri neceſſarios ex argento, quod mercator numerabit, ſuppeditabis. Nec tibi grave erit impertire aviæ Reguli, breviarium rationum, quod fidem tuam liberet. Vale, & me ama. Hamburgi* XIX. *Iul.* CIↃ IↃC VI.

EPISTOLA XLVII.

Ioannes à Wouwer Dominico Baudio S.

Lugd. Bat.

S*Miramur, quid cogat tam obnixum ſilentium veſtrum. Plurimi ſunt menſes, quod literas tuas acerrimo deſiderii tormento exſpecto. Nepotem meum ante plurimos dies amplecti unice optavimus, & certo hoc fore augurabamur: nunc ejus parentes obſiti ſquallore & lacrumis, aut fuiſſe eum, aut cæteroquin omnia infauſta augurantur. Per amorem noſtrum, & illud æternum amicitiæ noſtræ fœdus te rogo, certiorem me feceris, quid illum detineat, aut ubi locorum hærere poſſit. Non fero ullam excuſationem, aut quovis colore obumbratam diſſimulationem: verum peto, &, ſi pateris, extorqueo, quo ſemel liberari poſſimus moleſtiſſimo hoc deſiderio. Vale, & me ama. Hamburgi,* IV. *Martii,* CIↃ IↃC VII.

Menſe Majo concedam ad Illuſtriſſ. Comitem Ooſt-Friſiæ, evocatus ad Conſiliarii munus. Infinita ſunt, quæ te ſcire velim.

velim. ſed illa reſervo pacatiori alloquio. Nunc caſtra mea moventur.

Epistola XLVIII.

Ioannes à Wouwer Dominico Baudio S.

Lugd. Bat.

*Gratias quam maximas poſſum munificentiæ tuæ ago: qui nequicquam moratus libros quos petieram ad me miſiſti. Sed quamvis officioſa hæc humanitas, parum tamen juvat vota mea. Mundum oportuit exemplar, ſi propoſitum exſequi velim. Quare per omnia ſacra te rogo & obteſtor, ut ſi fieri poſsit hoc ipſo momento ad me feſtines exemplar, in quo nihil ſcriptum, ſive id à librario emas, ſive ab aliquo amicorum extorqueas. quicquid ſit, quod eo nomine erogaveris, exacte in reditu reſtituam. Solum autem Polymathiæ exemplar peto, de reliquis minus ſollicitus. & quo citius votis meis ſatisfiat, moleſta enim & gravis in hac re eſt mora, ligatum exemplar tranſmitti vellem: fallor, aut prodeſſe mihi cupiet Scriverius noſter, ad quem humanitas tua viam inveniet. Multum me obligabis, ſi animi tui promptitudinem ſerio oſtendas. Libri, quos miſiſti, aſſervantur ut in reditu reſtituam. Publica etiamnum ſuſpenſa, dubia, obvoluta caligine & tenebris. Creberrimi conventus celebrantur, in quibus ſerio de Indicis commerciis agitatur. ſed quantum video, haud dubie pax futura; exitu tamen longo, & forte an diverſo, quam utrinque ſibi finxerant. Noſti hoc uſuvenire in maximi momenti negociis, ut præter vota & ſententiam eventus abludat, & quod non exſpectaveras ex tranſverſo fiat. N. quem oſtendis probe novi: politum omnibus diſciplinis, & ab ipſa humanitate educatum. Niſi me fallit animus, jucundum illi erit probare affectum quovis officii genere. aut frigus offudit liberalitas tua in commendandis *, quos illum plurimi facere & ſummos amicos colere probe novi. Auctor ſum ut præſtantiſsimus ille fœtus tuus tantiſper in Veſtæ penetralibus lateat, donec certior pax alluceat. Tranſire in partes inter ſuſpicaces & malicioſos, quid aliud erit quam ſe ipſum proſcribere, & invidis calumniandi campum aperire: cum alioquin fatum tuum ſatis fœcundum ingenioſis obtrectationibus. quibus ut te involvas, nullam certe cauſſam video. ut taceam, ſordidum & minus ingenuum videri, Muſas tuas,*

ut

ut cum Auſonio loquar, æquimanas, & ob ſpem lucelli exilis, rapi ad quaſvis partes. Vnice aveo videre Orationem tuam. eo nomine adivi Grotium; ſed prærepta occaſio alloquendi hominem. Non capit hoc ſeculum animi tui dotes eximias. ſed memineris, nos tyrannide premi. Parere ſeculo, eſt libertas. Aptabit ſe tempori ſapiens, & contemtum patientiæ attemperabit. Vale, & me ama. Hagæ-Comitis, XVIII. *Martii,* cIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA XLIX.

Dominico Baudio, Georgius Benedicti Harlemenſis S. P. D.

Gandavum.

INſenſas tibi Muſas quereris. remedium à me quæris. Quaſi vero Muſæ aut infenſæ vati eſſe poſſint ſuo: aut, ſi ſint, ut in priſtinam redeat gratiam, mearum ſit virium. Fruſtra profecto uterque laborabimus; ut & tu mihi infenſas eas eſſe perſuadeas; & ego eas reconciliem tibi. Οὐδὲ γρῦ, *inquis, à Muſis impetrare potuiſti. Credo equidem. Quid enim? an Muſas tam vilia daturas exiſtimas? Carmen ſi petiiſſes, ſponte, ſat ſcio, petenti tibi obtuliſſent. Cauſam affers, tum quod ab earum ſervitio deſciveris, tum quod me inſalutato Leida diſceſſeris. O callidum pigritiæ & negligentiæ prætextum. Quanto juſtius ego id dixerim & verius? Sed ſit ita, quoniam ita eſſe vis. Nunc ergo cujus in ſervitio es? Martiſne, an Veneris? à Muſis enim tuo ipſe arbitrio deſciviſti. Ego quidem, ſi ex me quæratur, dixero eſſe te in ſervitio lepidæ cujuſdam puellulæ, ut nonnullis ex commilitonibus meis audio. ita ut, quantum in te eſt, jam à Muſis aliquo modo deſciveris, illæ vero à te nequaquam deſciſcant. Qua ratione factum eſt, ut, quum puellula illa totum tuum animum in admirationem ſui & laudem pertraxiſſet, miſello Georgio vix dimidium reliquerit Baudium. Iocoſe hæc dico, ut ſcis, & amice: an vere, ipſe noſti. Vtut eſt, fortunæ quidem non invideo tuæ: ſed interim mihi quoque aliquam tui partem, ſi modo tibi placeat, reſervari volo. Quanquam quid de eo dubito? Dubitare enim non amici eſt, ſed de amicitia diffidentis. Tu, ut ſpero, quod de te mihi polliceor, præſtabis: & amplius. Quod ad me attinet, ſive tua excuſatio minus vera ſit, ſive mea accuſatio,* cul-

culpam meam fatebor, tuam lubens & volens tibi remittam, ut qui ſciam hoc omnibus Poëtis commune eſſe, ut artem ſuam rudioribus occultent. Interim vide, ne ingratitudine tua Phœbi, omniumque in te iram Muſarum concites. Si enim quum poſſis, nolis verſum ſcribere, falſo prætendens venæ difficultatem, fieri poterit, ut quum velis, nequaquam poſſis.

De Alenconio quædam ſcripſiſſem: ſed quia omnia adhuc incerta, & tibi quam mihi notiora ſunt, ſupervacaneum hunc laborem judicavi. Audivi, Darmondam, quam vocant, à Francis obtineri: quod ſi ita eſt, te quoque in aciem vocat patria, ut fias miles, qui ſtudioſus eras. O repentinam illam mutationem, ſi ſequatur. Faxit Deus, ut hoſtium conſilia & conatus ad nominis ſui gloriam & Eccleſiæ incolumitatem omnes dirigantur. His vale: & ſæpius ſolito reſcribe, ſed carmine. Me quidem, ſi non in venuſtate ac elegantia ipſa, (quod abſit ut tribuam mihi) at diligentia ſaltem, animique propenſione, aut parem habebis, aut etiam ſuperiorem. Iterum vale, XXIV. *Ianuarii* CIↃ IↃ LXXXIII.

Salutabis plurimum meo nomine Abrahamum Mylium, Levinum Kabeljavum; ſimulque ad ſcribendum incitabis.

Tuus tuique amantiſſimus ſodalis

Georgius Benedicti Wertelo.

EPISTOLA L.

Ornatiſſimo viro Dominico Baudio in ſuprema Turonenſi Curia Patrono Nic. Audebertus S. D.

Turonos.

QVas nuper ad doctiſſimum Puppinchium tuum, imo noſtrum, literas dediſti, eas mihi legendas obtulit: quibus me & parentem, quos tibi ne de facie quidem, nedum etiam de nomine notos exiſtimabam, à te amari ſignificas: ſi quid (ais) ad curas noſtras id pertinet. Nunquid autem ornatiſſimo viro, & omni ſcientiarum genere cumulatiſſimo, Baudio inquam, & placere, & ab eo amari, plurimi à nobis fieri exiſtimas? quod ſi non faceres, darem operam ut faceres. Igitur quod ſponte cœpiſti, ut nos ſemper amare pergas, obnixe à te contendo. Scripſeram ad patrem ſuperioribus diebus, nec ſine honorifica tui mentione: reſcripſit

ille,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ille, & te pluribus verbis ſuo nomine ſalutatum jubet. Cum autem de ejus valetudine me admodum ſolicitum & inquietum intellexiſſet, non tulit ut diutius hac animi anxietate angerer. Quin, ut, animum ſimul cum corpore non ita ſeneſcere, imo quandoque juveneſcere; nec ſolùm rebus ſeriis intentum, verum & levioribus etiam in illa qua eſt ætate interdum recreari, atque oblectari, cognoſcerem: Iambos ad me miſit, quos noviſſime in Catellum, & in Roſam luſit: minus fortaſſe (ut ait) odoram, quod hyberno tempore nata ſit. Tuum autem de illis eſto judicium, quorum tibi copiam facere mihi viſum eſt. Pecuniam fratri nondum numeratam eſſe doleo, qua illum jam pridem valde indigere ſcio. Tu itaque de ea re ad tuos quamprimum reſcribas velim, eumque de meliore nota commendes: Aut ſi quis tibi in manibus promptior trapezita fuerit, qui nec ſolutionem differat, nec procraſtinet, qua breviori via fieri poterit, utaris quæſo. Gratius autem nil quidquam, nec jucundius mihi, facere potes. Vale. prid. Non. Ianuar. cIↄ Iↄ xcIII.

EPISTOLA LI.

Doctiſſimo viro Dominico Baudio, in ſuprema Turonenſi Curia Patrono, Nic. Audebertus S. D.

Turonos.

ACceptis nuper literis tuis, quamprimum ad ornatiſſimum virum Carolum Regis amanuenſem ſcripſi, ut depoſitam apud ſe pecuniam, cujus ſolutionem ipſe diſtuleras, jam tibi roganti reſignaret. Quam quidem etſi tibi ab eo hodie numeratam eſſe non dubito: tamen cum nihil dum de ea re intellexerim, ſecundas ejuſdem argumenti ad eum litteras nudiustertius dedi; ad vos nimis properante tabellario: nec alias commiſiſſem, ut ſine iſtis ad te diſceſſiſſet. Si quid autem amplius à me expectes, certior à te fieri cupio. Ego vero quod fratris cauſa iterum atque iterum ad tuos in Belgicam provinciam ſcripſeris, ut eum tandem accipientem faceres; hanc ſane tuam diligentiam ſic amo atque amplector, ut plurimum eo nomine me tibi debere ſentiam. Si quid ergo tua cauſa poſſe me cognoveris, hoc unum facias ut intelligam: me autem ſic ſemper in promptu habebis, ut noſtra tibi opera atque induſtria nunquam defutura ſit. Cæterum quod honeſtiſſimis verbis laudem

omnem

omnem reſpuis, & procul abs te ſic abjicis, ut quæ tua ſunt nedum agnoſcas, verum in alios ultro convertere velis; ſummam plane in eo vix dicam ingenuitatem, imo nimiam ac prope incredibilem modeſtiam perſpicio. Cum igitur ex te ipſa, id eſt, ex rei veritate, minime autem ex noſtra liberalitate iſta procedant; non (quod vis) ſicut Echo, noſtra verba remittere tibi datum eſt: ſed potius veluti pila quæ lenta manu emiſſa, & porrecta eſt, extenſis nervis excepta, quo validiore brachio funditur, eo majore impetu ſponte in eum retorquetur à quo impulſa eſt; ſic eam quam in nos retorques laudem, velis, nolis, eo longe ampliorem excipis, quo longius à te repulſa eſt. Hæc autem nec me auribus tuis dare ſatis intelligent, quibus prope notus fuerit Baudius: de quo, lecta ſola nec quid adhuc amplius terſiſſima ſimul & elegantiſſima tua ad me epiſtola, tale judicium apud ſe pater conſtituit; & te litterario nomine à ſe plurimum ſalvere juſſit. Intra duos aut tres menſes noſtri copiam iſthic me tibi facturum ſpero. Interim bene vale, vir doctiſſime, & me tui amantiſſimum redamare perge. Datum Vindocino IV. *April.* CIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA LII.

Clariſſ. & Doctiſſ. Viro, Dom. Baudio, IC.,
Balduinus Berlicomius S. P.

Lugd. Batav.

AMpliſſime & Doctiſſime Domine, intellexi te Leidam conceſſiſſe, rogatu atque ſuaſu magnorum virorum: quo certe fui lætatus, exiſtimans, hoc modo viam patefactam tibi & nobis, ut te hiſce locis retinere, & videre poſſimus functione & munere ſtudiis tuis ac conditione digno cohoneſtatum. Dolui tamen tuam à nobis, qui hic agimus, disjunctionem, pro meo in te amore & obſervantia, & inita tam feliciter amicitia: cujus fructum ex tua conſuetudine non exiguum ſperabam. Ego oblata hac occaſione reditus D. BlyenburgI obmittere non potui, quin te quanto poſſum affectu ſalutarem: rogaremque una, ut quam operam in meis libellis ſumere tibi libuit, eam ad finem velis perducere, &, ut dicere te memini, telam hanc pertexere. idque ſumma libertate & παῤῥησία; monendo, cenſendo, corrigendo. quæ quo major erit, hoc beneficium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

in me tuum magis ſolidum mihi, atque gratum. Velim occaſionem præberi, ut quando abſolviſſes, tecum ea de re agere mihi liceat: aut ſi hoc integrum non erit, quia D. Blyenburgius ad te profecturum ſe mihi indicavit, ut cum eo quantum res feret cenſura tua & correctio communicari, mihique reddi queat. Vale ornatiſſime Domine, vir amiciſſime, meque tibi devinctum pro tuo habeto: & redama tamen tui obſervantiſſimum. Raptim Hagæ-Com. VI *Febr.* cIↃ IↃC III.

Carmen tuum nuptiale D. Mylio ejuſque jam conjugi ſcriptum avidiſſime legi, & meritiſſimo probavi; & majore indies deſiderio afficior videndi tua Iambica.

EPISTOLA LIII.

Ad Clariſſimum Virum Dominicum Baudium.

DEbeo jamdudum, carmen tibi debeo, Baudi,
Sed non ſolvendo ſors mea tota tibi eſt.
Non domus, aut fundus, non quæ mea cumque ſupellex,
Non animæ & vitæ ſpiritus iſte meæ.
Sors mea Calliope, cælebs ſine dote puella,
Cirrha meus fundus, lar meus eſt Helicon.
Plectra, lyræ, & numeri, brevis & mea læta ſupellex,
Spiritus eſt Clarii numen & aura Dei.
Illud at ô numen, vatum Deus ille & Apollo
Scaliger, Aonias qui regit unus aquas;
Ille (quis hoc credat?) longe intabeſcere morbo
Dicitur, & ſenii mole gravante mori.
Et mirare tuum, Baudi, obmuteſcere Vriendum,
Illa Camœnarum ſi modo lingua ſilet?

Aut (quod vereor) Douzæ & Lipsi comes brevi ſilebit. ita tria lumina literarum, brevi intervallo, Belgica, imo Europa amittet. dolendam heu vicem! ſed quod mutari non poteſt, culpari non debet: neceſſitas fati regnum tenet. Nos providentiæ cœleſti acquieſcamus: quicquid fit, ratione conſtat certa, nobis obſcura, ſed illi liquida à quo proficiſci nil niſi bonum poteſt. Hac fiducia in triſti hoc caſu erigamur, & in vicem nos amore & officiis mutuis proſequamur. ego te, mi ſuaviſſime Baudi, cum populari Heinſio meo æternum. de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

de cætero, ad illum latius, quod tu, ſat ſcio, videbis. Gandavi x. *Novembr.* cIↃ IↃc VIII.

Nominis & dignitatis tuæ obſervantiſſimus

Maximilianus Vrientius.

EPISTOLA LIV.

Cl. Viro Dominico Baudio, Amico unice caro, Maximil. Vrientius S. D.

SI Baudi jucunde vales, ſi res tibi lætæ,
Lætor, & in lætis te precor eſſe diu;
Nos vero ut quimus, quando ut libet haud licet, ægre
Vivimus, infeſta ſcilicet in podagra.
Illa meas acri conſumit ab igne medullas,
Illa meos artus vincit inerte gelu.
Dicere difficile eſt, Rhodope glacialis, an Ætna
Corpore in hoc regnum vi potiore gerant,
An poſitis odiis in me nova fœdera ſervent,
Vnus ego ut gemina ſemper ab hoſte necer.
Talia fors ſontes exercent Tartara Manes:
Quid mihi cum pœnis, Styx inamæna, tuis?
Non ego Phlegræis tumui bellator in armis,
Non ego cœleſtem ſurripui faculam.
Non ego tentavi thalamum Iunonis adulter,
Non ego vulgavi ſacra ſilenda Deûm.
Non ea, mi teſtes Phœbus pater, & pia Muſæ
Numina, ſunt vitæ probra pudenda meæ.
Ingenuas artes, turpi ſine ſorde, profeſſo
Cura mihi docti nominis una fuit.
Convictus facilis, faciles in amore ſodales,
Et citharæ, & calices, & ſine dente ſales,
Et ſine labe Venus, ſine labe modeſta voluptas.
Hæc modulus vitæ ſola fuêre meæ.
His ego vel regum potui contemnere faſtus,
His ego vel magno non minor eſſe Iove.
Vna meis tot facta bonis inimica podagra,
Hei fatum & vatum carnificina gravis!
At tu, docte, cave, ne, qua me compede ſtringunt,
Te quoque corripiant trulla, frequenſque Venus.

 Vides,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Vides, mi Baudi, quod in mediis doloribus meis non cantem ut Muſas tuas excantem, & pro æreis meis aurea tua eliciam Muſarum dona, pacta jamdiu mihi, ſed non optima fide hactenus dilata. feceris aliquando quod potes, imo quod voles: ſi modo te debere memineris; debes autem quia voluiſti. voluntatem in effectum ut producas cura. Ita vale, & à Vrientio tuo ſalve. Gandavi XI. *Febr.* cIↃ.IↃC XI.

Centuriæ Quartæ

FINIS.

DOM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOM. BAVDI

ORATIONES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Nobiliſſimis Viris,

IANO DOVSÆ & CORNELIO NEOSTADIO,

Academiæ Lugdunenſis Curatoribus,

D. Baudius S. D.

AMPLISSIMI VIRI,

SI hoc exile munuſculum vobis in ſoluti cauſam imputarem, jure poſſem argui tanquam precioſius nugarum æſtimator, & parum obſervans veſtræ dignitatis. Verum enim vero tantum abeſt ut nexu liberari poſtulem tantilla præſtatione, ut potius, ipſa pignoris tenuitate, apud omnes profiteri cupiam, quantis nominibus beneficæ voluntati veſtræ ſim obſtrictus, & quam non ſim ſolvendo, ſi ſummo jure mecum experiamini. Sed ad æquitatem veſtram provoco. cui ſi cauſam probavero, non magnopere laboro quam in partem cæteri factum meum interpretentur. Vix ipſe quidem me judice abſolverer à nota vaniſſimæ cujuſdam ambitionis, quod iſta levia & ludicra publicaverim ſub auſpicio veſtri nominis, niſi author audendi extitiſſet primarius ſeculi vir Ioſephus Scaliger. qui & recitationi intereſſe dignatus eſt, & ne operam perdidiſſe videretur, aut ut benignè pudori noſtro ſubveniret, laudes adjunxit. quas equidem in me nullas agnoſco, ſed reverenter amplector, tanquam profectas ab eo qui totus ex omni laudum cumulo compoſitus eſt. Laudo vobis authorem meum, non ſolum idoneum, ſed etiam omni exceptione majorem. cui licet aſſentiri non auſim dum conſcientiam meam interrogo, tamen ex animi ſententia voveo, & auguror fore ut in rem meam pariter cum tali viro vel erretis, vel judicetis. Datum Lugduni in Academia veſtra, Kalend. Auguſti, ANNO CIↃ IↃC III.

DOMI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOMINICI BAUDI
ORATIO
AVSPICALIS
in C. Plinii Panegyricum

Publicis lectionibus præmiſſa

ANNO CIↃ IↃC III.

QVi ex hoc loco primum verba faciunt, ſolent in auſpicio orationis quædam præfari, unde ſibi benevolentiam & audientiam concilient: idque dum ſe directo limite aſſequi poſſe diffidunt, interdum fræna laxant ingenio, & liberius exſpatiantur à ſcopo ſuſceptæ profeſſionis; ita tamen ut tum maxime rectum iter inſiſtant, cum à via digredi videntur. Dicunt enim ea quæ conſentanea ſunt cum officio probitatis ac modeſtiæ, cum ratione loci ac temporis, cum fructu & delectatione auditorum. Quod quidem inſtitutum etſi vehementer approbo, tamen dignius hoc ampliſſimo conſeſſu conſpectuque veſtro fore arbitror, ſi ſecutus fuero diſciplinam, & authoritatem Areopagitarum: apud quos olim lege ſancitum erat *μηδὲν ἐξεῖναι λέγειν ἔξω τοῦ πράγματος*, ne quid fas eſſet dicere quod ad rem & propoſitum non attineret. In hanc ſententiam eo propenſius adducor, quod quacunque animo & cogitatione convertor, tanta dicendi ſeges & materia ſubnaſcitur, ut vix meditando explicare poſſim, quid primum, quid poſterius, quid denique diſſerendum eſſe videatur. Novam itaque patior ex ingenti copia penuriam ac difficultatem, adfertque nobis multiplex turba dubiam & ancipitem curam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

diligendi. Suſcepimus enim ex clariſſimorum Curatorum & Senatus Academici ſententia exponendam ſtudioſæ Iuventuti Panegyricam Orationem à diſertiſſimo feliciſſimi ſeculi Oratore dictam laudatiſſimo Cæſarum Trajano : in qua ſub ſpecie gratiarum agendarum commemorantur omnes laudes atque virtutes quæ cadere poſſunt in ſummum principem,

ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Hoc genus argumenti cum à compluribus tentatum, tum magno cum ſucceſſu à Xenophonte pertractatum eſſe non diffitemur in Inſtitutione Cyri Perſarum Regis : quos libros (ut author eſt Cicero in epiſtola verè principe ad Quinctum fratrem) magnus ille Scipio Africanus nunquam de manibus ponere ſolebat. Sed quanto præſtabilior eſt veritas fictione, vivens & ſpirans imago rebus fucatis atque adumbratis, tanto Plinii noſtri monumentum antiſtat Græco ſcriptori, qui vitam & actiones Cyri ſui non ad hiſtoricam fidem exegit, ſed ad effigiem juſti, & omnibus numeris abſoluti Imperatoris : qui cum ad ejus votum & ſubtile judicium nuſpiam in cœtibus humanis exſtaret, mente & cogitatione imaginatus eſt, quem poſteris oratione delineavit. Noſter autem etſi gratiæ nonnihil largitur, ac ſtyli ubertate licentius interdum luxuriat in tam patenti campo, tam plauſibili argumento : tamen à fide & veritate non diſcedit, ut verè dicturus eſſe videar, neminem hodie exſtare hiſtoricum, qui tanti Principis res geſtas fidelius & curatius poſteritati conſecraverit, ſaltem ad tertium uſque Trajani conſulatum, quo tempore, ut ex probabilibus conjecturis colligitur, hæc Oratio recitata fuit. Atque utinam eadem curioſa felicitate pertexuiſſet univerſam illius Herois hiſtoriam ; haberet ſane poſteritas unde ſolari poſſet jacturam tot auctorum, qui in eam curam incubuerunt. De quibus neutram in partem pronuntiare liquet, quia vel ſæculi fato, vel hominum vitio nihil ex iis præter deſiderium ad noſtram ætatem permanavit. Cui damno ac diſpendio forte cauſam præbuit inofficioſa ſedulitas iſtorum, qui malo publico literarum, redegerunt in compendia legitimos rerum maximarum ſcriptores, ut alienam negligentiam

dili-

diligentia ſua exædificarent. Sed penes quoſcunque tandem culpa ſit, ad nos certe mali labes, & injuriæ pœna redundavit. Quanquam autem merito tantum detrimentum ad publicas calamitates referri poteſt, tamen cum triſtes querimoniæ nihil proficiant, optimum factu videtur ut ſaltem utamur paratis. Ne de cæteris loquar, in hoc unico Plinii Panegyrico plura deprehendemus, quam quæ vel excellentiſſimi Principes imitatione conſequi potuerunt. Ac licet hoc ſcriptionis genus potiſſimum inſervire videatur uſibus eorum, qui ſedent ad gubernacula regnorum aut rerum publicarum: tamen non deeſt hic mediæ ſortis hominibus, quod uſu ſuum feciſſe magna cum laude lætari poſſint. Non enim contentus eſt noſter Plinius ire per ſumma faſtigia publicorum operum, quæ plerumque ad famam & oſtentationem diriguntur: verum etiam deſcendit ad domeſticos mores, ad interiorem diſciplinam, & quotidianæ vitæ conſuetudinem, quæ quale cujuſque ingenium ſit maxime declarant. Neque enim clarorum virorum gloria fructu tantum amplitudinis, & honorum ſplendore metienda eſt, ſed multo magis æquabili & uniformi morum tenore, qui clarius elucet in receſſu familiari, intra privatos Lares, & Veſtæ penetralia, quam in luce gentium, in oculis hominum, in celebritate provinciarum. Hic enim reges ac terrarum domini populo & ſcenæ famulantur, atque, ut eleganter ait Petronius, cum univerſo orbe exercent hiſtrioniam. Vbi vero ſecreti licentiam nacti ſunt, ſuis moribus vivunt, ſuo ingenio utuntur, ac perſonam deponunt; veluti Lamiæ ſolent exemptiles oculos recondere, poſtquam domum reverterunt. Quapropter ſi recta æſtimatione viros illuſtres arbitrari velimus, ſeponenda eſt illa fortunæ pompa, quæ judicio præ nimia luce caliginem offundit. Intus & apud ſe conſiderandi ſunt, velo, ut ajunt, levato, cum locus aut tempus non patitur ut ſe componant ad ſimulandum. Nihil æque virtutis dignitatem adulterat, quam ambitio, & pruritus ille gloriæ; quem tamen affectum, ſeu potius morbum, ægre adduci poſſunt ut ejurent, etiam qui ſapientiæ ſtudium profitentur. Nullum autem evidentius ſignum eſt, unde perſpici poſſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

utrum actiones enaſcantur è ſolido mentis penetrali, an ab inani affectatione, quam ſi publice privatimque, domi foriſque eadem vivendi diſciplina ſervetur. Porro minime vituperanda fuit Plinii noſtri munificentia, ſi pluſculum etiam quam concedit veritas indulſit, & faſces Conſulares comiter ſubmiſit magno huic Dictatori, cujus ditione ac dominatu prope tota tellus habitabilis tenebatur. Nunquam enim Imperii Romani limites latius propagati ſunt, quam imperante Trajano. Fidei & veritati inprimis litandum cenſeo, ſed in magnis exemplis interdum laudabilis & honeſta hallucinatio eſt, ſi leges hiſtoriæ paullum negligantur. Cum publica utilitas, & populi ſalus, ſuprema lex ſit, ita ſtatuendum eſt ſalvis auſpiciis ea geri, quæ pro reipubl. commodo geruntur: dum tamen hæc præſcriptio, & hæc aurea mediocritas teneatur, ne quid contra Iuſtitiæ numen, & rectam conſcientiam fiat. Etenim ſi nobiles equi plauſum cervicis amant, & blandis magiſtrorum vocibus mirifice lætari ſolent, quidni fas ſit molli quodam palpo tractare Regum & Imperatorum ingenia, quorum poteſtas in terris proxime ad Dei immortalis numen & majeſtatem accedit? Quemadmodum degener & ſervile probrum adulationis erga malos & inteſtabiles, ſi à volentibus ſuſcipitur, minime ferendam pravitatem arguit; ſi ab invitis per metum exprimitur, aut veniam, aut miſerationem meretur: ita juſta reprehenſione caret, imo laude non caret orationis comitas, quæ bonis & moderatis principibus paulo cumulatiore menſura laudes ſuas admetitur. Nam hæc bono more, bono fine concepta benignitas generoſis mentibus honeſtum ardorem addit, ut quales fama & ſermonibus prædicantur, tales re & factis appareant. tum autem ſecuturi principes ſub exemplo (quod eſt efficaciſſimum docendi genus) admonentur, quales eſſe debeant. Hæc vero utilitas tanta eſt, ut vix ulla uberior dici aut excogitari poſſit. Nam ſi præclarum & ſalutare munus adminiſtrat, qui privatis hominibus normam præſcribit, quo pacto vitam inſtituere oporteat: quanto magnificentius de genere humano meretur, qui rerum humanarum moderatoribus & arbitris velut è ſpecula ſignum extollit,

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quo duce ad immortalem gloriam niti, & ad ſolidam conſcientiæ voluptatem aſpirare poſſint? Socrates, vir admirandus in quantum ipſa virtus intelligi poteſt, omne laudis & voti punctum ſeſe tuliſſe arbitrabatur, ſi quacunque ſuada vel arte conſecutus eſſet, ut homines ad virtutem capeſſendam excitarentur: idem longe meliori jure dici poteſt, ſi quis amore honeſtatis, & odio turpitudinis inflammet eos, quorum nutu & exemplo mentes ac mores civitatum gubernantur. Principes dico, quorum ſive labes ſive laudes à reipubl. vel ſalute, vel everſione ſejungi non poſſunt, qui qualemcunque famam meruerint, magnam oppido ſunt habituri. Quocirca rem eximiæ laudis & artis aggreditur, quicumque tales per hunc vitæ circum ad candidam publici boni metam inoffenſo curſu perducere conatur: ſed aberrabit à portu niſi velificationem obliquet. Flexu, inquam, opus eſt, ut propoſitum finem aſſequatur. Nam populo quidem & ſubditis multa facilem & expeditam viam ad recta ſtudia commonſtrant. Primum à voluptatibus & deliciis procul habentur, quæ blanda quadam vi perſtringunt ingeniorum aciem, & induſtriæ nervos elidunt. Deinde conſiliis amicorum regi poſſunt, etiam liberis objurgationibus corripi, ſicubi eos officii capiat oblivio. Poſtremo, ſi licentius ruant, jura judiciaque in medio poſita ſunt, & leges quibus intra gyrum obedientiæ coërceantur. Principibus autem, quorum maxima ratio haberi debet, ea copia non ſuppetit. Diminutionem eam majeſtatis credunt, ſi legum poteſtati ſeſe ſubjiciant. Conſilium autem dare iis qui in excelſo ætatem agunt, prorſus eſt, ut vafer Flaccus monet, *periculoſæ plenum opus aleæ*: multo magis arrogans & oneroſum videtur, ſi quis hoc ſibi ſumat, ut eos præceptis inſtruat, & ad officii munus conformare velit. Non enim dignum regali faſtigio arbitrantur, ad præſcriptum cujuſquam hominis vitam moderari, quibus vitioſa libido ſua facit auſpicium, & voluntas pro omni ratione dominatur. Quod ſi qui ſunt paulo tractabiliori ingenio, tamen ne ii quidem æquo animo doctorem aut monitorem ferre poſſunt. Adeo agnatum eſt præpotentibus vitium, detractatio dedignatioque parendi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rendi. Quod recte atque ordine rempubl. gerunt, id omne ſapientiæ ac felicitati ſuæ acceptum ferri cupiunt, nec partem ejus gloriæ cum ullo mortalium communicare dignantur. Tamen ſi quiſquam indiget multis & magnis adjutoribus ad gubernandam fortunæ ſuæ molem, certe in eo cenſu principes potiſſimum cenſeri debent: nec ullum certius bonæ mentis ſpecimen edere poſſunt, quam ſi viros vita & fama probatos illuſtri gratia complectantur, opibus augeant, honore ac dignitatibus extollant. Atqui nullius rei penuria magis affligantur quam fidelium adminiſtrorum. Amicitia ſane, præcipuum humanæ ſocietatis bonum, & maxime neceſſaria vitæ ſupellex, in magnatum palatiis haud facile comparet. Nam propter auguſtam eorum dignitatem, & magis propter inſitam ſummis poteſtatibus ſuperbiam, paucis ad interiorem eorum notitiam aditus patet: quibus autem ea ſors vel fato, vel arte obtingit, hi potius Alexandri purpuram, quam ipſum venerantur: omniaque magis ad gratiam, aut commodi ſui rationem referunt, quam ad imperantis utilitatem. Cujus pravitatis culpa magnam partem hæret in ipſis Principibus, quorum mentes vel imperii licentia faſcinatæ, vel aſſiduis aſſentationibus occœcatæ vix cuiquam concedunt, ut, quæ velit, ſentire; quæ ſentiat, libere effari poſſit. Non eſt itaque mirum, ſi deeſt qui verum dicat iis, qui veram vocem audire dedignantur. Nec hoc fine ſtat malum. nam ſi replicemus annalium memorias, videbimus multis exitio conſtitiſſe libertatem bene ſuadendi: contra adulatio erga quemcunque principem, ut ſine affectu, ita fere ſine periculo tranſigitur. Interim hoc dulce venenum, hæc blanda peſtis, hoc crudele gaudium certam perniciem adfert maximis regibus, quorum opes ſæpius adulatorum pellaces blanditiæ, quam hoſtiles copiæ, ſubvertunt: nec quidquam imperatore miſerius eſt apud quem vera reticentur. Iulianus cætera vir egregius & laudabilis, niſi quod ob ſcelus deſertæ fidei Chriſtianæ fœdum Apoſtatæ nomen ad poſteros tranſmiſit, is cum à purpuratis aulæ mancipiis inſigni laude celebraretur, quod jus cuique ſuum æqualiter divideret, cordate admodum reſpondit: Enimvero, inquit,

exul-

exultarem his vocibus, ſi ab iis proficiſcerentur, quibus integrum eſſet actiones meas culpare ſicubi hallucinarem, & ab officii religione deflecterem. Ab hac mente eximius Arragonum Rex Alphonſus dicere ſolitus erat, nullos Principi conſiliarios utiliores eſſe quam mortuos. nimirum libros ſapientum innuebat, & mutos rerum magiſtros, qui immunes à favore, à frigore, ſine ſpe, ſine metu puram & incorruptam veritatem æquè pauperibus æquè locupletibus ediſſererent. Scite & facete Carneades ajebat, filios Regum nihil recte doceri extra unicam artem equitandi: quod in cæteris exercitationibus omnes ultro palmam illis deferunt: at ſuccuſſator equus, inſolens aulicarum artium, nullum diſcrimen ſtatuit inter Iros & Bellerophontas. Ita ſane eſt, ex illa ingenti turba hominum qui penetrant aulas & limina regum, vix unus aut alter eſt (& nimium dixi) qui fortiter Cæſarem amet, qui ex animo ipſi velit, ac non temporis cauſa diſſimulet. Plerique vultum è vultu comparant, & mores effingunt ad alienæ voluntatis conjecturam, tum, quod maxime pernicioſum & capitale eſt, nulli jactantius fidem oſtentant, quam qui opere deſeruntur. Longe enim ingenioſior eſt ad excogitandum aſſentatio quam ſincerus affectus, ſimulatio quam nuda ſimplicitas, ſervitus quam ingenua libertas. His incommodis non aliunde præſentior medicina ſperanda eſt, quam ab exquiſita inſtitutione, vel ab heroïca natura, qualem in Trajano fuiſſe apparet, & magis deinceps apparebit, ubi in rem præſentem veniemus, ac ſigillatim explicabimus, quæ hac præclara oratione continentur: in qua (ſicut ante diximus) titulo tenus gratiæ aguntur à Conſule Plinio ex decreto Senatus. ſed ſcopus & mens recitationis fuit ut Imperatori virtutes ſuæ veris laudibus commendarentur. Hoc idem propoſitum fuit Senecæ in eximiis libris de Clementia, quos Neroni ſeſe dicaſſe profitetur, ut, inquit, vice ſpeculi fungerer, & te tibi oſtenderem perventurum ad voluptatem maximam omnium. Vterque igitur, & Plinius noſter, & Seneca laudabili inſtituto, conſimili etiam artificio uſi ſunt ad conciliandum ſibi favorem apud ſuos, dum quiſque pro ſua parte conatus eſt exhibere ob oculos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

vivam virtutis effigiem, in qua velut in ſpeculo ſeſe poſſent agnoſcere, & bona ſua contemplari. Quæ quidem voluptas ſumma eſt apud animum recte ſibi conſcium. Quanquam enim gloria ſequi, non ambiri debet; & ipſa virtus ſatis amplum ſibi theatrum eſt, nec ullam extra ſe mercedem quærit: tamen laus grato & libenti animo amplectenda eſt, cum ultro ſe fruendam præbet: nec à benigno cenſore culpari poteſt dictum Hectoris apud veterem Poëtam:

Lætus ſum laudari abs te pater laudato viro.

Cyrus apud Xenophontem memorat, eoſdem labores non æque graves & moleſtos accidere Imperatori ac militibus. ἐπικουφίζει γὰρ ἡ τιμὴ τοὺς πόνους, mitigat honor & edulcat labores. Ideo etiam exiſtimaverim, non ſine numine vitam, & actiones principum in conſpicuo, & illuſtri loco ſitas eſſe, ut ſi eos honeſtatis pulchritudo ad recte faciendum non alliceret, infamiæ pudor, & honoris, ut ſic dixerim, ſufflamen à maleficio retardaret. Nemo, niſi qui à naturali lege deſcivit, & omnem verecundiam penitus exuit, tam aperte ſimpliciterque malus eſt, quin latebras flagitio quærat: id proclive eſt iis quos fortunæ humilitas

& fama obſcura recondit.

at magnatum vitia non magis latere poſſunt, quam notabilis verruca ſeu nævus in facie. quocirca glorioſa ſervitus, & honorifica neceſſitas illis incumbit, ut tanto diligentius vivendum habeant, ſi non ob reverentiam bonæ conſcientiæ, ſaltem ob curam colligendæ exiſtimationis, & promerendæ poſteritatis. Cæterum longe diſpar eventus in Nerone, longe diſpar in Trajano fuit. Nam Trajanus ad extremum in ſuſcepto veræ gloriæ curriculo conſtanter perſeveravit. Nero omnibus flagitiis ſacrum caput devinxit, & ſuper matricidium, doctoris atque educatoris ſui cæde ſeſe contaminavit, ut nomen ipſum Neronis, non amplius hominis, ſed monſtri, ſed piaculi titulus eſſe videatur. Cujus tantæ commutationis ac diverſitatis hanc intimam cauſam fuiſſe opinor, quod in Trajano naturalis quædam ingenii bonitas & inaffectata virtutis indoles vigebat, quam penitus inſitam, & altiſſimis defixam radicibus, nulla vis de ſtatu movere, nulla honoris aura labe-

labefactare valuit. in Nerone contra fucus, & ſimulatio reſidebat, vel certe ſemina illa virtutum erant veluti ſparſa ſummo, nec ſatis ſubacto mentis ſolo, ut ad ſolidam frugem, & juſtam maturitatem effloreſcere non potuerint. Niſi forſitan hæc imperii conditio & natura eſt, ut etiam rectiſſimas mentes à virtute detorqueat: quandoquidem plurimi cum egregiam ſui ſpem & magnificam exſpectationem concitaſſent, tamen vi dominationis, & fortunæ indulgentia corrupti ſunt. nec ſoli Galbæ competit elogium Cornelianum, ut imperio digni videantur, niſi imperaſſent. Videlicet arduum & immenſum opus eſt, ſui modum tenere, & eluctari ad verum decus, per tot bonæ mentis impedimenta, quæ principibus viris objiciuntur. Felicitas enim, & obſequia faventis Fortunæ totum hominem acrius excutiunt, quam adverſa caſuum. nam contra miſerias & ærumnas, quæ gladiatoria impreſſione nos invadunt, tanquam adverſus legitimum hoſtem, comparat ſe animus ad reſiſtendum: ſecundæ res autem præ ſe ferunt gratioſum & amabilem vultum, ac ſpecie juvandi per cuniculos oppugnant, & è præſidio dejiciunt auguſtam illam rationem, quæ dux atque imperatrix vitæ mortalium eſſe gloriatur. Maximus prudentiæ magiſter, & ſincerus humanarum actionum arbiter Tacitus, non ſine gravi cauſa demiratur, cur cum Tiberius judicio abundaret ſi quiſquam homo, cum eſſet inſtructus optimis artibus ac diſciplinis, nec ignoraret quæ fama clementiam ſequeretur, tamen animum ad omne crudelitatis genus applicarit. Proponit hunc nodum ſagaciſſimis ſcriptor, nec ſolvit. Certe monſtri inſtar videtur: præſertim cum ratio & exempla doceant, juſtitiam, probitatem, clementiam aliaſque virtutes non tantum ornamenta regiæ majeſtatis eſſe: verum etiam imperii tutelam in iis conſiſtere, robur & fundamentum ſtabilitatis; nec diurnare poteſt ulla vis aut poteſtas, niſi eam recta mens, recta ratio temperet atque moderetur. Poſſem ad teſtimonium citare tragicos exitus multorum tyrannorum, quos à publicis cervicibus immania facta ſua depulerunt: ſed vix ullum ſplendidius exemplum ab omni vetuſtatis memoria produci poteſt, quam horum duorum quos
modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

modo nominavi, Neronis atque Tiberii. Nero cum eſſet à Senatu hoſtis judicatus, miſſi ſunt qui hominem inveſtigarent, ut more majorum plecteretur: interrogavit quodnam id eſſet genus pœnæ; cumque comperiſſet, nudi hominis cervicem inſeri furcæ, corpus ad necem uſque virgis cædi, conterritus atrocitate ſupplicii, quæſivit, nec reperire potuit cujus manu interficeretur: itaque in has voces deſperabundus erupit: Ergo ego nec amicum habeo, nec inimicum. Quid Tiberius? ſatin parum viſus eſt malorum ſummam profiteri, cum epiſtolam ad Senatum miſit, cujus hoc erat ferale principium. Quid ſcribam vobis P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore? Dii me deæque pejus perdant quam cottidie perire ſentio, ſi ſcio. Hi vere ſunt cruciatus animorum, hic ille domeſticus exercitor, & internus carnifex, qui ſurdo verbere, qui diris angoribus conſcientiam exagitat, qui minutis ictibus ita cædit, ut ſe mori ſentiant. Hæ ſunt faces furiarum, quibuſcum nullæ fidiculæ, nulli unci aut equulei comparari poſſunt. Tamen cum intuemur in potentatus, & imperia quibus foris nitent, vix ratio impetrare poteſt ab humana vanitate, quin illos ad invidiam felices, ac fortunatos judicemus. Quod ſi, ut mendici vulnera ſua detegunt ad eliciendam plebeculæ miſericordiam, ita Megiſtanes & Satrapæ palam oculis hominum exponerent curas atque ſollicitudines, quibus ſine miſſione inquietantur, non poſſemus abunde miſerari, quos tantopere mirari non abſiſtimus. Sed quo deteſtatior eſt & vita & memoria iſtorum Pelopidarum; hoc acceptior, imo venerabilior eſſe debet virtus ac moderatio laudatorum Principum, inter quos noſter Trajanus, ut ethnicus homo, conſentiente gentium fama, principem locum ſibi vendicat. De cujus præſtantiſſimis in omni genere virtutibus quoniam ſæpe dabitur dicendi locus, nihil in præſentia dicam amplius, ſed ad vos orationem convertam, Viri illuſtres, qui extra ordinem hæc noſtra initia veſtro auſpicatiſſimo conſpectu rite ſecundare dignati eſtis. Mos haudquaquam reprehendendus admonebat, ut vocis ſuffragio teſtarer, quo honore, qua obſervantia virtutes veſtras colam: eo etiam nec clementer

menter rapiebat & officii ratio, & ingenuus animi ardor: ſed huic meæ voluntati partim pudor & modeſtia veſtra intercedit, partim imbecillitatis meæ conſcientia. Tantum enim abeſt ut quidquam adſtruere poſſim veſtris laudibus, ut potius multum de cumulo dempturus ſim, ſi eas partes attentavero. Simul etiam veritus ſum, ne gratiæ condonare viderer, quod liquidæ veritati tribueretur. Tutius igitur & religioſius fuerit, ſi honore ſilentii ſupprimam, quod voce & ſtylo reſignare non audeo, ad exemplum ingenioſi pictoris, qui velo inumbravit, quod penicillo exprimi poſſe deſperabat. Quod tamen & ſine offenſa pudoris veſtri facere licet, & ſine ingrati animi nota omitti non decet, humanitati veſtræ gratias habeo quam poſſum maximas, quod ſeria veſtra ludo noſtro poſthabere non horrueritis. omni ſtudio ac diligentia enitar, ne homini parum grato ac memori hic honos habitus eſſe videatur. vobis autem lectiſſimi Iuvenes, qui frequentes huc conveniſtis, eum me publice privatimque probabo, ut nullo tempore veſtris honeſtiſſimis ſtudiis & præclaris conatibus labor & induſtria noſtra defuiſſe comperiatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOM. BAVDI

ORATIO

Sub Perſona Illuſtriſſimorum

BELGII ORDINVM

Ad potentiſſimum Britanniarum Regem IACOBVM I, *Fidei defenſorem, de non ineundo fœdere cum Hiſpano.*

cIↄ Iↄc III.

ETſi Deo freti nunquam dubitandum exiſtimavimus, Auguſte Rex, quin ſuo tempore Majeſtati tuæ proclivis aditus pateret ad illud ſublime faſtigium, cui te naſcendi ſors & neceſſitudo ſanguinis, æterna regni lex, ſuprema populi ſalus, favor bonorum omnium, & heroicæ virtutes tuæ deſtinaverunt: tamen majus eſt omni gratulatione miraculum cœleſtis providentiæ, quæ divinam hanc mentem inſpiravit ingenti Elizabethæ, ut excedens è terris oraculo noviſſimæ vocis te ſibi ſucceſſorem pronunciaret. Cum enim omnium ſeculorum illuſtriſſima Heroïna nihil populo ſuo majus ac melius legare poſſet, quam idoneum curarum imperiique hæredem, non ſine occulta fatorum poteſtate reſervatum eſt ultimo actui maximum opus, ne quid deinceps humanum poſt immortale beneficium interveniret. Quis etiam niſi Numinis ac religionis contemptor cœlo non imputet tantam illam omnium generum atque ordinum conſenſionem, qua ſuffragante felicibus auſpiciis ad imperium perveniſti? Quanquam enim juſtitia rerum humanarum divinarumque regina ſtabat à partibus tuis, teque velut ſacra via ducebat in Capitolium, & arcem ipſam regiæ, ut ruina non eſſet opus: tamen lugubribus priorum temporum exemplis conterriti, ut eſt ingenium ſollicitudinis, non minus augurabamur animo, quantum tali tempore factioſis conatibus improbæ

probæ cupiditatis liceat, quam quod naturæ & meritis elargiri conveniret. Nunc optime & ex voto communi litem hanc decidit æternus ille arbiter, qui ſupra nos negotium curat, cui proinde gratias immortales & habemus & agimus, eumque ex intimis ſenſibus precamur, ut inoffenſo tenore felicitatis omnia porro conſilia, dicta, facta tua, rite moderari ac ſecundare dignetur. Verum huic immenſo honori magnum onus oppido, magna moles ac negotiorum vis incumbet, præſertim ſub initio principatus, in quo cum explere omnium deſideria nec poſſis, nec velle debeas, ea tamen ſervanda eſt in delectu commoditas, & morum comitas, ne quiſquam bonus à vultu & ſermone principis triſtior receſſiſſe queratur. Arduum ſane opus & unice dignum tua excelſa indole, quam mediocres curæ nec decent, nec tangunt. Non eſt noſtri muneris, aut pudoris, conſilium dare tanto Regi, cujus eximias animi doctrinæque dotes religioſe veneramur; omnem hanc curam providæ menti tuæ relinquemus, eorumque fidei ac religioni, quibus dignitas ac ſpectata virtus tribuit, ut in partem laborum tuorum advocari mereantur. Cæterum quoniam præſagit nobis animus, non defore, qui vel inſincero affectu, vel ſpecioſo obtentu Majeſtatem tuam inclinare conabuntur ad fœdus ineundum cum Hiſpanis, publica fides & officium legationis has nobis partes imponit, ut breviter meditationi tuæ ſubjiciamus ſumma rerum capita, quæ veriſimili conjectura putamus in hanc ſententiam adferri poſſe. Si apud ignarum ſtatus & rerum noſtrarum verba faceremus, jam inde à primordio conſtabiliendum eſſet totius cauſæ fundamentum, & altius repetenda origo belli contra Regem Hiſpaniarum ſuſcepti: ſed nemo erit (quomodo nobis perſuademus) qui tam intemperanter abuti auſit patientia tuarum aurium, ut in dubium vocet æquitatem armorum, quæ ſub auſpicio legitimi magiſtratus pro ſalute patriæ, pro ſtatu libertatis, pro tutela vitæ, pro redimendo ſanguine ſumpſimus, contra violentiam impotentiſſimi dominatus. Nam (ut religionis negotium in præſentia ſeponamus) quænam juſtior belligerandi cauſa exiſtere poteſt, apud homines indole & ſorte liberos, quam pro capite dimicare,

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quam injuſtæ ſervitutis depulſio, quæ generoſis pectoribus omni morte gravior eſſe debet? Nec tamen ad iſta extrema neceſſariæ defenſionis ſubſidia confugimus, niſi poſtquam omnibus fruſtra conſumptis remediis, malo defatigata patientia, nullum aliud incolumitatis aſylum invenit, quam ut vim vi, vel potius intolerabilem ſævitiam adverſa virtute propulſaret. At vero ſubditis obſequii gloria ſufficit, nec illis ultra quidquam conceditur, quam ut votis optare poſſint bonos principes: tolerare autem oportet, qualeſcunque contingunt. Vltro aſſentimur, atque ideo privatis hominibus nihil præter obedientiæ ac tolerantiæ ſcutum relinquimus, abſit ut gladium furioſo demus, & rebellandi jus largiamur belluæ iſti multorum capitum; cui quælibet mortis conditio potius eligenda eſt, & præbendæ fortiter cervices, quam ut in legitimos rectores inſurgere moliatur. Hæc noſtra mens & ratio eſt! Nihil enim reip. pernicioſius arbitramur, quam temeritatem imperitæ multitudinis inſtrui ad contumaciam & dedignationem parendi; quibus vitiis ſatis ab ingenio imbuta eſt, ac ſæpe immodico cupidine libertatis, & odio adverſus imperantes licentius evagatur, quam ut vel lege, vel morte ſeſe coërceri patiatur. Verum ejuſmodi tabes non cadit in cauſam noſtram. Non enim ſponte, ſed ultimæ neceſſitatis impulſu, non privato conſilio, ſed autoritate publica, non contemptu majeſtatis, ſed deteſtatione tyrannidis, non inconſpecta temeritate, ſed ſacroſanctis legibus armati, ſub fortiſſimis heroibus ac propugnatoribus patriæ proceſſimus in Martium campum, ad obſiſtendum non Regi, ſed Duci, ſed Comiti, fiduciaria dignitate ac poteſtate prædito, qui pactis conventis ita circumſcribitur, ut ſi ab officii religione deſcendat, & promiſſi fidem fallat, nec ad ſanitatem ulla medela revocari queat. Ordinum ſit providere, ne quid detrimenti reſp. capiat. Hujus juris veritas pene totius mundi judicio ac teſtimonio comprobata, longiorem orationem non deſiderat: utique pro tribunali tuo, qui cauſæ noſtræ juſtitiam non ſimplici vocis approbatione, ſed inſigni laudi magnanimitatis cohoneſtare conſueviſti. Quoniam apud optimum Regem de longe diſſimilimo loquimur, majore

jore cum fiducia veram vocem effabimur. Quam multa, quam diu perpeſſi ſumus, quæ in libero ſtatu toleranda non erant! Quam ægre, quam ſero tandem telum decretorium ſtrinximus, ut verbo & ſtylo judicaretur hoſtis, qui re & factis jam pridem non ſolum hoſtilem animum, ſed immanem tyrannidem adverſus nos exercuerat! Quis enim ignorat quantas ſtrages Dux Albanus ediderit, illud infandum caput, illud funeſtum & importunum animal, ex omni ſcelerum colluvione concretum, qui Belgiam rapinis exhauſit, qui florem nobilitatis gladio carnificum crudeliſſime ſubjecit, qui cuncta ferro, flamma, terrore, luctu & innocentium ſanguine fœdavit? Quod ſi quis Regem Philippum hujus atrocitatis infamia purgare conatur, is aut inſigni malitia peccat, aut in aperto errore verſatur. Si non aliud, eventus ipſe tam frigidum ſchema ſatis confutat. nam pro Deum immortalem! quæ tandem animadverſio ſecuta eſt? quibus inferiis Rex juſtus & miſericors mortuorum injuriæ parentavit? nonne decuit talium noxarum caput noxæ dedi ac veluti piacularem victimam odio publico, divisque manibus immolari? Plane contra evenit, nec tantum impunitate donatus eſt, poſtquam è provincia deceſſit, ſed auctus præmiis & honoribus, quaſi re bene geſta, in flagranti gratia fuit ſcelus hominis, in quem ſi omnia pœnarum exempla ſtatuta fuiſſent, nemo foret tam levis ac remiſſus quæſitor, qui non graviora promeritum eſſe fateatur. Quin etiam idem iſte veteranus laniſta, cum jam capularis ætas tot emeritis ſtipendiis rudem efflagitaret, nec quicquam addi poſſe videretur ad ſummam flagitiorum, quibus ſe per omne tempus ætatis turpiter contaminaverat, tamen ne deſidia perderet conſuetudinem peſſima quæque facinora perpetrandi, nihil cauſatus eſt, quominus in extrema ſenectute mentem manumque manciparet ambitioni & injuſtitiæ Regis, in invadenda & ſubjuganda Luſitania. Succeſſerunt alii ejuſdem cohortis atque gentis, quorum improbitas quominus eruperit in tantam peſtem atque perniciem, partim oportuna morte ſubtracti ſunt, partim compertis fraudibus atque inſidiis oppreſſi, priuſquam interioris aulæ mandata & ſecretas cogitationes

exequi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

exequi poſſent. Quamvis autem artifices Philippi magis pellucebant, quam ut cordato cuipiam fucum facerent; tamen cum utiliſſimum ad ſpem compoſitionis eſſet, ſi non intelligerentur, diſſimulatione graves injurias, patientia ſæviſſimas acerbitates concoximus: & ut infenſum Principem omni teſtificatione devotionis atque obſervantiæ permulceremus, quoad per ejus mores licuit, cuncta publice ſub nomine regis adminiſtrabantur: donec lenibus fomentis morbum aſperari ſenſimus, cui mederi conabamur. Hac media & molli via nobis autoritatem demi, fiduciam hoſtibus creſcere, amicorum animos debilitari. Quocirca potentioribus remediis agendum viris fortibus, & miſeris unam ſperandam ſalutem, ſi palam levato velo in cauſam deſcenderetur. Tandem igitur, cogente ineluctabili telo neceſſitatis, ventum eſt ad ſacram anchoram, decreveruntque Ampliſſimi Ordines quibus ea poteſtas lege ac more majorum permiſſa eſt, Hiſpanum juſto pioque duello perſequendum, & populum Regio ſacramento ſolutum videri. Quod quidem fieri potuiſſe nemo privilegiorum noſtrorum conſultus negaverit, ſed potius omnes temporum gnari, ſerius quam oportuit factum eſſe aut mirabuntur aut reprehendent. Hoc velut noviſſimo jactu, cum omnis & ſpes & voluntas redeundi in gratiam præciſa eſſe videretur, tamen ſæpius quam ex uſu erat, pacificationis palpo tacti ſumus, non neſcii quidem inſidiarum, & quam fluxa vel nulla potius fides eſſet in Hiſpano. Sed tanti nobis emendum erat ultro decipi, ne quid inexpertum ſpe potiundæ pacis omiſiſſe argueremur, tum quia ſeſe huic negotiationi interponebant ſummates viri totius Chriſtianiſmi, quibus expediebat cauſæ noſtræ rationem vel probari, vel ſaltem conſtare. Nunc vero cum toties obhæſerimus ad haſce Sirenum cantilenas, quis facilitatem noſtram vecordis imprudentiæ non condemnet, ſi deinceps in eundem lapidem impingamus! itaque non injuria ſurdis auribus prætervehimur infames ſcopulos, & pejus omni Scylla vel Charybdi reformidamus blandam atque illecebroſam peſtem. Quorſum enim alia ſpectaverunt tot infelicia tentamenta reconciliationis, niſi ut inſidioſa
mentio

mentio pacis, tanquam hamus in turbam mitteretur ad homines ineſcandos, & retundendam animorum alacritatem? Quid aliud ſpecie & occaſione talium induciarum fieri vidimus, quam adverſarios temporibus inſidiari, moras nectere, nobis rerum proſpere gerendarum oportunitates interea perire, vulgus ab impetu propugnandæ libertatis ad ſpem falſam fallacemque traduci, primariam nobilitatem largitionibus ac promiſſis labefactari, per ſequeſtros pacis, vel potius emiſſarios Hiſpanicæ factionis, complures ſenſim à cauſa dilabi, munitas urbes vi aut inſidiis circumveniri, fideles rerum adminiſtros, quibus publica ſalus innititur, in odium & invidiam vocari, quod auream meſſem ex communibus miſeriis meterent, quod imperii dulcedine ſupra modum lætarentur, quod immortale bellum cuperent, nec ullam ſpem ponerent niſi in rerum omnium deſperatione, & quæ alia incentiva ſunt ad conturbandam plebem, ne ſingula perſequi neceſſe ſit? In univerſum vere dicturi videmur, nunquam hoſtem æque nobis fuiſſe metuendum, cum ſimpliciter & aperto Marte rem gereret, cum Palladis olivam manu prætenderet, magiſque ſpes & opes noſtras infortunio mactavit gannitus vulpis, quam fremor & rugitus leonis. Nec ſoli nos hiſce veteratoris artibus decepti ſumus, ſed eodem reti capta eſt prudentiſſima illa domina, cujus nunc ſecundiſſima inauguratione perſonam & Majeſtatem digne tueris. Quem enim fugit fortuna memorandi iſtius anni, quo Xerxes Iberus, ardens immani furore atque ambitione, claſſibus maria conſtravit, armorum horrore gentes concuſſit, cœlum ac terras minis territavit, totas denique regni vires copiaſque congeſſit, ut in hanc tuam hæreditatem, in hanc inquam regiam, cui nunc feliciter inſides, velut in vacuam poſſeſſionem, Marana lues effunderetur. Quis neſcit optimam fœminarum Eliſam pacificatoria legatione tantiſper delinitam fuiſſe, dum ſumma vi Pygmalion totus erat in apparatu belli longe omnium formidoloſiſſimi? bonus ille frater qui clementiæ ſuæ vitam ſororis aſſcribit, ſi hoc eſt vitam dare, non eripere per ſummum nefas: ſed quando à graſſatore majus beneficium poſtulari non debet. Sit ita ſane, quanquam intel-

intelligebat, ſi quæ patribus juxta & plebi ob familiæ dignitatem, ob innocentiam, ob admirandas virtutes, tanta favorabilior, quanto ſævioribus incommodis conflictabatur, ſi talis tam triſti incendio conflagraſſet, præſentiebat Philippus publicæ indignationis fulmen in ſe ruiturum: cui amoliendo par futurus non eſſet, niſi frigidam ſuffunderet. Ergo pelli ſuæ timebat vulpecula, cum de alterius corio liberalis eſſe videbatur. Sed ut ad tam ſuperbam claſſem revertamur, quid tam propius fuit, quam ut Britanni nec opinantes obruerentur, quam fatalis quidam torpor ac ſtupor ſic hominem ſenſus hebetaſſet, & (ſi dicere fas eſt) omnem ſapientiam ex animo expectoraſſet, ut ipſa denique periculi præſentia compelli potuerint, non tam ad procurandum monſtrum, quam ad ejurandam incredulitatem. nam quod ex tam ingenti diſcrimine ſervati fuimus, ea laus cœleſti potentiæ ac benignitati in ſolidum accepta ferri debet. Nihil ſine ſacrilegio mortalibus imputari poteſt. Deus ille exercituum, qui facit ventos Angelos ſuos ſpiritu oris minaces, iſtas copias difflavit. Fatum inquam, & publica felicitas horrendam cladem atque calamitatem averruncavit. Non fruſtra fortunam ejuſce diei religioſa recordatione conſecramus. Nam ſi juſta æſtimatione, ſi grato animo beneficium numinis interpretamur, omnes hoc munere ſalvi & ſuperſtites ſumus. Ipſe tu maxime Rex, quod vivis, quod regnas, id ex inſtinctu pietatis ad eandem ſummam referre non diſconvenit. Cui enim dubium eſſe poteſt, quin ea diluvies regionem tuam inundatura fuiſſet, ſi Angliam abſorpſiſſet? Nec vero hæc exprobratio hilum de cumulo laudum tuarum diruit, aut apicem Majeſtatis infringit. Quid enim vel ad famam honorificentius, vel ad conſcientiæ ſolidam voluptatem exoptatius accidere poteſt Auguſtiſſimo Principi, quam ſi ex peculiaribus indiciis perſpiciat, ſui cuſtodiam cœlo quaſi extra ordinem curæ fuiſſe. quocirca tam illuſtri documento divini favoris admonitus, nunquam tu quidem ô Rex nimium veneraberis venerabilem illam ſupremi patris indulgentiam: ſed cum omnia rite apud animum tuum ſerio perputabis, periculi magnitudo Majeſtatem ad præcavendam cohortari debet, non liberationis modus

dus

dus ad ingenerandam ſecuritatem. Quæ miraculo divinitus eveniunt, imprudenter & cum periculo trahuntur in exemplum, nec humanam prudentiam ullo modo ſufflaminare debent, imo tanto impenſius enitendum eſt omni ſcientia & vigilantia, ne cæleſtium curam pro ſalute noſtra excubantem, velut transfugæ partium ſegni ſocordia deſtitiſſe comperiamur. Non votis, (ait Hiſtoricus princeps Majeſtati tuæ perfamiliaris) neque ſuppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: agendo, vigilando, proſpere omnia cedunt. Vidiſti pene intra teli jactum quid machinata ſit vaſta & infinita cupiditas Philippi, qui adeo artem non occultat, ut palam glorietur, & aperta prædicatione jactet, unum ſibi orbem non ſufficere. Si recte calculum ponas, lucro deputabis quantum animus ſpe & paratũ complectebatur. Quid enim defuit ad tanti operis executionem, ſi ad humanæ rationis lancem momenta rerum conſiliorumque ponderentur, niſi quod Deum ultorem habuit, cujus numen in conſilium non adhibuerat, cujus aſſiſtricem Themin ſcelerata molitione violabat? Ex eo tempore quid accidit, quamobrem pax ulla cum hoſte tam exitiabili, tam inſatiabili ſanciretur? Vtrumne opibus & potentia in tantum crevit, ut etiam ab invitis conditiones accipiendæ ſint? an à paterna ambitione filius deſcivit, ut ſpes ſit, bona fide & æquis legibus cum eo fœdus coagmentari poſſe? Quid ſi neutrum horum eſt? æqua tandem vel urgens neceſſitas cogit, vel inæſtimabilis aliqua utilitas ſuadet, ut columen illud ac propugnaculum regnorum & rerum publicarum convellatur, *nihil movere*. ipſa cælo recepta mens Elizabethæ prudentiam & fidem tuam adjurat, per quadraginta quinque annorum continuam felicitatem, ne aliquando ſinus obliquans curſum interrumpas tam proſperæ velificationis. Nemini unquam homini privato ſua domus notior fuit, quam huic heroinæ ſtatus & univerſæ partes regni: Sexus ratio, & utroque potentior indoles exculta diſciplinis humanioribus, eam prono impetu ad ſtudia pacis & otii pelliciebant, animus ab ipſa belli cogitatione penitus abhorrebat, vi & machinis opus erat, ad perrumpendum iſtud propoſitum & expugnandam obſtina-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tionem. Cogi debuit, coacta eſt gravibus patriæ periculis, mutatione temporum, laudabili conſpiratione omnium, qui remp. ſalvam cupiebant. Nihil in ſumma poteſtate regalius eſt, nihil in principatu beatius, quam ſic cogi. Sed quemadmodum difficulter adduci potuit, ut Ianum aperiret, & in æde Bellonæ pedem figeret; ita poſtquam ſemel juſtis vindiciis initiari cæpta eſt, ſine miſſione pugnandum exiſtimavit. Cunctationem adferebat rei movendæ moles, conſtantiam perſeverandi ſuaſit & belli genus & hoſtis ingenium. Genus eſt ejuſmodi, ô Rex, quod maxime animum tuum ad eandem voluntatem inflammare debet. Vertitur his ſalus & incolumitas fideliſſimorum ſociorum atque amicorum, qua cauſa vel una ſatis eſt ad promovendam Majeſtatem tuam, ne pati velis præpotentis & ambitioſiſſimi principis dominatum creſcere per ſcelus & injurias cujuſquam mortalium, nedum eorum, quibus ſubactis (quod Deus omen avertat) nolimus ominari quorſum res evaſura ſit. Iura majorum & privilegia defenduntur per cives ingenuos, qui ſe libertate & ideo gratia tua dignos judicant, quibus mortem oppetere honeſtius & optabilius, quam ſuccumbere tam intolerandæ ſervituti. Non enim juſtos Dominos gravamus: qui hac ſola mercede, hoc precio & fide bellum gerimus, ut legibus regi & ſub æquitatis imperio vivere poſſemus. Nomen noſtrum è re natum, indicat more & ordine civitates noſtras gubernari, qua diſciplina milites contineantur, nulli melius quam hoſti quotidie periculum facienti, credendum eſt. Sed hæc etſi recte æſtimantibus maximi momenti putanda ſunt, tamen cum ad nos proprie pertineant, minus neceſſaria videri poſſent. quamobrem optime fundatas opes tuas & florentem fortunam tuam cum rationibus noſtris, non male quidem conſtitutis, ſed tamen turbarum plenis conſociare velles, niſi arctior neceſſitudo accederet, quæ dubitationem tollit, quæ cauſam noſtram à tua ſejungi non ſinit. Ecquid enim omnibus terris ac nationibus magis perſpicuum eſt, quam Majeſtatem tuam communi vinculo ejuſdem religionis nobiſcum uniri? Quod etiam perilluſtri teſtimonio declarare dignatus es, cum eum nobis honorem habuiſti, ut filium tuum

tuum primam illam ſpem tanti nominis, delicias & amorem populi, munimentum Auguſtæ domus, deſignatum principem juventutis, ingens regni pignus ac depoſitum, fidei noſtræ concredideris, quo tempore per Baptiſmi ſacramentum in Chriſti nomen & familiam adoptatus eſt. Cujus immenſi gloriam muneris in præcipua parte felicitatis noſtræ deputamus. At judicio Hiſpanicæ inquiſitionis, cujus nutu Philipporum mentes gubernantur, hoc crimen eſt ejuſmodi, ut jam non ſit integrum amplius deliberare. Pace Majeſtatis tuæ dixiſſe liceat; transfuga factus es, omnia juris commercia cum Philippo diremiſti, ex quo veram fidem amplexus es, ex quo Satanæ & Latino ejus Angelo repudium renunciaſti. Nullo jure regnas, imo lucro vivis ſi Romanæ curiæ diſciplinam noſti, ſi Pontificum infinitam poteſtatem vel potius ſacrilegam tyrannidem non ignoras. Per Deum immortalem te obteſtamur, ô Rex, feras æquo animo libertatem orationis, quæ magnanimos decet, quæ Majeſtati tuæ ſalutaris eſt, quam invicta vis veritatis extorquet, quam ſine prævaricationis nota præterire non poſſumus. Omnes vident, omnes intelligunt, regna, potentatus, imperia per ludum & jocum velut pilas à Pontifice tranſcribi, quem ipſum Pontificem Philippus habet ſub ictu, ut nihil ſoluto ac libero judicio facere audeat, omnia det adimatque Pontificis dictatoris nutu & arbitratu. Philippus huic præclaro titulo potiſſimam dominiorum partem debet, quibus tanto cum typho paginas farcit. Si Philippo dicit Pontificis autoritas, libido dominandi cauſam belli ſuggerit, hæc illi ſuprema lex eſt, qua autore nihil clauſum aut obſignatum putat, unde abſtineat manum. Hæc cum ita ſint, hæc cum in oculis humani generis, in luce totius mundi gerantur, etiamne, non dicam de pace, verum de pactione ulla cum tali hoſte tractanda cogitetur? Hic forte dicat aliquis, cingendus erit cautionum indagine, reprimendus validis conditionum habenis, ut etiamſi maxime cupiat, tamen exorbitare non poſſit. Imo malum bene poſitum ſic maneat, cum nulla vis urgeat. cum de maligna voluntate conſtet, quorſum attinet ullis legibus aut pactionibus implicari? Quid imprudentius fieri poteſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quam ſi quis ultro & ſuo ſibi jumento morbum accerſat, ut poſtea ſit remedio utendum? Poſtremo quibus nodis tenebitur Proteus, cum dicto citius elabatur? Nam ut omnes latebræ calumniarum intercludantur, nullis obicibus aut repagulis obſerari poteſt latum & patens iter ad effugium per portam Synodi Conſtantienſis, ubi conceptiſſimis verbis ſtatutum fuit, fidem hæreticis ſervari non oportere. Quod quidem non eſt appellandum mantile, quo leves noxiæ detergeantur, ſed everriculum omnium malitiarum atque perfidiarum. Nec intra verba ſe continuerunt purpurati Buſirides, ſed illaudata facta decreto junxerunt, atque ejus autoritatem duorum innocentiſſimorum hominum vivicomburio ſancierunt. Huic tamen impuriſſimo gregi & conciliabulo, ut in capitali crudelitate ac perfidia fieri poteſt, gratias habere debemus, quod non contenti tam atroci ſupplicio, publicis authoritatibus edixerunt, quid in poſterum ſuper ſimilibus negociis conſtituendum eſſe videretur. O florem ſapientiæ! ô ſal mundi! ô ingenua prorſus ingenia, cum quibus ſine omni cura & ſuſpicione tranſigatur! qui ingenti calliditate & mirando mentis acumine modum invenerunt, ne quiſquam niſi de facilitate ſua conqueri poſſit, tametſi ab iis nefario ſcelere violetur. Quid iſtis pecudibus fiat, niſi concedatur ut ſummæ improbitatis odium, ſummæ ſtultitiæ profeſſione deprecentur? Nec prudentiam filiis tenebrarum defuiſſe credendum eſt, ſed furiis agitantibus ſuo ſibi cauterio notam inuſſerunt, ut nequitiæ titulus in fronte appareret, ne ſimplices animi diſſimulationum involucris caperentur. Quis enim talibus quicquam divini humanique juris credendum exiſtimet, qui ſe fidem non ſervaturos domeſtico præconio confitentur? Ac ne quis fraudem hic aliquam ſubeſſe ſuſpicetur, nuſquam meliori fide verſantur, quam in obſervatione turpiſſimi iſtius decreti. Vetera quidem ſunt iſta, ſed quorum memoria recentibus exemplis cottidie renovatur, ut merito nunquam de manibus elabi debeat illud ſecuritatis noſtræ quaſi fatale Palladium, nihil credere, omnia cavere. Stulti homines hanc noſtram conſultam rationem invidioſis nominibus deformant, ſed ſapiens hoſtis nihil æque refor-

reformidat atque iſtam Gorgona, cujus objectu fraudes ſuas omnes eludi & acumen obtundi ſerio lamentatur. Nihil vero nos terrent malignorum rumuſculi, dum publicæ ſaluti conſulamus. Vtinam vir abundans maximis laudibus, Comes Egmundanus, hoc olim diffidentiæ telum arripuiſſet, cum ei à fonte prudentiæ Principe Auriaco periculum prædiceretur! Viveret, aut certe fato ſuo vel glorioſa morte, non manu carnificis, animam effudiſſet. Sed miſer ille partim rerum geſtarum amplitudine ac meritorum fiducia ſubnixus, partim ſiniſtra quadam æmulatione occæcatus, ſeu potius quia prævalebant fata conſiliis, omina Caſſandræ repudiavit. Verum iſta ſatis jam diu multumque defleta ſunt: at nunc aurea nobis ſecula reducit Albertus, cui mens æqui ſervantiſſima: tum autem homo miſericors & ſacris initiatus, immane quantum à crudelitate diſſidet, qui haud ita pridem, ne ſanguis effunderetur, virgunculam ſub terra vivam defodi curavit, damnatam pietatis crimine, quod mitiore piaculo luſtrari non oportuit. O rem non ſolum viſu miſerandam, ſed etiam auditu! Si quo tempore non tantum utilis erat clementiæ fama novum imperium inchoanti, verum etiam neceſſaria ſimulatio ad obtrudendum nobis palpum, neſcivit uti foro, non potuit ad tempus verſare naturam, & huc illuc torquere ac flectere, non potuit breves inducias vitiis paciſci, ne carceribus erumperent, niſi ſigno dato, nec præcipiti feſtinatione ſpes conſummandæ ultionis abſumeretur. Quid enim facturum fuiſſe opinamur, ſi nos unquam delinificis dictis in poteſtatem ſuam redigere valuiſſet? At enim facilis jactura eſt viliſſimi capitis, & fluctus in ſimpulo ciemus, qui rem tantillam tam invidioſe exaggeramus. O facti defenſionem ipſo facto magis inhumanam! Itane puſilla res videtur innocentem animulam condemnare, pro qua mundi Redemptor ſanguinem effudit, quæ circumfert imaginem æterni creatoris! Si domi non fuit, unde humanitatem diſcerent, audiant hominis profani non ſententiam ſed oraculum:

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Eo deteſtatior eſt ſævitia, quo minorem ſæviendi materiam perſonæ humilitas ſufficere videbatur; non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quod jus violandum ſit vel regni gratia, ſed tamen judicio humanæ fragilitatis peccant excuſatius, qui non niſi Attalicis conditionibus & ampliſſimorum ſpe præmiorum ad maleficium impelluntur. Nec dubium eſt, quin ſi facta infecta fieri poſſint, Albertus magno emptum optaret, ne juſtiſſimam diffidentiæ noſtræ cauſam novo authoramento cumulaſſet: non quod eum atrocis facti pudeat, ſed pigeat alieno tempore tam vili precio tantum invidiæ atque infamiæ conflatum fuiſſe. Cæterum ut credibile eſt, divina mens altior humanis conſiliis mentem ejus hebetavit, cujus fortuna jam velut in fatali flexu eſt, & ad pœnitentiæ metam propelli videtur. Quantum temporis, quantum opis, quantum hominum fruſtra conſumpſit in obſidione ignobilis oppiduli, cujus nomen vix fando noſcebatur ante hanc expeditionem? At indiligenter hic verſatus. Scilicet ubi famæ certamen cernitur, ubi fides in ſolidum periclitatur. Dum iſtic lento duello atteritur, aut cum Iunone ſua frænum mordet, interea fulmen Martiale Mauritius noſter animi gratia hoſtilem agrum otioſe luſtrat, urbes opere, natura, viriſque validas obiter expugnat. Italici homines, forte quod aërem Belgicum minus commode ferunt, aut deſiderium patriæ diutius tolerare nequeunt, vel quod eos offendit ruſticitas noſtrorum Macedonum, quicquid tandem in cauſa ſit, collegerunt ſarcinulas, & Archiduci valedixerunt. Ad hoc magna manus militum à caſtris ejus avulſa eſt, quos præclarus imperator non potuit aut præſenti pœna cohibere, aut conciliare beneficio. Minas inanes ventilavit, & brutum fulmen à Diali flamine miſſum ejaculatus eſt. Ajunt, hebetes iſtos tam duro corio contectos eſſe, ut penetrare non potuerit. nunc diludia ſunt, & quid in poſterum ædiles edituri ſint, hac æſtate commodius apparebit. Porro complures apud hoſtem caſtris & ſignis nobiſcum deſident, qui votis & affectu partes noſtras fovent. Plebs ad id miſeriarum devenit, ut graviora putet quæ patitur, quam quæ deinceps timere poſſit. Nihil illis ad audendum niſi dux & author opus eſt. Nobilitatem etiam intrat dolor, & pertæſum eſt Hiſpanicæ ſervitutis. Quid enim

planius,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

planius, quam imaginariæ ceſſionis fuco & magni ducis pollicitationibus, quarum fructus & ratio non comparet, os ſibi ſplendide ſublitum fuiſſe. perjuriis enim ludit Albertus, etiam adverſus domeſticos fidei, ſegnius tamen quam ſocer Philippus, qui ſanctum Patrem cum univerſo Cardinalium ſemiviro comitatu palam ludificatur, ubi ingens bolus & opimæ prædæ ſpes affulſit. Rem authorem habemus. Nonne contra ſedis apoſtolicæ ſententiam interlocutoriam pendente litigio ſibi per ſummam injuriam jus dixit, in uſurpanda Luſitania? Nonne regnis Don Antonium indigne ſpoliavit, qui poſtmodo per multos annos incertis ſedibus vagus, exul, extorris, alienæ opis indigus, triſte ſpectaculum humanæ viciſſitudinis & Hiſpanicæ crudelitatis præbuit; ac tanquam tantum non fame miſerrimo genere mortis extinctus vitam exhalavit? Quid de florentiſſimis olim Arragonibus loquar, quos omni ſpe reſiduæ libertatis everſos, partim ſuppliciis, partim acerbiſſima ſervitute mulctavit? Quid de fortiſſimo Galliarum Rege, quem acerbiſſime bello perſequi non deſtitit, poſtquam ejurata hæreſi (ut iſti vocant) ſincerum vas amplius incruſtari non potuit, & ſpecioſus ille cento religionis obtendi? Non eſt noſtrum, qui nihil humani à nobis alienum putamus, inſectari regum defunctorum miſerias & rite conditos manes ſollicitare, multo minus de miſericordia Dei aut ſalute cujuſquam deſperare: Veruntamen ferunt, Philippum, cum jam fati dies adventaret, cum internus ille carnifex ſurdo verbere & diris angoribus mentem excitam quatefaceret, cum ſtandum ſibi videret apud eum judicem cui nemo decoquit, nemo mentitur, ferunt eum uberrime delamentatum, (ut de cæteris criminibus ſilentium ſit) quod patrium regnum magni illius regis contra fas & æquum detinuerit. Quid tum poſtea filius? an exitu patris deterritus eſt, ne facta vellet imitari? Minime vero gentium. Nam ut taciti prætereamus, quam indignis modis apud Hiſpanos ante biennium acceptus ſit legatus Galliarum, cujus injuriæ memoria nequaquam exolevit: unde tandem ex Ibericis officinis erupit audax inceptum Allobrogis, & conſceleratæ molitionis Bironis in caput Regis? Quamvis enim in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

utrumque caderent omnia quæ dici poſſunt de hominibus ambitu & amentia perditis, tamen ille quidem tela palam jaciebat, quæ clam ſubminiſtrabantur: huic nihil ad ſummam votorum deerat præter animum intelligentem & capacem exundantis fortunæ, nec tamen ita fuit vecors ut alio impulſu quam Philippeo protelo ad tam ſcelus immane præceps urgeri potuerit. Non placuiſſet Pedemontana Danaë Venerio iſti nepotulo, niſi aureus imber à Iove Tagi in gremium depluiſſet. En ictum fœdus! en ſanctam fidem, juſque jurandum Iovis! en præclaram pacem! quam quidem omnia auguria & ſigna portendunt minime ſtabilem ac diuturnam fore, quæ jam facto ipſo per Hiſpanum rupta ſit, ad quam non eſt perventum fido conſenſu concentuque animorum, (qui eſt obſes unicus & idoneus ſponſor diuturnitatis) ſed vi ac mole miſeriarum, neceſſitatibus temporum, laſſitudine deſæviendi. Præterea quod hoſtem acre vellicat, & rebus noſtris grande momentum adfert, iſta quidem Galli confœderatio cum Hiſpano magnifice in ſpeciem oſtentatur, & ingenti apparatu celebrata eſt. Cæterum apud majeſtatem tuam deponere licet, nec gloriari verebimur, Henrici animum ad nos inclinare per expreſſiora benevolentiæ ſigna, quæ quo minus pompæ & externi ſplendoris præ ſe ferunt, eo magis ab animi indicio, & à ſolido affectu enaſcuntur, cujus rei indies plurima documenta ſeponimus. Idque rex ipſe (ut heroicum pectus decet) minime diſſimulat. Nam quum Hiſpaniæ legatus expoſtularet, mitti ad nos legatum, & rebelles (ut ajebat) copiis apibuſque regiis juvari: enimvero negavit, ſuæ eſſe fidei, deſerere tam fideles ſocios, qui ſibi difficillimis temporibus non defuiſſent. Quo quidem perhonorifico teſtimonio ſatis declaravit, & quam noſtra cauſa vellet, & quid de ſumma re ſentiret. Sed (ut ad præclaram progeniem Philippi redeamus, unde ſermo digreſſus eſt) non mirum ſi patriſſat filius. Nam etiamſi natura & indole ſubornatus eſſet ad omne laudis & virtutis exemplum; tamen in tanta colluvie vitiorum, per tot bonæ mentis impedimenta, non eſt ut eluctari poſſit ad ullam frugem. Neceſſe igitur habet cum inſanientibus furere. Quid enim proficeret diri-
gendo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

gendo brachium contra prærapidum torrentem, cum nemo neſciat, regni fere nihil iſtic relinqui præter evanidam aulæ pompam & inſignia majeſtatis, præcipuam autem imperii vim, & nervos authoritatis, reſidere penes inquiſitores? quibus ſuccenturiantur contubernales ſuperſtitionis novæ ac maleficæ, qui Chriſti nomen nimis humile & provulgatum cenſuerunt, ut ejus ſacramento authorarentur, qui miris artibus ac præſtigiis inſluunt in animos plebeculæ, nec contenti popularibus auris, ſobrii accedunt ad evertendam Remp. actu otioſis ſimillimi; ſecreta principum rimantur; intimæ ſemper admiſſionis apud Pontifices,

—— penetrant aulas & limina regum.
Omnibus infidi pariter, ——
Vnius addicti jurare in verba Philippi.

Genus hominum efficacis ſane diſciplinæ, & expediti admodum conſilii, atque ideo in civitatibus impendio conſervandum, ut contemptu mortis & conſtantiæ præceptis inſtruant juventutem. quippe ex umbraculis ſcholarum prolectare norunt adoleſcentulos, quorum manus ferulis calent, ut protinus in regni jugulum cultros defigant, ut quod armati exercitus nequeunt, defunctorio ictu à virgarum gymnaſio tranſigatur. Cum talibus ſtrumis & vomicis aſſiduum Majeſtati tuæ colluctamen erit, ſi unquam Hiſpanus in fœderis ſocietatem adſciſcatur. Habent enim in regno tuo ſuas manus & permultos fautores, quorum ut ſpes arrectæ ſunt expectatione & cupiditate rerum novarum ſub novo rege, ita animis concident, ſi Majeſtas tua regium nodum ruperit, & gravi edictione decreverit, nihil in tanta re movendum videri. Remiſſius agendo creſcet indulgens ſibi dirus hydrops, & ſurget in infinitum fiducia turbidorum hominum, poſtquam ſemel eam opinionem imbiberunt, clementiam tuam ſuada vel precibus ad haſce partes inflecti poſſe. Si te civiles victoriæ, præliorum exitu terminatæ vel armis, induxiſſent in regnum, non eſſet incuſandum quin multa præter animi ſententiam indulgere oporteret iis, quorum opera in bello fortis & fidelis enituiſſet. Nunc autem cum (ut ſic dixerim) hæreditatem ſine ſacris adeptus

ſis, cum,unanimi aſſenſu certantibus, & clerus & nobilitas & populus, imperii clavum Majeſtati tuæ detulerit, quid minus expedit quam ullo motu concutere tam felicem ſtatum? Qui in univerſum bona pacis ambitioſe dilaudant, magno conatu magnas nugas agunt. Quid enim mediocri ingenio proclivius eſt quam oratione luxuriari, in tam patenti campo, in tam benigna materie? Natura & humanitas ad hanc aurigatur. Dominus & Servator noſter nihil præter pacem dilectæ genti ſuæ legavit. hoc nomen utramque teſtamenti paginam facit. non eſt hominis cenſu cenſendus qui bellum quam pacem præoptet, cui optio detur utrum velit. Dies citius quam oratio defecerit, ſi quæ de hac re dici poſſunt conemur exprimere. Sed quo plauſibilius eſt nomen pacis, & res ipſa maxime ſalutaris, ſi fraus abſit, hoc accuratius providere decet, ne frigidus anguis in herba lateat, ne ſub levi marmore ſcorpius occultetur. Quemadmodum toxica præſentius nocent cum admiſcentur vino, ſimiliter nihil efficacius irrepit ad turbandam tranquillitatem publicam iis technis, quæ ſubdola ſpecie popularitatis abblandiuntur; piſciculi non caperentur hamo, niſi morſu eſcam appeterent: ita quæſito colore & honeſtis nominibus vitia rerum obvolvuntur, ut mala merx reperiat emptorem. Conſentimus ergo, pacem omni laude dignam videri, ſed eam pacem quæ nihil habeat inſidiarum, quæ à ſervitute ſejuncta ſit, quæ ſalva dignitate, ſalvis legibus & incolumi more majorum fiat, poſtremo quæ per rerum naturam ullo modo ſtare poſſit. Hanc velis remiſque perſequimur, hujus incredibili deſiderio flagramus, nec quicquam nobis optabilius unquam fuit, quam ut hoc incomparabili bono frui poſſemus. Verum enim vero, quæ pax niſi bello quovis aſperior ferruminari poteſt cum publicis hoſtibus humani generis, qui fas omne gentium abrumpunt, qui legatos, ſuppliciter pacem orantes, rapiunt ad ſupplicium, aut veneno necant? ſed hæc levia ſunt apud Hiſpanos, qui niſi inaudita & incredibilia peccare nolunt. Hos loquor qui populoſiſſimas gentes & latiſſimos orbis terrarum tractus immenſis ſtragibus deſolaverunt, qui reges potentiſſimos per omnia barbaræ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

baræ diritatis cruciamenta excarnificatos trucidaverunt, qui puerulos lactentes avulſos è gremio & ſupremo amplexu miſerarum matrum ſcopulis & parietibus alliſerunt, aut tremulos & adhuc ſpirantes eorum artus particulatim diſſectos, canibus devorandos projecerunt. Nulla vox eſt, nulla virium & laterum contentio, quæ fando exæquare poſſit centeſimam portionem ſcelerum, quibus hæ labes, hæc monſtra, hæc prodigia, non ex hominum cœtu ſed ex naturæ finibus exterminanda, ſacerrimum caput alligaverunt. Et hæc prodita ſunt annalium monumentis, ad ſempiternam poſteritatis memoriam per oculatos teſtes, per domeſticos authores, per antiſtites ſacrorum, & viros maxime ſpectabiles, quorum fides ne ab iis quidem qui talia patrarunt, in dubium vocatur. Cum hujuſmodi furiis, cum tam immanibus beluis, quæ conditio pacis contrahi poteſt? imo quod humanæ ſortis commercium intercedere debet? imo quod non capitale diſſidium & inexpiabile bellum adverſus eos, conſenſu gentium atque terrarum, ſuſcipi oportet? Non evagabimur longius in hoc lugenti campo, ne majeſtati tuæ nimiam indignationem moveamus commemoratione tantarum feritatum, quibus ab orbe condito nihil unquam luctuoſius ſol aſpexit. Nolumus univerſam gentem invidia horum criminum prægravare. Ne Regem quidem ipſum aut majores ejus tam ab omni humanitate derelictos fuiſſe cenſemus, ut iſta ſcelera vel fieri voluerint, vel facta comprobarint. Nihil de crudelitate loquamur, deſignemus leniſſimo verbo facinus omni cothurno truculentius; factum ipſum quaſi veſte detracta ſine ullo ſtrepitu conſideremus; exquiratur ex ipſa ſtirpe authoritas. Num Philippus inficiari poteſt, quin ſub ejus imperio & ditione perditiſſimi latrones iſti, nullo jure, peſſimo publico, & metuendo cunctis nationibus exemplo regna & imperia per vim invaſerint, per vim pacificis poſſeſſoribus eripuerint, quæ nunc ad ipſum tanquam optimum lege quæſitum patrimonium ſubſident? Itaque penes quoſcunque tandem culpa ſit, ad eum certe tantorum dedecorum merces & authoramenta redierunt. Verum hercle fugit nos ratio, qui de titulo ambigimus, quaſi dubium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſit, quin pro victore, pro Philippo, poſſideat. An non ab ipſo fonte pleræque gentium dominationes profluxerunt? Sed quod omnem tergiverſandi licentiam adimit, à Latino Titane jus accepit, cui tanquam luto regnis ludere licet, qui omnia jura tanquam in promptuaria cella concluſa habet in ſcrinio pectoris, cui ſi vitioſa libido ſuaſerit ut oblectamenti gratia trecentas animarum myriadas anathematis fulmine adigat ad

Pallentes umbras Erebi noctemque profundam:

Diva tamen decretalia (niſi nos memoria fallit) negant fas eſſe non tantum intercedere tam abominandæ cupiditati, ſed quærendi animo ſciſcitari: Sancte pater, quare id facis? cui denique data eſt omnis poteſtas? ſed horremus cætera ſubtexere, quibus nihil magis blaſphemum ab ipſis dæmonibus excogitari poteſt. Fulminati ſumus hac hortendi carminis obnunciatione, ſed ne moriamur inulti, prorumpet iterum ex imo pectore liberrima vox. Cur enim ad oraculum veritatis aures obturamus, ad meridianum ſolem oculos claudimus? Effeminatiſſimum mancipium cui ſui nihil eſt, reges & terrarum Dominos proſcribit, ſceptris exuit, ferro & igni perſequendos cenſet, vita ſi fieri poſſit, orbandos autumat, bona diripienda prædonibus largitur. Philippus nullum poſſidendi titulum æquiorem agnoſcit, quam Pontificum libidinem & aviditatem dominandi, quæ ſine more flagrat & furit. Hoc jure ſubnixus novum orbem uſucepit, Cantabriam, Maximi Galliarum regis avitum regnum, magna ex parte occupavit. Angliam tuam tota virium mole invaſit, unde vi majore, non humana ope dejectus, bellum in omnes molitur, acerrimum in eos qui Romano propudio, deliciis & amoribus ſuis, inimicitias indixerunt. Et erit quiſquam tam ignarus rerum, ut pacem cum eo fieri poſſe credat, tam averſus à communi ſalute, ut etiam faciendum eſſe conſentiat conſciſcatque? Si ulla unquam gens jugum imbelle Capitolini Iovis fortiter excuſſit, in hoc Illuſtres Britanniæ tuæ primarium jure ſibi locum vendicant. Quo magis providendum eſt, ne patronus janua dimiſſus, ut per poſticam cliens admittatur. Etenim myſterium iniquitatis tanta torpedine, tanta dementia, tanto ſtupore

pore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

pore pectus Philippi faſcinavit, ut hanc poſtremæ ſervitutis contumeliam honori & gloriæ ſibi ducat, ſi, cum vita & factis omnem ſuperbiam excedant ſervus & filius, dicatur ejus qui ſervum ſervorum ſe arrogantiſſima humilitate profitetur. Omnes quibus Euangelii lux affulſit, merito ludibria iſta derident. quid enim tam anili ſuperſtitione ineptius? ſed riſus iſte ſerios luctus & miſerias mundo creat. Regna per has ineptias fiunt occupantium; Cæſarum cervices ab humilibus iſtis pede proteruntur. cum profano irriſu ſacrarum vocum vita regibus adimitur. Eſtne quo progredi ulterius cujuſquam immanitas poſſit? Clementia Pontificum funere ac ſupplicio regum ſatiata non eſt. In ſumma nullum unquam in terris extitit tam profligatum facinus, tam execrandum ſcelus, tam deteſtabile ſacrilegium, cujus non liceat meſſem uberrimam colligere ex vita & rebus geſtis iſtorum Pelopidarum, quorum effera facta vix infra fidem ad poſteros manare potuiſſent, niſi noſtra ætas, noſtrum hoc ferro deterius ſeculum, cui à nullo metallo natura nomen invenit, abundaret exemplis, quæ longo intervallo memoriam priorum temporum omni diritate ſuperarent. Attendite quæſo Chriſtiani principes; veſtra permagna res agitur; veſtra communis omnium fama, ſalus & incolumitas in extremum eſt adducta diſcrimen. Nonne Sixtus V. interfectorem Clariſſimi Regis, clauſtralem illum furciferum & parricidam publici parentis, laudibus in cœlum extulit? ac tantum non in divorum numero collocavit? nonne recitata eſt, in pleno conſeſſu Cardinalium, ſacra & horribilis oratio? nonne in oculis hominum defixa, nonne in lucem edita, (nec labem hanc ullus expiavit) qua facinus ex omni memoria deterrimum divinæ inſpirationis elogio celebratur? Quid horrendius, quid execratius tota furiarum cohors patrare poſſet, ſi quantum à malitiæ conſiliis parata eſt, tantum facultatis ad nocendum ejus furori ſuppeditetur? Conferant ſe Iudith, Aod, & quantum eſt uſquam heroum priſcis temporibus, qui Hebræum populum à tyrannorum dominatu aſſeruerunt, omnes infra hujus nequiſſimi bipedis & cucullati monſtri commendationem jacebunt. Et quiſquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

adhuc ſub tam lentis maxillis edit, ut capita eccleſiæ, Vicarios Chriſti, ſucceſſores Petri, imo homines appellare audeat, hæc probra terrarum, hæc portenta generis humani? Qui latrones igitur, qui proditores, qui parricidæ nominabuntur? O Gallia, Gallia, quæ monſtris olim carere diceberis, quo receſſit antiqua illa virtutis indoles? ubi fides & ingenita ſubditis erga reges veneratio, qua ſupra cæteras gentes olim clari fuiſtis? Conſtituendum eſt tandem aliquando, quid de Pontifice ſentiatis. Quid tricamini? quid prævaricamini? aut pronunciandum eſt vobis, quod eloqui animus horret, regem veſtrum jure cæſum videri, aut Marte jus dicendum iis, qui tam innominatum & innominandum facinus non ſimplici vocis ſuffragio, ſed prope divinis honoribus extulerunt. Quid ultra requiretur ad implendam fidem & decidendam litem? quid ſupereſt quo minus unanimi Chriſtianarum gentium conſenſu inſeſſor ille Romanæ ſedis declaretur Antichriſtus? niſi forſitan exſpectamus dum ipſe Dei filius è cœlo delabatur in terras, ut ſacrilegum uſurpatorem Majeſtatis, ex arce Tarpeia correptum, omnibus terris ac populis palam inſpectandum oſtentet; ferentem in fronte nomen myſterii & horrendam inſcriptionem filii perditionis. Querimur increduli ſeculum non illuſtrari miraculis. At nos videndi & audiendi aſſiduitate quaſi callo quodam obdureſcimus ad omnem ſenſum, ne miremur ea quæ fidem omnem ſupergrediuntur. Si replicare non piget memorias rerum, quæ vel in unica Gallia tribus abhinc luſtris evenerunt, labemur ſub onere admirationis. Sed domi plus ſatis exemplorum habemus cæleſtis erga nos curæ ac providentiæ, ne foris ea mutare neceſſe ſit. Bellum jam tot annos gerimus cum Rege longe lateque domino, cujus immenſis ditionibus comparatum hærediolum noſtrum vix puncti inſtar obtinet. Interim non ſolum armis animiſque fortiter ſtamus, ſed copiis atque opibus ita floremus, ut nunquam antea fundatior rerum noſtrarum ſtatus fuiſſe videatur. Qui vires ac potentiam Regis Hiſpaniæ magnificant, non aptius quam exemplo noſtro doceri debent, nihil eſſe magnopere formidoloſum iis, quos ad bonæ cauſæ propugnationem

nem juſtus dolor & injuriæ tyrannorum accendunt. Non eſt Philippo aut Alberto res cum imbellibus Indis, qui ſe laniorum cultris more miſerarum pecudum jugulandos objecerunt; eſt cum viris certamen, eſt cum ingenuis civibus, qui pro patria mori feliciſſimum augurium putant, & tamen iſtam pluris æſtimant, quam ut eam velut rem vacuam ſine virtutis experimento profundant. Non movemur inanibus ampullis ſeſquipedalium titulorum, quibus inflatus incedit. Poſtquam ſummam ſummarum ſubduxerit, inveniet abeſſe caput, ſine quo rationes parari nequeunt. Deſit immani coloſſo baſis, ædificio fundamentum. Non adeſt ad exercitum dux & imperatrix vitæ mortalium bona mens & recta ratio, quæ niſi ordines ducit, omnis moles tanto fœdius corruit, quanto celſius aſſurgit. Nulla minarum authoritas eſt apud bene præparatum pectus. Abunde teſtimonium degenerantis animi præbet, qui terrorem nedum venerationem per iſtiuſmodi nugamenta diffuſum iri ſperat. Torrentes ruunt magno fremitu ac ſonore, ſed dum maxime præcipitant, impune vado tranſire ſolent. Non regionum ſpatiis & latifundiis vera magnitudo metienda eſt, ſed fide, benevolentia & obſequio ſubditorum. Hæc vera regia gaza eſt, hic precioſiſſimus principum theſaurus, qui nec ab India ſubvehitur, nec auro Philippeo parari poteſt. Si rectis ſenſibus uteretur, & bonis artibus imperium exerceret, non modo potentiſſimum Monarcham Philippum crederemus, ſed viribus invictiſſimum, & ſemper Auguſtum. Nunc Deo & hominibus ob impotentiam inviſum non vinci poſſe comperimur, ſed ſolere. De patris ſuperbia pediculi triumpharunt. Magnus ille dominator in Aſia & Africa pavit & genuit corpori ſuo carnifices, ac vivus videnſque interfuit proprio funeri. Filium, ut vis major abſit, olim vermes abſument, & ſarcophago contentus erit, cui unus non ſufficit orbis. Quis ſub eo vivere velit, qui ſe hominem non agnoſcit, cujus ambitionem tota mundi machina non capit, quem mortalitatis ſuæ vel ſupina oblivio tenet, vel ſuperba dedignatio? Egregiam vero magnitudinis laudem & opima ſpolia potentiæ reportavit Philippus, cum invictiſſimi Principis

Auriaci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Auriaci caput indigniſſima proſcriptione licitatus eſt; cum omni jure bellorum violato, nefarios percuſſores & venales animas pretio ſubornavit, ut impia fraude interciperetur, quem bellica manu ſuperare poſſe deſperabat. O facinus non modo indignum rege, ſed pudendum etiam truci tyranno! quod ne Tiberius quidem in animum induxit uſurpare adverſus acerrimum hoſtem Romani nominis, per quem Varus ad internecionem deletus, tanta conſternatione fortunatiſſimum omnis ævi Principem perculerat, ut per continuos menſes barba capilloque ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quintili Vare, legiones redde.* Huic hoſti tam formidabili cum Tiberius necem adferre poſſet per ſicarios & veneficos, qui cupide hanc præclaram provinciam ſibi depoſcebant, conditione uti noluit. Non enim fraude neque occultis inſidiis ſed palam & armatum populum Romanum hoſtes ſuos ulciſci. Igitur auſus eſt perfecitque Philippus, quod reformidavit Tiberii immanitas. At cujus Tiberii? Tyrannorum primi, niſi à Philippo vinceretur. Ejus nempe qui Priami fortunam laudabat, quod ſuperſtes omnium ſuorum extitiſſet, qui mortem largiebatur pro ſummo munere ac beneficio iis, cum quibus in gratiam redire ſtatuerat; qui reos evaſiſſe autumabat, cum ſibi manus attulerant, ut in ſævitiam ejus anticiparent. Si Philippus veræ virtutis umbram per ſomnium unquam imaginatus eſſet, nunquam ſe magis victum ex conſcientiæ ſenſu fateretur, quam cum tam turpi victoria compos voti effectus eſt. Quanquam autem tanti Atlantis amiſſio res noſtras graviſſimo vulnere debilitavit, & damno prorſus irreparabili affecit, tamen non pervenit ad deſtinationem barbari regis crudelitas. Dolor enim acceſſit viris fortibus, virtus nulla parte eſt imminuta. Vivit & floret omni gloria Mauritius ingens, vindex paternæ mortis, & aſſertor Belgicæ dignitatis, de cujus herois laude quicquid præterea dixerimus, infra dignitatem meritorum erit. Sub tali duce & auſpice, tot obſtricti pignoribus divini favoris erga nos, ad extremum uſque ſpiritum conſtanter perſeveravimus in hac ſancta militia, nec deſeremus honorificam ſtationem, & liberalem patriæ cu-

ſtodiam,

ſtodiam, ad quam nos religio, leges, jura, judicia, moreſque majorum admoverunt, & quicquid apud gentes ſanctum habetur; quæ omnia quum ab hoſte profanata ſunt, qui fas nullum novit, qui humanitatis ſenſum exuit, cui ambitio jus belli facit, voluntas pro domina ratione eſt, qui ſupremam legem putat, fidem non eſſe ſervandam iis qui pro fide vitam profundunt, ſperamus imo confidimus, Deum Opt. Max. cui militamus, arma quæ tam juſta cauſa ſumpſimus, proſpero exitu terminaturum. Habeo Rex breviter comprehenſam & juris & facti noſtri rationem, quæ ſi æquitati tuæ probabitur, omnia erimus conſequuti. Deus, tuum jus & omnium ordinum conſentiens vox, te gubernaclis regnorum admoverunt, quæ nemo poſt hominum memoriam conjunctim unquam poſſedit; ut virtutes tuas ſileamus omnibus regnis auguſtiores. Non habet jam Chriſtianus orbis, qui Papiſticas ſuperſtitiones abjecit, majorem te uno principem, non dignitate ſolum & potentia, ſed ſpe & expectatione rerum ampliſſimarum. Quod ſupereſt (ut noſtri pudor & Auguſti conſpectus tui reverentia potius deſinendi legem imponat, quam clementiæ tuæ ſatietas obrepat patienter audiendi,) voto finiemus & complectemur omnium vota. Deum immortalem Regum ac regnorum præſidem & cuſtodem obteſtamur, ut Majeſtatem tuam quam diutiſſimo ſeculo reſervet ac rebus humanis intereſſe patiatur. Faveant propitia fata ingenti dono ac muneri quod terris contulerunt, addantque beneficio ejus diuturnam poſſeſſionem. Sera ſit & nepotibus demum noſtris nota dies illa, quæ tam illuſtre depoſitum cœleſti patriæ & natali domicilio tandem redonabit.

DIXI.

DOM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOM. BAUDI

ORATIO

Ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem IACOBUM VI, *Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regem.*

NON ſum neſcius, clementiſſime Rex, modeſtiam & verecundiam in me deſiderari poſſe, quod homo privatus & gente extraneus, cui pro magno munere eſſe debuit, quod liceat auguſto Majeſtatis tuæ vultu, conſpectuque frui, optaverim ultro ad colloquium tuum admitti, & ſermonem tecum ſociare: qui honos in tanta mole curarum vix paucis è primaria dignitate viris tribui debet, qui vel conſilium tuum participant, vel legati magnis de rebus miſſi à regia voce tua reſponſum exſpectant. Equidem & ſortem meam novi, & quid Majeſtati debeatur ſeria æſtimatione mecum reputavi, ſed quantum mihi juſti timoris adfert utriuſque rei conſideratio, tam me recreat & reficit partim conſcientiæ meæ fiducia, partim excellens animi tui benignitas & moderatio, quæ inter heroicas laudes & virtutes tuas eximie fulget. Non alia mente ad Sereniſſ. M. T. accedo, quam ut obſervantiam, & devotionem meam profitear. Vt ignis celari non poteſt, quin aut fulgore ſuo aut calore prodatur: ita vehementes quidam affectus etiam nolentibus nobis & invitis erumpunt. Quod diligeris, coleris & obſervaris, id majus imperio tuo eſt. Igitur auſus ſum, imo blanda vi coactus, humilis & umbraticus doctor, affari Potentiſſim. & Clariſſimum Regem, qui felici conſortio junxiſti cum ſumma poteſtate gloriam ſapientiæ, & exquiſitam optimarum artium cognitionem. Cui rei illuſtria documenta præbent eximia ingenii doctrinæque monumenta, quæ conſecraſti perennitati omnium ſeculorum. De quibus operibus nihil reverentius effari poſſum, quam quod olim de Carthagine pronuncia-

vit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

vit Saluſtius, M. T. perfamiliaris, *Tacere ſatius eſt quam pauca dicere.* Neque tamen imperare admirationi, quin in tranſcurſu venerer βασιλικὸν δῶρον, quo pignore nihil poteſt dici abundantius præceptis inſtitutiſque veræ virtutis ac prudentiæ: quibus ad omne officii munus conformaſti filium tuum, immenſam illam ſpem regni, delicium & amorem populi, principemque Iuventutis: cui duo maxime optanda mortalibus ſupra invidiam feliciter obtigerunt; naſci à maximo rege, & ejuſdem authoritate ad ſummæ fortunæ cultum erudiri. Macte hac indole & gloria: felices qui ſub talibus auſpiciis gubernantur! Non meum hoc effatum eſt, ſed ſapientum Principis, *tum fore beatas Reſpubl., ſi aut Reges philoſopharentur, aut Philoſophi regnare cœperint.* Placeat tibi ſemper hæc ſecta, & ratio vitæ. Fruere ingenti tuo tuorumque bono: nec te à laudatiſſimo propoſito deterreat adulta & prævalida ſeculi pravitas, qua ſubnixi imperitiæ patroni, negant doctrinam in regia laude ponendam; cum nihil æque reges deceat. Non provehar longius in hoc immenſo laudis Oceano, ne Majeſtati fraudem faciam, cum humanitati & comitati nimis licenter indulgeo. Concludam ſimplici voto. Deum O. M., quo duce & auſpice ad imperium perveniſti, oro & obteſtor, ut te florentem omni felicitate & gloria quam diutiſſime rebus humanis intereſſe patiatur. Salute enim & incolumitate tua, ſalus & incolumitas totius regni, publica ſeculi felicitas & bonorum omnium vota abunde continentur.

DOM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOM. BAVDII

ORATIO

Ad Sereniſſimam Principem

ELISABETHAM Angliæ Reginam.

AVGVSTA HEROINA.

NVlla gens unquam majore obſervantia Principem ſuum coluit, quam natio Perſarum. Erat apud eos vel legibus ſancitum, vel moribus inſtitutum, ne quis Regiam Majeſtatem adire auderet ſine aliquo munere, quemadmodum nefas eſt accedere ad altare ſine donario. Recte & religioſe feciſſe videntur, quod eos qui in terris erga genus humanum divina quodammodo vice funguntur, divino quoque ritu & honore communicarint. Si quis unquam inde ab ultima vetuſtate dignus exſtitit omni cultu ac veneratione, Veſtra Majeſtas conſentiente gentium fama in hoc ordine principem locum jure ſibi vindicat. cujus heroicæ virtutes non ſolum invidiam vicerunt, ſed & mortale faſtigium ſupergreſſa ſunt: atque adeo non modo populus tuus, verum etiam exteræ nationes non aliter majeſtatem tuam obſervant, admirantur, ac ſuſpiciunt, quam beneficium & ſalutare quoddam ſidus è cœlo in terras demiſſum, ut ſeculo everſo ſuccederes, & rebus afflictis mederi poſſes. Quod quidem præclariſſimum munus tibi à Numine delegatum conſtanter adminiſtras tam æquabili juſtitia ac ſapientia, ut propemodum minima de laudibus tuis cenſenda ſit illa ſuprema regni poteſtas, ad quam te Deus, tuum jus, & publica felicitas evexerunt. Ego inter cultores tuos gradu & cenſu plurimis impar, animo & affectu vix cuiquam ſecundus, nullum majus ac melius donarium pulvinari tuo inferre poſſum, quam ſimplex votum, quo uno vota univerſa bonorum omnium, ſalus & ſecuritas imperii, ſpes & opes ſubditorum tuorum cumulate continentur. Igitur Deum Optimum Maximum regum ac regnorum præ-

præſidem & cuſtodem ex intimis ſenſibus veneror atque obteſtor, ut te quam diutiſſime mortalium cœtibus intereſſe patiatur. Faveant propitia fata beneficio quod dederunt, tantoque muneri addant perennitatem. Quanquam enim ingratus orbis non intelligit bona ſua, nec terra capere poteſt ingentem ELIZABETHAM, cujus ſublimis indoles nihil humile, nihil humanum ſperat ſpiratque: tamen ſera ſit: & nepotibus noſtris demum nota dies illa, quæ tam illuſtre depoſitum natali cœlo redonabit. Sæpe te omni gloria florentem, ac beate regnantem aſpiciat fauſta & feſta lux quæ te generi humano commodavit, quaque ſuſcepiſti imperium ut ſervares, ſervaſti dum ſuſciperes. Maneat in ævum dubia & anceps palma pulcherrimæ conſpirationis, utrum impenſiori pietate cives tui te, an tu cives tuos ſalvos & incolumes eſſe malis. Non evagabor licentius in hoc immenſo laudum campo, nec longiori ſermone clementiam tuam morabor, ne peccem in publica commoda, quibus continenter promovendis omnes curæ cogitationeſque tuæ conſecrantur. ſed ut olim induſtrius pictor velo obumbravit quod penicillo exprimi poſſe deſperabat, ſic ego eximias Majeſtatis tuæ dotes omni voce, omni laude noſtra ſublimiores, religioſo ſilentio venerabor.

RESPONSIO REGINÆ.

EGo bene animadverto ex tua perdocta oratione, quod veſtra dominatio me non ſatis novit, alioqui non attribuiſſet mihi tam immodicas laudes, quibus me potius oneraſti quam honoraſti. Equidem eas in me non agnoſco, ſed accipio à te amanter tanquam ab homine amico, & benevolo. Amor tibi dictavit tam bona verba. ubi autem amor dominatur, ibi judicium non poteſt eſſe rectum. Interim gratias tibi habeo quam poſſum maximas propter talem tuum erga me affectum, & obnixe te rogatum cupio, ut velis in ea voluntate conſtanter perſeverare.

REPLI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Replicatio nostra.

QVo ſe tua Majeſtas per inſitam modeſtiam humanius deprimit, eo celſius aſſurgit. Quum enim ad regale iſtud faſtigium nihil accedere poſſit, una hac ratione creſcis ſi te ipſa ſubmittas. Ego tantum abeſt ut quidquam adjecerim cumulo tuarum laudum, ut potius venia mihi ſuppliciter deprecanda ſit, quod vitio paupertinæ orationis, & ingenii culpa multum de ſumma meritorum detraxerim. Sufficiebat voto ſi coli te & obſervari patereris, at tu me ad amorem provocas. quam prope divinam in ſumma fortuna moderationem, quia verba rebus immenſis non conveniunt, tacitus admirabor, obſecrans Deum, ut mihi animum det, ſi non capacem, certe intelligentem tantæ felicitatis. Porro hunc honorificum diem quo mecum ſermonem ſociare dignata es, ſancte obſervabo

Dum memor ipſe mihi, dum ſpiritus hos reget artus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOM. BAVDIVS

Ad

CURATORES
Acad. Leydenſis.

HAbetis heic, ampliſſimi Viri, Orationem qua ſedare turbas conatus ſum, & revocare ad meliora conſilia exulceratas mentes ſtudioſorum. quos equidem haud paucis in rebus modeſtiæ parum memores fuiſſe confiteor, & multa feciſſe præter decorum, inficiari non poſſum. Sed & illud plane perſuaſum habeo, eos vel lubrico ætatis, vel prævalido & inconſulto impetu, vel opinione falſa laudis aut imaginaria ſpecie libertatis in hanc licentiam efferbuiſſe, non deliberato meditatoque malitiæ propoſito. Quocirca quum in Academico Senatu ſententiæ noſtri ordinis exquirerentur, ut hi motus componi poſſent, & nonnulli aſperioribus remediis rem gerendam eſſe cenſerent, ego ſemper author fui, ut vocis eloquio juventus, oblita pudoris & verecundiæ, comiter reduceretur in viam: & ad id officii munus obeundum meam operam publicis uſibus devovi. Nocere nimium rigorem, & ſeverioribus remediis id effectum iri, ut huic florentiſſimo Athenæo vaſtitas & ſolitudo inducatur. Laſciviſſe potius quam ſæviſſe improvidos adoleſcentes: & quamvis à diſciplina vehementer deerratum ſit, nihil tamen admiſſum quod non facile cadat in eam ætatem. quum animi ægrotent, & in fermento ſint, non poſſe reperiri huic morbo remedium oportunius ac præſentius, quam ſermones aptos temperandis animorum affectibus. Quippe Ægræ medela mentis eſt oratio. *Ita tamen ut vitiis non ſit aſſentandum aut connivendum. Hanc moderationem utrum aſſecutus ſim, vel ex hac oratione noſtra cuivis liquebit, in qua juvandi utilitatem prætuli curæ placendi. Quanquam apud rectas mentes hæc duo ſejungi non oportet, ſed par eſt eadem placere quæ proſunt. Mea ſic eſt ratio, & ſic animum induco meum, eos qui leviter ſæviunt, magis ſapere, & pro peccato magno paululum ſuppli-*

cii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

cii ſatis eſſe Patri. Patrio enim ritu & affectu diligo ſtudioſam Iuventutem, & ab ea me viciſſim obſervari pluribus experimentis cognovi. Quod ego bonum in præcipua parte felicitatis deputo. quandoquidem non obſequio, nec adulandi artificio per cuniculos irrepſi in eorum benevolentiam, ſed bonis artibus, & fortiter amando amorem mihi paravi. Si quis eſt qui utilius aut generoſius conſilium dare poſſit, libenter ibo pedibus in ejus ſententiam. Verum ſi incicures beſtiæ cultu manſueſcunt, ſi pecoris generoſi pullus ingenio humanitatis docetur exuere feritatem, &

—— blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare:

Cur non etiam liberali modo tractentur liberalium juvenum corda, quos cæca intemperies, non tamen impia nec ſcelerata nocendi cupiditas, abripuit extra gyrum officii & inculpatæ rationis? Interim volens acquieſco decretis plurium, qui diverſo calle tamen ad eundem finem tendunt: nimirum ad ſupremam illam legem publicæ utilitatis. Illud tamen ex animo lætor & glorior, meam ſententiam illuſtriſſimo viro Ioſepho Scaligero mirum in modum placuiſſe, cujus judicium mihi eſt inſtar ampliſſimi theatri. Supereſt, clariſſimi viri, ut vos ſubmiſſe rogem, ne arrogantius à me factum eſſe judicetis, quod non extimuerim tam levidenſe munus tam gravibus viris inſcribere. Quos enim magis idoneos potui adoptare patronos, quam eos quibus commiſſa eſt dignitas & incolumitas hujus Academiæ, cujus haud infima pars cenſemur, nec ulli mortalium concedimus ut eam ſalvam & ornatiſſimam eſſe malit? Fieri poteſt vitio humanæ infirmitatis ut aberrem à recte conſulendo; voluntate autem, fide & libertate ſentiendi nunquam ab utilitate communi diſſidebo. Cujus animi mei ſpecimen erit hoc exile munuſculum; quod ut in optimam partem accipiatis, etiam atque etiam vos obteſtor. Ita vobis & huic inclyto Lyceo, cui Curatores dati eſtis, omnia proſpere, feliciter, & ex voto contingant. Datum Lugduni Batavor. III. *Kal. Martias*, CIↃ IↃC VIII.

DOM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOM. BAVDI

ORATIO

Ad Studioſos Leidenſes, ob cædem commilitonis tumultuantes.

MAgnifice Rector; nobilitatis & literarum ingens columen, Ioſephe Scaliger, maximo parente digna progenies; generoſi Barones, Clariſſimi Profeſſores, honorandi Collegæ, viri doctrina & virtute præſtantes; vos ô lectiſſimi adoleſcentes, ad quos præcipue ſermo meus dirigitur, erudita ſtudioſorum corona, propago generis, ſpes poſterorum, flos & ſoboles ingenuæ juventutis, ſeminarium Reipub., pectora generoſa, & ad laudem ac decus nata: præbete quæſo mihi mentes atque aures placidas, dum ea dicendo contexam, quæ ſumme faciunt ad utilitatem, famam, exiſtimationem & dignitatem veſtram. Nam ſi orationi noſtræ benignitas veſtra facilem audientiam commodâverit, fretus probitate veſtra, & integritate atque innocentia conſcientiæ meæ, ſpero me effecturum, ut hodiernus dies mihi pulcherrimi facti occaſionem, vobis fructum ingentis beneficii obtuliſſe videatur. Satis ſuperque perſpectam & exploratam eſſe arbitror unicuique veſtrûm meam ſingularem erga vos omnes benevolentiam: nec ego viciſſim unquam dubitavi de mutuo veſtro erga me affectu, quem inſtar precioſiſſimi theſauri, & ampliſſimi patrimonii, non injuria facio plurimi. Quum igitur uterque conſecuti ſimus quod communiter erat optandum, non utar ambagibus: nec ex alto petitis verborum blandimentis, ut ſermo meus in animos veſtros amica vi quadam influere poſſit, ſed primo congreſſu invadam in arcem ipſius cauſæ: ſimpliciterque ac ſine artificio planum faciam, quibus ſim rationibus impulſus, ut in hunc locum extra ordinem ad perorandi munus accederem. Diutius voto, & opinione feriati ſumus à publicis recitationibus, partim ob inclementiam & aſperitatem hyemis, ſed maxime ob luctuoſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

& lamentabilem caſum ornatiſſimi juvenis Aſſueri Hornhovii, commilitonis veſtri, qui poſtridie ejus diei, quo luculentum doctrinæ ſpecimen in Iuridica facultate publicitus ediderat, crudeli vulnere extinctus eſt. Cujus miſeranda cædes non leviorem mihi & omnibus bonis dolorem inflixit, quam cuiquam veſtrûm. Senatus enim Academicus ſupremum humanitatis officium defuncto perſolvit, & frequenti comitatu atque honore exſequiarum teſtatus eſt, quantam inde mœſtitiam & ægritudinem concepiſſet. Exarſiſtis animis ad expetendam ultionem de facinoris authore. Non ſolum veniam daremus indignationi veſtræ, ſed etiam pietatis & gratæ erga mortuum recordationis laudem tribueremus, ſi morem ullum aut modum, ſi ordinem legitimum, ſi aliquam in iſto fervore temperantiam, aut moderationem ſervaſſetis, quod cum in omni negotio, tum præcipue in cauſa capitali fieri debet, ubi non levia aut ludicra petuntur præmia, ſed de vita hominis. de ſanguine ac ſpiritu ejus agitur, pro quo mundi Redemptor ipſe ſanguinem ſuum effudit, & qui circumfert imaginem æterni Creatoris. In re tam ardua tantique momenti nulla unquam comperendinatio longa eſt, nec heic licet bis peccare, ut olim dixiſſe ferunt Lamachum Athenienſium ducem, quum Tribunus militaris erratum bello admiſſum imprudentiæ & incogitantiæ obtentu deprecaretur. Non admittitur in tam atroci caſu ſchema illud *παρ' ὑπόνοιαν*, quod in Imperatore plurimum improbat Scipio Africanus, quum nempe poſt immedicabile vulnus inflictum itur ad commune fragilitatis humanæ perfugium, ut dicamus, *erravi, lapſus ſum, non putâram, non prævideram.* Omnia ſunt animo præcipienda, & meditanda priuſquam civis è civitate, nedum homo è vita ſit exterminandus. An arbitramini ſtatim & primo pedatu ad illam horrendi carminis legem eſſe proſiliendum? *I lictor, deliga ad palum, manus adſtringito, caput obnubito, arbori infelici reſte ſuſpendito, vel honoris cauſa caput amputato:* nempe ut illætabili ſpectaculo ſaturare oculos, & animum explere poſſitis? Sufflaminandi eſtis, ô boni, nec inconſultæ laſcivientium atque concitatorum juvenum cupiditati deponendum eſt arbitrium

vitæ

vitæ neciſque, quo nullum gravius negotium, nec diligentiori cura providentiaque eſt adminiſtrandum. Poteſt enim ad præſens tempus omiſſa pœna quandoque exigi, ſemel exacta non poteſt diffingi, aut in priſtinum ſtatum revocari. Nullus heic Prætoriæ in integrum reſtitutioni locus eſt, nec interdicta recuperandæ poſſeſſionis judicato prodeſſe. Sit ante oculos vobis eximius Cæſarum Theodoſius, non abſque gravi cauſa titulum & agnomen Magni conſecutus: princeps rebus geſtis egregius, ſed nulla virtute quam pietatis gloria commendatior. Is quum in Theſſalonicenſes contra promiſſi fidem ob infandum quidem ſcelus, ſed tamen ſupra omnem modum ſæviiſſet, cæſis aliquot civium millibus, ab aditu templi, Divus ille Mediolanenſium Antiſtes Ambroſius eum & objectu corporis, & oratione triſti ſubmovit. Non ingredieris, inquit, in domum Dei reſperſus innocentium ſanguine, nec inferes altaribus donarium parricidiali manu. Qua pronuntiatione tanquam ictu aliquo fulminis attonitus & obſtupefactus Imperator, dejecto in terram vultu domum ſe mœrens recepit, diu caruit publico, deflevit uberibus lacrymis calamitoſam ſortem ſuam, quod ſibi terrarum domino, qui pene cunctas orbis oras infra magnitudinem ac majeſtatem ſuam videbat, non eſſet fas eo pedem inferre, quo cottidie viles ac miſerabiles perſonæ, ſed coram Deo precioſæ, tanquam ad aſylum & refugium certiſſimæ conſolationis benigne comiterque admitterentur. Tandem continuatione & perſeverantia pœnitendi, veniam ab Antiſtite ſanctiſſimo exoravit. Ac ut in poſterum ſecuturi Principes haberent quod in ſimili cauſa caverent, ne ad eundem præcipitis vindictæ ſcopulum impingerent, legem humanitatis plenam promulgavit, qua ſancitur ut damnatorum ſupplicium in diem trigeſimum prorogetur. Exemplo ad eam rem præiverat Tiberius, quo regnante Senatuſconſultum factum eſt, ne ſententiæ capitales ante diem decimum ad ærarium perferrentur, idque vitæ ſpacium condemnatis indulgebatur, ſed magis ad inanem clementiæ famam aucupandam, quam ullum ob uſum. Nam (ut refert prudentiſſimus annalium conditor & aulicarum artium vaferrimus indagator

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Cornelius Tacitus) *Nec Senatui libertas ad pœnitendum erat, nec Cæſar interjectu temporis mitigabatur.* Nero priuſquam in tetram immanemque belluam degeneraret, quum ei Burrus Prætorio Præfectus, vir antiquæ ſeveritatis, & utile regni inſtrumentum, chartam offerret obſignandam, qua ſupplicio capitis addicebantur duo facinoroſi, & latrociniis infames, invitus aut invito ſimilis eam accepiſſe traditur, ac diu multumque cunctatus tandem libello nomen ſubſcripſit, vocemque illam effatus eſt, quam miris Seneca laudibus in cœlum extollit, *Vellem neſcire literas*: ſive naturalis indoles bonitatis, & inaffectata manſuetudo fuit, ſive ſpecies aſſimulatæ virtutis & oſtentamentum clementiæ, cui poſtea regnandi licentia perſonam detraxit. Multas enim mentes etiam ad virtutem à natura ſubornatas honos ita immutavit, ut non agnoſceres eundem eſſe. Plures è dominantibus ab adulatorum blanditiis, quam à profeſſis hoſtibus oppreſſi ſunt. Sed quod à crudelibus tyrannis ſalubriter, & optima ratione dictum, geſtum aut conſtitutum eſt, non eo minorem vim aut levius authoritatis pondus habere debet, quod ab authore minus probando ſit profectum. Imo contra. dignitas rerum bonarum, quas pravi principes voce aut edicto ſanciunt, hoc ipſo major atque auguſtior eſt, quod eas invicta vis veritatis, & ſplendor ac pulchritudo laudis & honeſtatis exprimit ab invitis. Nam & impuriſſimi quique & inteſtabiles ſi non expreſſam gloriæ effigiem, ſaltem adumbratam animo intuentur, judicio comprobant, teſtimonio conſcientiæ agnoſcunt, tametſi factis dedecorent, dum ad deteriora mentem applicant. Ptolemæus Ægyptiorum Rex inter laxamenta curarum, & dum aleæ forum calefaceret, à ſceleribus non feriabatur. Puer enim ei adſtabat ludenti, qui crimina reorum & accuſationes, tanquam nomenclator aliquis, ex chartula recitabat. Rex, prout jactus ceciderat, per iram duci jubebat inſontes, & lucro delinitus abſolvebat nocentes. Vxor Berenice non paulo cordatior & circumſpectior marito, corripuit è pueri manibus libellum, & ad virum converſa graviter increpuit tantam in re ſeria negligentiam ac ſocordiam, monuitque hominem, ne ſic obiter

obiter ac perfunctorie ſententiam decretoriam ferret de vita miſerorum, tanquam ſi ageretur de capite papaverum aut cucurbitarum. Non enim homines exſculpuntur è quercu, nec de publico ſuppetit unde lucis uſura reparetur. Tales cauſæ plurimum egent conſilii longæque deliberationis, nec facile pronunciandum eſt, ſibi liquere. Iudicium ampliari debet, niſi rebus ad exploratiſſimam veritatem & certitudinem deductis nullus ultra locus cunctationi eſſe poteſt. His, & quæ horum ſimilia dici in eam ſententiam potuerunt, haud indelectatus Rex nunquam ex illo tempore de vita cujuſquam inter animi remiſſiones cognovit, ſed ſerius ac ſobrius ad hujuſmodi judicia acceſſit. Quorſum alio exiſtimatis ſpectare quod olim Prætorum faſces loro colligati ferebantur, appenſis eodem ſecuribus, niſi ut hoc ſymbolo teſtatum fieret, animadverſionem Magiſtratus in puniendis criminibus minime properam, aut diſſolutam eſſe oportere, ſed ſalutari mora, conſiliique maturitate temperandam? Dum enim à lictoribus vincula faſcium reſolvuntur, patet receptus ad portum pœnitentiæ, licet amplius deliberare, datur interſtitium ad emendationem ſententiæ durioris. Rurſus cum leves noxiæ lenioribus remediis, profligata facinora non aliter quam igni & ferro expiari poſſint: virgis objurgabantur, & non erant ab omni ſpe ſalutis derelicti, ſecures autem inſanabilibus malis admovebantur. Athenodorus, vir ſapientiæ ſtudiis, & interiore amicitia Auguſti Cæſaris clarus, quum à clementiſſimo principe cauſariam miſſionem favore ſenectutis obtinuiſſet, in ſupremo digreſſu vocem hanc, veluti noviſſimæ voluntatis fidei commiſſum animo ejus inſtillavit: Quoties, optime Cæſar, ira pectus tuum invaſerit, ne quid feciſſe aut dixiſſe velis priuſquam apud te ſedato corde recolueris omnia literarum elementa. Quo dicto ſummus ille princeps in admirationem viri ſapientis raptus, dexteram ejus prehendit, & abiturienti blandam moram injecit. *Nondum*, inquit, *præſentia tua carere poſſum, adhuc indigeo tam libero, tam ſalubri admonitore.* Nec ſecus fecit atque dixerat, ſed eundem illum ſecum per totum annum detinuit. Sentiebat videlicet inſignis Philoſophus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

homini in ſumma poteſtate conſtituto nihil eſſe majori molimine debellandum, quam animum ultionis avidum: frænum eſſe imponendum iracundiæ; quæ quum maxime ſit inimica rationi, non diſtat à furore niſi temporis exiguitate. Porro nunquam magis officit celeritas & ira ſanis conſiliis, quam quum ad exigendam pœnam eſt procedendum. Ideoque ſi abſque officio & miniſterio judicum ipſa lex quæ cum omnibus ſemper una atque eadem voce loquitur, per ſe vim ſuam exſerere poſſet, ad ejus auxilium & ſanctionem protinus eſſet confugiendum, quæ nullo affectu perrumpitur, nihil gratiæ donat, nihil ſimultati, nec odio aut invidia, tanquam mare tempeſtatibus, inquietatur. Nam (ut præclare ſentit, & eleganter ſcribit Philoſophorum facile princeps Ariſtoteles) qui legem ſtatuit humanarum actionum arbitram ac moderatricem, ſtatuit Deum: qui hominem præeſſe vult, beluam adjungit, niſi conſcientiam mentis ſuæ tanquam numen veneretur, & officii religionem cunctis affectibus aut propinquitatibus anteponat. Hæc & infinita alia quæ ſuper hac materia utiliter & copioſe diſſeri poſſent, vos adhortari debuerunt, optimi adoleſcentes, ne tam præcipites eſſe velletis in efflagitanda morte cujuſquam mortalium. Eſt enim inhumana voluptas & neutiquam conveniens juvenibus optimarum artium ſtudioſis, lætari adſpectu ſuppliciorum, funera & cædes haurire oculis, avideque contemplari ſub gladio carnificis, ſub acie ferri tremebundam morituri cervicem. Nero portentum illud, & fatale malum generis humani, qui continuis mortibus exhauſit florem civitatis, qui fratrem, quo præterito, in adoptionem Cæſarum irrepſerat, qui matrem cujus beneficio non vitam ſolum, ſed & regnum acceperat; qui educatorem ſuum, illud ſapientiæ & virtutis admirabile exemplum, Senecam, interfici mandavit, qui denique nullum ſcelus inauſum atque intentatum reliquit, unde manum abſtineret: tamen oculis pepercit, & jubere ſupplicia contentus fuit, non ſpectavit. Iure exſecratur omnis ætas abominandam illam vocem Vitellii dehoneſtamenti Cæſarum, vocem barbaram, pecude non homine dignam, nedum regnatore principis populi, qua ſe paviſſe oculos ſpectata inimi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

inimici morte jactavit: optime olere occiſum hoſtem, melius civem. Nos quorum indolem humanitatis genius excoluit ac manſuefecit, longe abhorrere debemus à tali dictorum factorumque atrocitate.

—— *Ingenuas didiciſſe fideliter artes*
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Quanto deſideratior memoria, quanto laudabilius eſt nomen ejus, quem fama conſentiens amorem ac delicias humani generis appellavit! qui negabat oportere quenquam à vultu aut ſermone principis triſtem diſcedere, qui ſe diem perdidiſſe querebatur, quo nihil benignitatis in quenquam contuliſſet! Hæc ſunt exempla quæ probis omnibus & ad admirandum, & ad æmulandum propoſita eſſe debent. Quod ſi veſtra ſors non patitur ut facultate conſequi poſſitis cottidianam aſſiduitatem bene de hominibus merendi, ſaltem indole bonitatis, & generoſo affectu Cæſaream humanitatem imitari poteſtis. Benefica voluntas & animi propenſio pro effectu ducitur, quum liberales & munificæ mentes à copiis atque opibus deſeruntur. Etiam inter anguſtias paupertatis humillima conditio trabeatos Romuli nepotes, & purpuratos ſatrapas ſupereminere valet, veris ingenii divitiis, quæ ſola bona cenſeri debent.

—— *Licet ſub paupere tecto*
Reges, & regum vita prævertere amicos.

Cicero in eximia illa oratione, qua gratias agit verbis ampliſſimis C. Iulio Cæſari pro M. Marcello clariſſimo cive in priſtinam dignitatem reſtituto, non dubitat hoc ejus factum, hanc manſuetudinem, & clementiam cæteris omnibus victoriis ac triumphis anteferre, quod authoritatem Senatus & reipub. majeſtatem ſuis vel offenſionibus, vel ſuſpicionibus potiorem habuiſſet. Nihil enim eſt in ſuprema fortuna majus quam poſſe, nihil melius quam velle prodeſſe quamplurimis, & longe lateque pomœria propagare benignitatis ac beneficentiæ. Nulla dote, nullo genere virtutis mortalitas propius ad naturæ divinæ ſimilitudinem accedit, quam miſerendo humanæ imbecillitatis, ignoſcendo erroribus, obliviſcendo injurias, erigendo lapſos, ſalutem dando innocentibus, auxilium calamitoſis, opem impotentibus, ſolatium afflictis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus arces attigit igneas.
Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Non ſine mente & religioſa ratione Iupiter ante Optimus appellatus quam Maximus: nam & gratius eſt nomen pietatis quam poteſtatis, & uſu fructuoſius, juvare multos, quam opes magnas poſſidere. Falluntur enim, & tota errant via recti judicii, quibus ſolida magnitudo videtur timeri, & plurimum valere ad peſtem ac perniciem. Immanitas iſta potius eſt quam majeſtas; cujus auguſta ſedes fundamentum fixit in virtute principum, & in amore ac reverentia ſubditorum. Nocendi perdendique vis & facultas cadit etiam in ſerpentem, in cicutam, in pulmonem rubetæ. Venuſtiſſimum Poëtarum acinus uvæ ſtrangulavit, ictu arboris prope funeratus eſt Romanæ fidicen lyræ, Fabium Prætorem pilus una cum lactis hauſtu potus exanimavit, maximum Monarcham deſpectiſſimi capitis audacia ac temeritas ſpiritu orbare poteſt; ad ſummam, jus vitæ ac necis obtinet in ſupremos Regum timendorum apices, quicunque mortem & cruciatus non extimeſcit, dum id effectum det, quod animo ſecum agitavit. At vero ſervandi gloria nemini competit niſi majori, nec ullis honorum muneribus æque lætata eſt pia mens Auguſti, quam quum ex decreto Senatus, & unanimi conſenſu populi Romani, voce Valerii Meſſalæ Pater Patriæ creatus ac renunciatus eſt. Apum regi negant ineſſe aculeum, ſed armari ſatis ipſa majeſtate. quo ſecreto natura rerum, vel, ut religioſius loquar, opifex naturæ Deus, declarat, iis qui imperio & dignitate multum poſſunt pollentque, minimas ad nocendum vires adeſſe oportere. Vobis quidem, mei juvenes, generoſitas indolis, & ſpecimen magnanimitatis videtur, occiſi commilitonis veſtri vindictam, qua jure, qua injuria perſequi: quum hæc cupiditas naturam potius degenerem arguat, & in ſequiorem atque impotentiorem ſexum ut plurimum cadere conſueverit.

At vindicta bonum vita jucundius ipſa.

Nempe mulieribus, nempe pueris, aut puerili ſententia viris.

Chry-

Chryſippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique ſenex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ ſæva inter vincla cicutæ
Accuſatori nollet dare.

Ipſe Deo natus Achilles,

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,

fatetur ille quidem, iram eſſe dulciorem diſtillante mellis favo, quæ gliſcit & pectoribus hominum illabitur, ſed eandem diris devovet, tanquam cauſam & caput multorum malorum. Eandem aſſimilem facit fumo. Nam ut fumus aciem oculorum mordicante vi præſtringit, ut vix ea quæ ante pedes ſunt videre poſſimus: ſic ira judicium rationis obnubilat, ne verum & rectum intueri queat. Eſto igitur, quando ita placet imperitis, ut quædam voluptas iram comitetur ob ſpem ſecuturæ ultionis: at illud majoris longe animi eſt, injurias, aut remittere, aut diſſimulare.

Invidioſa dabit minimus ſolatia ſanguis.

Mitto jam quid Chriſti vox, quid Euangelii lex, quid charitatis regula præſcribat, cujus tamen rationem in primis habendam eſſe nemo pius negaverit. Audite, ô juvenes, & arrectis auribus attendite mira dictu, mira creditu exempla potentiſſimi contumeliarum animi in hominibus ethnicis, qui ſolam ducem naturam, & humanam rationem tanquam Deum ſequebantur, qui carebant lumine fidei, ſine qua quidquid fit, quantumvis ſpecioſa ſit incruſtatione obductum, tamen à recto deerrat, peccato accenſetur, nec Deo cordium renovatori placere poteſt. Phocion, vir ob innocentiam & morum ſanctitatem in tantum laudandus, in quantum heroïca virtus atque indoles ad ſummum gloriæ faſtigium eniti poteſt, quum eſſet ab ingratiſſima civitate, ab impiis Athenienſibus, omnis humani divinique juris oblitis, per invidiam damnatus, & jam ſe pararet ad ſumendam mortiferam cicutæ potionem, rogatus ab amicis, ecquid renunciari vellet, aut mandari filio ſuo Phoco: Plane (inquit) id unum jubeo ac præcipio, ne hujus injuriæ velit unquam recordari, nec memoriam exprobrare civibus. Hoc enim ultimæ voluntatis oraculo declaravit optimus virorum, ſe patriæ liberationem legare, & filium quaſi publico

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

fœdere devinxit ad fideliter obſervandam legem perpetuæ oblivionis. Non minorem placabilitatis & tolerantiæ gloriam ad poſteros tranſmiſit Ariſtides popularis ejuſdem civitatis, cui à juſtitiæ cultu Iuſti cognomen eſt inditum. Nam quum eum, *ingratifici Argivi, inanes Graii, immemores beneficii*, mulctaſſent propter exſuperantiam virtutis, eo relegationis genere quod Oſtraciſmum nominabant, magnanimus exul interrogatus ab amicis quidnam imprecaretur Athenienſibus tam impie de ſe meritis; Nihil aliud, inquit, niſi tantam rerum omnium proſperitatem & affluentiam, ut illis nunquam in memoriam redeat Ariſtides. Tota Socratis vita nihil aliud eſt, niſi perpetua quædam ſecta conſtantiæ, integritatis, patientiæ. Libet unum è plurimis exemplum heic commemorare, quod meo judicio familiam ducit. Quidam inteſtabilis & illaudatus furcifer ei colaphum impegerat. contumeliam tam inſignem Spartana nobilitate concoxit, & faceta voce ſeſe ulciſci contentus fuit, nihilque aliud prolocutus eſſe dicitur, quam, perincommode moleſteque fieri, quod homines in tempore non admoneantur quando galea muniti in publicum prodire deberent. Quumque familiares eum hortarentur ad rependendas vices, neu talem inſolentiam ſic abire pateretur: Quid, inquit, authores mihi eſtis ut faciam huic verberoni? Subjiciunt continuo, ſuademus ut hominem in judicium voces, & ei dicam impingas grandem, ne inultus hoc auferat. Male narratis, inquit, & fugit vos ratio. num ſi me aſinus calce pulſâſſet, aſinum vobis authoribus vadimonio obſtringam, & ad Prætorem obtorto collo in jus rapiam? Significabat vir altæ mentis, & injuriarum animoſus contemptor, improbum ſcurram, & profligatum nebulonem nihil differre à brutis pecudibus, ab aſino calcitrone, aut à bove cornupeta, qui pauperiem facere poſſunt, injuriam non poſſunt. Romana Reſpubl. quum ſub umbra libertatis animam agebat, non tulit civem omni virtutum comitatu ornatiorem, quam fuit M. Cato junior ille, qui à loco ubi mortem ſibi conſcivit Vticenſis cognominatur. Non ſunt in tranſcurſu, nec propter viam colenda tanta nomina, ſed unum ejus ſingulare documentum incredibilis patien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tiæ tacitus præterire nullo modo poſſum. Ei cauſam oranti frontem mediam excremento oris adſperſerat Lentulus homo factioſus, & inverecundus, omnique pudore dirutus, ut nihil eo dici poſſet audacius ac profligatius. Cato nihil tanta indignitate commotior faciem abſterſit, & habeo, inquit, demonſtrativum argumentum unde mendacii redarguere queam malevolos, & obtrectatores tuos, qui te os non habere criminantur. Quis excelſi animi gloria comparari poteſt cum exule Rutilo? quem quum familiaris quidam bonæ ſpei plenum, & maturi in patriam reditus ſecurum eſſe juberet, quod inſtarent civiles diſcordiæ, quarum occaſione ac beneficio ſors exulum rurſus in priſtino ſtatu collocaretur: Bona verba, quæſo, inquit. & quid de te tantum merui ut pejorem mihi reverſionem, quam abitionem imprecareris? Malo ut patria Romanique cives exilio meo erubeſcant, quam ob reditum mœreant & affligentur. Rex Philippus ab Alexandro filio ſuperatus eſt magnitudine rerum geſtarum, numero præliorum, multitudine ſubactarum gentium, lateque propagatis imperii ditionibus: ſed præcipuis animi bonis, moderatione, continentia, & ignoſcendi facilitate, quæ genus heroum maxime decet, longo intervallo pater filium antevertit. Vt de cæteris ejus præclare factis ſileam, non poſſum contineri quin hoc loco vobis exponam hiſtoriam æternitati conſecrandam. Venerant ad eum Legati Athenienſium: inter eos Demochares ob effrænem intemperantiam linguæ promiſcue in omnes debacchantis Parrheſiaſtes vocitatus. Audita benigne & perhumaniter legatione Philippus, ut erat ingenio natus, & aſſuetudine exercitatus ad devinciendas ſibi hominum voluntates, his aut ſimilibus verbis abeuntes Legatos eſt proſecutus: Dicite, inquit, mihi fidenter, qua tandem in re poſſim officium aliquod exhibere, quod ſit gratum & acceptum futurum veſtris civibus: dabo operam ſedulo, ne benignitatem meam erga vos claudicare ullo modo ſentiatis. Excipit hanc invitationem plenam comitatis ac benevolentiæ barbarus Demochares, & cum dicto ſubjicit, reſtim ſumito, teque ſuſpendito; nihil tali officio gratius noſtræ civitati facere potes. Incandue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rant animi cæteris, nec tam incivile, tam inhumanum, tam impotens reſponſum ullo pacto ſine præſenti pœna dimittendum eſſe communiter judicabant; quos Rex imperatoria brevitate placavit, & Therſiten illum ſalvum atque incolumem abire paſſus eſt: Vos autem reliqui Legati, inquit, renunciate Athenienſibus, multo eſſe intolerabiliores qui talia proferre non verentur, quam qui hujuſmodi protervitatem impune audiunt. Idem ajebat ſe hanc gratiam debere Athenienſium oratoribus, quod aſſiduis eorum convitiis melior indies efficeretur, ac diligentius vitam inſtitueret. Id enim unice ſibi in ſtudio eſſe, ut eorum calumnias rebus ipſis, & moribus confutaret; quod eſt præſtantiſſimum genus ultionis. Hæc æternæ laudis, & memorandæ virtutis documenta non ſolum nobis contemplanda ſunt, ut ea memoriæ mandemus, & ſcientiis comprehendamus ad pompam atque oſtentationem, quemadmodum nummis utimur ad numerandum: ſed aſſidua meditatione perficiendum eſt ut inoleſcant animo, ut permanent ad imos ſenſus, ut vertantur in ſuccum & ſanguinem, ut in actum educantur, & ad mores proficiant. Hæc à gentilibus, à profanis hominibus deſignata ſunt, quorum mentes non illuſtrabat Fides, non dirigebat Charitas, non gloria unius Dei, quæ ſuprema lex eſt, & ſola norma laudandarum actionum. quid Chriſtianæ pietati, quid Euangelicis pectoribus facere convenit? Vos qui Theologiæ ſacris operamini, auſcultate voci divinæ. Mea eſt ultio, inquit Deus, & ego rependam. Vſurpat ergo partes ſupremi Numinis, qui privata cupiditate vindictam expoſcit: & parum memor eſt humanitatis, quicunque odio inflammatus hominem ad ſupplicium rapi videre geſtit. Vos qui juri operam datis, ut juſtitiæ ſacerdotes evadere poſſitis, an vos fugit, judiciorum vigorem juriſque publici tutelam in medio conſtitutam videri, ne quiſquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem? non eſſe ſingulis concedendum quod per magiſtratum publice fieri debet, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi? Vim cenſeri, ſi quis aliter quam actionibus experiatur, nec per legitimos tramites coram judice petitiones ſuas inſtituat? Neminem in ſua cauſa judicem eſſe, vel

jus

jus ſibi dicere debere? Vos item qui ad Medicinæ facultatem animum appellitis, nonne vel ex Hippocrate veſtro, vel ex communi ſenſu didiciſtis, non eſſe urendum ſecandumve, niſi quum periculum eſt, ne ſinceræ partes in mali aſſenſum rapiantur? non prius eſſe ad ultimæ neceſſitatis remedia decurrendum, niſi poſtquam depoſitæ ſalutis æger nullis lenioribus auxiliis juvari poteſt? Vos qui diſciplinis humanioribus curam atque induſtriam devoviſtis, nonne vel ipſum nomen humanitatis vos admonet, ut hominis quamlibet vilis & abjecti miſereri velitis; qui, ut cætera omittam, certe communem vobiſcum naturam ſortitus eſt? Vos qui Poëſim amatis, infigite animo dictum aureum ingenioſiſſimi vatis,

Conveniens homini eſt hominem ſervare voluptas,
Et melius nulla quæritur arte favor.

Reponite intimis ſenſibus illud Satyrici,

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Nihil frequentius occurrit in monumentis Poëtarum, qui primi ſapientiæ magiſtri, & divinæ mentis interpretes fuiſſe perhibentur, quam voces velut ex tripode Phœbi depromptæ, quibus gentem humanam hortati ſunt, ut humanitatis officia colerent, & pravos affectus, in primis autem aviditatem atque iracundiam moderari niterentur. Dies me potius, quam diſſerendi materies deficeret, ſi quæcunque ad eam rem faciunt, coner exponere. Non alia mente fingitur Orpheus cantu traxiſſe arbores, ſtitiſſe curſus amnium, permulſiſſe ſenſus atque animos brutorum animalium, quam quod homines, ferino ritu viventes, ad cultum civilitatis & humanioris vitæ traduxerit. Ob eandem cauſam

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Quid ille Trojani belli ſcriptor, qui divinum opus Iliadis exædificavit?

——— à quo ceu fonte perenni
Vatum Caſtaliis ora rigantur aquis.

An non pene totus in eo verſatur, ut norit ſe interprete poſteritas

Iratus Graiis quantum nocuiſſet Achilles?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Statim in veſtibulo deam invocans, ait:

Iram Pelidæ memora mihi callida Muſa
Terribilem, quæ mille malis mulctavit Achivos,
Illuſtreſque heroum animas ad Tartara miſit.

Cui prævalido & impotenti vitio quam difficulter obſiſtatur, is ipſe Thetidis & Pelei puer inſigne documentum præbet, qui vix interventu Palladis cohiberi potuit ne manum inquinaret cæde paſtoris populorum & regis regum Agamemnonis. Animus enim prius occupatur ab iracundia, quam ratio ſeſe componere poſſit ad reſiſtendum.

Iræ Thyeſtem exitio gravi
Stravêre: & altis urbibus ultimæ
Stetêre cauſæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

Sed non eſt mihi in præſentia decretum compilare ſcrinia poëtarum, nec ea perſequi quæ à doctiſſimis hominibus dici ſolent ad reprimendam furialem vim iracundiæ: nam nec modum haberet oratio, & voces ſapientiæ in medio poſitæ ſunt, unde cuivis veſtrûm fas eſt haurire quæ ex uſu fore videbuntur. Huc accedit quod me de ſemita in viam revocat juſta dubitatio quæ veſtris mentibus occurrere poteſt. Dicat enim forte quiſpiam, quorſum hæc tam multa de oblivione injuriarum, de non appetenda ultione, de frænanda iracundia, quæ pleriſque nota fuerunt priuſquam Theognides naſceretur? quis ſcopus eſt, quæ mens hujuſce diſſertationis? quin verba confers ad compendium, & ſepoſitis ambagibus ad ipſam rem venis? Occiſus eſt in ſede ac domicilio Muſarum juvenis ſumma ſpe virtutis, ingenii ac doctrinæ. De facto conſtat, de authore non ambigitur, qui nullo tropo aut ſchemate utitur, ſed ultro quaſi re bene geſta confeſſionis gloriam amplectitur. Quid heic fiet? an tale facinus ſic abibit? an crimini decernetur impunitas, & pronunciabitur adoleſcentem jure cæſum videri? Quidni vero fiat, ſi res ita, ſi aggreſſor fuit, ſi jure cæſus eſt? Nihil me terrent veſtri clamores & inconditi ſtrepitus, quin ore libero, & quanta poſſum voce proloquar id quod ſentio. Non enim agitur de lana caprina, ſed creaturæ ad imaginem

Dei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Dei conditæ ſalus & vita periclitatur. Controverſia facti nulla eſt, rei confeſſo dubitationem omnem eximit, ſola juris diſceptatio reſtat, & in eo cauſæ cardo vertitur, uter utrum prior ſit aggreſſus. Integris animis, & ab omni perturbatione liberis, ſine odio, ſine invidia, & rurſus ſine gratia aut favore dijudicandum eſt, utrum patrator cædis homicidii reus ſit, an communi gentium jure vim vi, quum aliter ſe tueri non poſſet, repreſſerit, ac propulſarit, quod omnes leges omniaque jura permittunt. Hæc quæſtio, mei juvenes, eſt extra territorium & ſupra juriſdictionem veſtram: permitti debet eorum fidei ac religioni qui tribunali præſunt. Ideo enim leges latæ ſunt, quibus civitates reguntur, ideo magiſtratus inſtituti, ne quiſque ſui doloris vindex eſſet. At enim, ut opinio veſtra fert, & ut paſſim rumor in vulgus diſpaleſcit, judicium protelatur, & hoc agitur ut per tædia ac moras noxius eludat impetum publicæ animadverſionis. Imo ſervantur ſolennia legitimi judiciorum ordinis, itur per conſuetos & uſitatos tramites, nihil fit præter morem & inſtituta majorum. Diu certatum eſt, ut vobis omnibus liquet, inter magiſtratum academicum & urbanum, utrius eſſet juriſdictio. Magnis res ſtudiis & contentionibus agitata fuit, adhibiti ſunt in conſilium præſtantiſſimi cauſarum patroni. Tandem litem diremit ampliſſimorum Ordinum authoritas, quæ nobis ſacroſancta & irrefragabilis eſſe debet. Illis ſupremam jubendi poteſtatem Deus attribuit, nobis qui ſub eorum ditione vivimus, nihil eſt affectandum præter obſequii gloriam. Decreverunt proceres noſtri rebus omnibus probe ſubductis, & examinatis utrimque rationibus, ut hujus urbis judices de cauſa cognoſcerent. Quamvis autem conſtituentium authoritas pro omni ratione ſit, nec interpretari nos ſed exſequi mandata Dictatorum noſtrorum oporteat, tamen conſtat illis optime facti ratio. Prætor enim urbanus, idemque (ut vulgari verbo utar) promotor Academicus, manum injecit in reum nomine ac juſſu Magiſtratus urbici, cui ob eam cauſam jure præventionis non ablata potius eſt juriſdictio; quam conceſſa videri debet, ut ex præſcripto legum judicium ibidem finiretur ubi ſemel occeptum

ptum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ptum eſſet. Ne qua tamen labes fieret ſtatutis ac privilegiis noſtri Lycæi, ſi res traheretur in exemplum, & produceretur ad conſequentiam, Ordinum diploma ſeu decretum conſtitit intra ſpeciem ejus perſonæ & controverſiæ de qua nunc diſceptatur. Ac ut periculis & offenſionibus in poſterum obveniretur, miſſus eſt invidiæ ſanguis, & exauthorati ſunt priſtini vigiles, atque eorundem Ordinum edicto permiſſa eſt poteſtas Rectori & Aſſeſſoribus, ut alios ſuffragio ſuo legant, qui tanquam pars & membra noſtri corporis cenſeantur; ut ſive agant ſive conveniantur etiam ex cauſa quæ nihil habeat affine cum rebus & rationibus Studioſorum, tamen non aliud forum competens agnoſcerent, nec inviti in jus vocari poſſent, niſi coram judicibus Academiæ. Id ſi vulgare beneficium, & pro levi ducendum videtur, bona veſtra parum gratis animis interpretamini. Cur igitur tumultuamini? cur fremitis? quid indignamini? nonne ſubditi, & privati eſtis? num veſtro modo, & arbitratu leges figentur ac refigentur? magiſtratuum officia definientur? homines inauditi, & indefenſi, tanquam piaculares victimæ rapientur in crucem? An non habent urbani judices conſcientiam jurejurando devinctam? non eſt illis cura ſuæ ſalutis? non metuunt Deum vindicem & inſpectorem ſuorum operum? Imo & illud ex animi ſententia teſtari & affirmare non vereor, vos ipſis maxime cordi eſſe, quamvis nunc præpediti ſiniſtris ſuſpicionibus aliter exiſtimetis. Satis norunt, ſatis intelligunt, quantum decus & ornamentum adferat hæc Academia non ſolum Senatui Populoque Leidenſi, ſed univerſæ potentiſſimorum Ordinum ditioni. Verum nunc non agitur, utrum civitas benevolo ſit affectu proclivis erga vos, an frigus aliquod ſenſerit, ex quo tantas turbas dediſtis. Illud in judicio dicendum eſt, utrum ſocius & commilito veſter ſcelere an jure ſit interemptus. Heic ſi quid gratia veſtra valet, ſi ſtudia & officia quidquam poſſunt, ad ſalutem & opem miſerorum, ad ſublevandam ſortem periclitantium valere debent, in pernicie vero & in afflictis hominum fortunis repudianda ſunt. Sæpe reis nihil æque profuit ad evadendum damnationis diſcrimen, quam nimia potentia, dignitas & autho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

authorias accuſatorum. Noluerunt enim ſapientiſſimi judices, & multum in poſterum proſpicientes, committere, ut quiſquam nimiis adverſariorum viribus atque opibus, magis quam ſuo crimine fractus, ac debilitatus eſſe videretur. Sit poſtremæ ſortis, & humillimæ conditionis homuncio is, de cujus corio nunc certamen cernitur. Vigil erat, publica authoritate armatus ad tuendam quietem & ſecuritatem urbis. Aſinum putatote fuiſſe, ſed qui ferat ſacra Iſidis. Eum ſi quis invadat fungentem ſuo munere, nulla non eſt honeſta ratio expediendæ ſalutis. Quid ergo ſi is, quem tanquam caput noxa devinctum ad exitium dedi tanta obſtinatione poſtulatis, innocens deprehendatur? Si ſervavit moderamen inculpate, an æquum erit eum veſtræ libidini pro nocente, velut odii publici litamentum, immolari? quum ex reſcripto optimi principum Trajani ſatius ſit, impunitum relinqui facinus nocentius, quam innocentiam condemnari. Si non poteſt abſolvi qui factum agnoſcit, jampridem reus ſuo judicio damnatus eſt, nihilque reſtat niſi ut cotinuo lege cum eo agatur. Confeſſi enim in jure pro judicatis habentur. Sin confitenti patet aditus ad implorandum legis auxilium, & ad proponendam juris defenſionem, cur novo more, cur exemplo trahenti perniciem, hic miſer homo à communibus innocentiæ perfugiis, tanquam ab aſylo, deripiatur? Quis erit inſons, ajebat Imperator Iulianus, ſi accusâſſe ſufficiat? Quis autem vos ſtatuit judices, quis vobis ſuffragii jus dedit, ut Dictatoria majeſtate civem indemnatum carnifici tradendum eſſe decernatis? qui ne idoneam quidem perſonam ſuſtinetis, ut accuſatorum partes tueri poſſitis, quippe quos capitali odio concitari palam eſt: &, ſi in actiones veſtras inquirere vultis, domi ſat erit, quod Cenſoria notatione animadvertendum ſit, ne foris quæratur adverſarius, in quem gladiatorio animo telum accuſationis intendatur. Vultis apertius, ac ſine ulla circuitione verborum, me vobiſcum loqui? Conſcientiam veſtram interrogo, an ideo huc miſſi eſtis, ut nocte ſtrictis mucronibus aggrediamini vigilum excubias? ut ſomnos civium horrificis clamoribus, & Stentorea vociferatione conturbetis,

tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tanquam ſi Hannibal eſſet ad portas? ut lapidibus vitreas feneſtras confringatis? ut aciem gladiorum veſtrorum exploretis ad ſtrata platearum? Scio equidem ex petra non elici ſanguinem, nec ego vobiſcum experiendum cenſeo lege Cornelia de ſicariis. Sed tamen ipſi me tacente ſatis veſtra ſponte intelligitis, quam hæc talia parum deceant verecundiam ætatis veſtræ, quam non ſint ex diſciplina ſectæ Studioſorum, quam abhorreant ob intenſi Catonis auſpiciis, veterumque norma. Neſcio an id genus exercitii conducat ad rectam valetudinem, nihil hujuſmodi quidquam in Aphoriſmis Hippocratis obſervatum aut præceptum eſſe memini, litem iſtam medicorum filiis diſcutiendam reſigno, ne vager extra limites meæ profeſſionis: ſed hoc cuivis ſano liquet, talem laſciviam minime convenire ingenuis ingeniis; nec miſceri poſſe cum gravitate ſapientis. Confeſſus eſt unos è veſtro grege: facinus indignum, & ſeveriter exſequendum ſi injuria; caſus triſtis, & deplorandus, quocunque modo id acciderit. Sed vos in ultione perſequenda quid conſilii, quam rationem eſtis ſecuti? Ne quid dicam acerbius, nos mera mapalia feciſtis, vos ex plauſibili cauſa, & in ſpeciem favorabili peſſimam & maxime odioſam effeciſtis. Primum exorſi eſtis ex abrupto ab exploſione Profeſſorum, quaſi noſtra culpa ſocius veſter eſſet interfectus. Sed videlicet perſuaſum vobis eſt hac ſola via confieri poſſe quæ vultis, ſi docentium officia veſtro ſtrepitu impediantur, ut olim apud Romanos Iove tonante aut fulgurante comitia dirimebantur, nec fas erat agi cum populo. Cenſeo referendum in commentarios hoc horribile ſecretum, ut habeant qui ſedent ad clavum reipubl. quod ſequantur & æmulari commodum ſit in difficillimis temporibus, & in perturbatiſſimo ſtatu civitatis. Atque utinam veſtra intemperies non eſſet ulterius progreſſa: condonaremus crudo dolori, & violentiæ juventutis hanc minime tamen vulgarem contumeliam. Sed pudet pigetque recordari, quas deinde pugnas, quæ prælia, quantas ſtrages edideritis. Vidi, vidi, magno meo cum dolore & æterno veſtro cum dedecore ſtrata, disjectaque fœdum in modum pulpita, ſcamna, ſubſellia, tanquam ſi vis aliqua major, &

cœlo

cœlo miſſa calamitas iis locis incubuiſſet. Luſtravi oculis veſtigia, & monumenta ſævitiæ dicam an væcordiæ, qua debacchati eſtis in res mutas atque inanimas, expertes omni ſenſu doloris atque injuriæ. Ne nihil egiſſe putetis, ſcitote à vobis exauguratum eſſe templum Themidis, ſedem & ſacrarium Muſarum prophanâſtis, factus eſt impetus in adyta penetralia Palladis, ipſum imperii pignus evertiſtis. O rem auditu relatuque fœdam, non ſolum viſu! Si prophana plebs, ſi vulgus ignobile, ſi quos per irriſum & ludibrium Platteros appellatis, talia facinora perpetraſſent, quis eſſet tam lenis ac miſericors qui illis ignoſcendum putaret? Quanto gravius eſt veſtrum flagitium, qui ſacris literarum initiati, liberalibus ſtudiis exculti, præceptis inſtitutiſque ſapientum eruditi, luce palam, ſicci & ſobrii, tam inſanum facinus admiſiſtis? qui matrem & nutricem veſtram violâſtis? qui, quod proprie furioſorum eſt, in propria viſcera ſæviiſtis? Nihil quidem effuſum eſt humani cruoris, & præclaram ſcilicet abſque cæde victoriam reportâſtis: author ſum ut myrto coronati, tanquam Veneris nepotuli, debellatis citra ſanguinem hoſtibus, ovantes urbem ingrediamini, vel pro foribus Academiæ curetis appendendam è fronde querna coronam cum inſcriptione magnifica, OB CIVEIS SERVATOS. quam gloriam pluris æſtimabat is qui domita nomen ab Africa lucratus rediit, quam ſi innumeros perduelles ſecundo Marte ſubjugâſſet. Ac ut majeſtas loci clarior eſſet atque illuſtrior, apparebant vitrea pluribus locis effracta, crebriſque lapidationibus perfoſſa. Credo, vobis in animo fuiſſe fanum Termino conſecrare, auſpici perpetuitatis, qui ſub dio, nudoque ſub ætheris axe ſemper habitat, quod Iovi ſupremo cedere non ſit dignatus. Iacturæ quidem pretium exili ſumptu reparari poteſt, ſed probri maculam & ignominiæ labem vix omnibus undis abluerit genitor nympharum Oceanus. Tamen quaſi rebus fortiter ac feliciter geſtis, minamini vos hinc eſſe diſceſſuros, & in hoc multi fidem obligâſſe ſcripto, vel ſacramento, feruntur. An ideo Leidam orbam, & deſolatam fore imaginamini? Nolite hanc animo fiduciam concipere, non eſt quod vobis uſque adeo placeatis. Vos quidem

eſtis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

eſtis præcipua ſeges & materies noſtræ gloriæ, dum fa-citis ea quæ vobis digna ſunt, dum ſtrenue officio in-cumbitis, dum ſedulo reputatis quam inſignem & ho-norificam exſpectationem patria parenteſque de veſtris ſtudiis ſibi polliceantur. An non ex hoc ſeminario pro-deuntibus annis exiſtunt ingenia juvenum, qui publi-cis privatiſque muneribus obeundis ſeculum ornare poſſint? Alii periclitantem innocentiam præſidio ſuble-vant, alii dirimunt ambigua fata cauſarum, lapſa eri-gunt, fatigata reparant, nec minus provident humano generi, quam ſi manu militari patriam defenderent. Alii ſe iis artibus inſtruunt, quibus aliquando vel moderandæ religioni, vel regendis populis, urbibuſque adminiſtran-dis, præeſſe mereantur. Nec ſua laus deneganda eſt iis, qui affectis hominum corporibus medicinam faciunt, quo nomine vetus ſuperſtitio multos cœlo dicavit, & adſcripſit choro divorum. Sunt quibus unicum opus & ſtudium eſt veritatis inveſtigatio, cujus dulcedine quaſi quodam naturali mentis pabulo deliniti à rebus geren-dis ſe ſubmovent, qui & ipſi non degenerem locum in hac mundi univerſitate tuentur. Denique tam late pa-tet campus virtutis atque honoris, ut nemini bono, in quo quidem ſit indoles induſtriæ, ſui proferendi facul-tas intercludatur. Vos ex eo ligno eſtis unde fabricantur tales Mercurii. In hanc ſpem vos educarunt parentes, hac fine pedem huc intuliſtis, ut bonæ frugis copiam, & optimarum artium ſcientiam domum reportetis. Et-iamſi à vobis relinquamur, deſeramur, prodamur, non relinquemus tamen, non deſeremus, non prodemus glorioſam ſtationem, in qua nos famæ favor, & conſpi-rans magnorum virorum ſuffragatio collocavit. Per-ſtabimus in bene merendi propoſito, & utcunque Ne-ptunus atrox ingruat, rectum clavum tenere conabi-mur in his Academiæ turbinibus ac tempeſtatibus: ve-ſtrique miſerebimur, qui tam proterve & intemperan-ter contemnitis occaſionem proficiendi. Vobis ſeritur, vobis metitur, vobis feret hic honorem ac lætitiam la-bos. An arbitramini, vobis hinc dilabentibus, nos con-ſimiles fore iſti amabilis inſaniæ fatuo,

Qui ſe credebat miros audire Tragœdos
In vacuo lætus ſeſſor plauſorque theatro?

Mittite

Mittite hanc de pectore curam. Non egemus, ut opinor, elleboro; nec talibus medicis ſupplicandum haberemus, ſi cum eo genere morbi conflictaremur. Pace veſtra liceat dixiſſe, quod olim haud ignobilis author effatus eſt, quanquam nomen ejus ignoratur, Satis ſunt nobis pauci lectores, ſatis unus, ſatis nullus. Non erimus infirmiores animo quam Poëta vetus, qui quum in ampliſſimo cœtu ac frequentiſſimo longum carmen recitaret, & omnes extra ſolum Platonem auditores dicentem deſeruiſſent, Legam, inquit, nihilominus. Plato enim unus mihi eſt inſtar omnium. Quid? an in arte ludicra tibicen Antigenidas diſcipulo apud populum frigenti dicere non dubitavit, ut ejus animum erigeret deſperatione debilitatum, Mihi cane, & Muſis; nos qui in utiliſſimo & honeſtiſſimo docendi munere verſamur, ea erimus teneritudine & imbecillitate frontis, ut auditorum frequentia vel raritate, quaſi adverſo vel ferente vento nunc extollamur inani gloria, nunc mœrore ac triſtitia deprimamur? Patiemurne, à muliercula nos, à mima ſuperari, quæ contempto multitudinis conſpectu ſatis habebat equidem ſibi plaudere? Male nobis conſtaret vigiliarum & ſtudiorum ratio, ſi hoc tantum aſſecuti eſſemus, ut nos turba miraretur. Nunquam inter viros illuſtres apparebit cui nihil altius propoſitum fuit quam ut populo placeret. Vulgus eſt peſſimus magnarum virtutum æſtimator, nec tam bene cum rebus humanis agitur, ut honeſta quæ ſunt & præclara, judicio majoris partis comprobentur. Adeo autem cordatis & ſapientibus viris ſuſpectum falſi fuit ſuffragium multitudinis, ut memoriæ proditum ſit, Phocionem, ad amicos converſum, ex iis quæſiſſe, nunquid ſibi per imprudentiam aliquid abſonum excidiſſet, quum ſententiam à ſe prolatam videret unanimo totius populi aſſenſu fuiſſe approbatam. Quicunque veſtrûm hoc ipſum imputant, & gratiæ apponi cupiunt, quod aures nobis impartiri dignentur, eos, ſi non pro imperio ſummovemus, & arcemus à ſacris, ſaltem æquo animo patiemur ſi non interſint noſtris recitationibus. Sibi magis, & utilitati ſuæ ſunt injurii, quam cuiquam noſtrûm. Dei clementia & benignitate non deeſt nobis unde literarum gloriam, & ſæculi

culi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

culi dignitatem propagemus, etiam ſi male conſulta juvenum turba faceſſat hinc in ultimas terrarum oras. Valde debili præſidio muniretur fama & exiſtimatio noſtra, ſi à veſtro frigore detrimentum caperet, vel à favore confirmaretur. Quæ malum confidentia vobis hos ſpiritus parit? Num virtutem eſſe creditis verba & voces, ut ligna lucum? Num arbitramini Academiam conſiſtere in congeſtu lapidum, in muris & parietibus, in ſuggeſtibus ac ſubſelliis? Nihil minus. Roma Veiis erat qua tempeſtate maximus ille patriæ liberator Camillus exulabat pulſus ab ingrata civitate. Quicunque rempublicam ſalvam volunt, ſunt cives Romani. *Qui recte conſulat, Conſul fuat.* Quod effatum Hannibali ſolertiſſimo duci, & fortiſſimo bellatori tribuit Ennius, id communiter ſibi quiſque vir animoſus applicare poteſt cum honeſta fiducia,

Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginenſis.

Civitas Athenienſium ſita erat in ligneis muris, quum adverſus Perſarum claſſem relicta urbe & arce juventus Attica tutelam ac libertatem patriæ velis & remis commendavit. Libet gloriari cum magnimo Biante, Omnia noſtra nobiſcum portamus. adventitia bona, & fortunæ miſſilia, quæ vulgus attonitum ſtupet, quæ caſibus obnoxia ſunt, quæ momento mobilis horæ tranſmutant dominos, ea in cenſum non referimus. Ibi patria eſt, ubicunque vir ſapiens & involutus ſua virtute ſedem eligit. ibi exilium, ubi non eſt honeſtati locus. Quocirca pro virili parte exornabimus Spartam, quæ non ſortito nobis, ſed perpenſo bonorum judicio decreta ceſſit. nec ſocordia noſtra committemus, ut munus aſſignatum à Deo defugiſſe arguamur. Si nos deſtituat auditorum celebritas, ſi uſitata juventutis corona ſtipati non erimus, ipſi parietes medius fidius diligentiæ, & aſſiduitatis noſtræ tacitum teſtimonium perhibebunt, vobis ingrati animi notam exprobrabunt, qui beneficia Deorum agnoſcere, iiſque frui detrectaveritis. Poſtremo ſemper integrum erit viris omni officio perfunctis, imitari exemplum Solonis, cujus quum patriam occupâſſet tyrannus, & omnia tentamenta recuperandæ libertatis fruſtra ceſſiſſent, tandem arma deponens ad limen & veſtibulum curiæ, profa-

tus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tus eſt hanc altam & heroïcam vocem; O Patria, ô leges, ô mores & jura majorum, vobis, ut optimum civem decet, & opera, & conſilio, pro viribus opitulatus ſum: nunc urgenti fato cedendum eſt. & cum dicto domum ſe recepit in poſterum quieturus. Sed ô male feriati juvenes, ô corda oblita beneficiorum! hanccine gratiam rependitis iis, quorum omnes curæ, cogitationes & vigiliæ in utilitate veſtra defiguntur, ut eos aut exploſione traducatis, aut voluntario fugere exilio deſtinetis! An crimen eſt bene mereri de repub. literaria, excubare pro communibus bonis, invigilare commodis Studioſorum? Quid enim aliud nobis opprobrio vertere poteſtis, quam quod fortiter & ſevera lege vos amamus? quod etiam ſpreti deſpectique vos ultro ambimus & obſecramus, ut in officii viam revertamini? quod reluctantes & invitos tamen beneficiis afficere contumaciter perſeveramus. At abſceſſu veſtra ſiquidem ſtat ſententia proficiſci ad alias gentes, non obſtabitis monumenta ingenii ac doctrinæ per univerſum orbem, ubicunque laudi ſunt ſua præmia, diſſeminemus, ut nova juvenum ſoboles huc eliciatur, ſi non ingenio promptior, ſaltem obſervantior boni moris ac diſciplinæ, tenax pudoris & verecundiæ, minus infecta vitio effrenis licentiæ, quam vos falſa rerum imagine decepti, ſpecioſo vocabulo libertatem appellatis. Vera libertas eſt parere bonis legibus, non pœnarum formidine, ſed amore ipſius honeſtatis: & quia id communiter expediat, inſervire officio, colere & revereri magiſtratum, ſub cujus auſpicio publica pax & tranquillitas patriæ ſecura conquieſcit. Legum omnes ſervi ſumus, ait

Flos delibatus populi, ſuadæque medulla,

M. Tullius, ut vere liberi eſſe poſſimus. Hæc vero ſola eſt ſublimis, excelſa libertas, quæ regnum & diadema tutum poſſeſſoribus ſuis defert. qua qui præditus eſt rectius gloriari poteſt ſe regem eſſe, quam Tarquinius, qui nec ſe nec ſuos regere potuit, quam peſſimus optimi parentis filius C. Caligula, qui de conditione temporum ſuorum queri ſolebat, quod nullis publicis cladibus inſignirentur, qui optabat ut populus Romanus haberet tantum unam cervicem, qui cœlo

iratus

iratus, quod Pantomimorum commiſſiones imbribus ac fulminibus turbarentur, ad pugnam provocavit Iovem, & quidem ſine miſſione ut alter eorum caderet, Homericum illum exclamans verſum;

Aut tu me tolle, aut ego te.

Quis eum ferre potuiſſet, qui Iovem ferre non poterat? At idem qui deos tanto faſtu deſpiciebat, ad fulgura & tonitrua connivebat, caput obvolvebat, proripiebat ſe è ſtratis armenti ſimilis, ac ſub lectum condebat. An Imperatoris nomine ac dignitate cenſendus eſt ille ſtipes & truncus hominis, illud ſervum pecus Claudius, juſtiori titulo Caudex appellandus, quam Cœci frater, unus ex ipſius majoribus? hunc dico Claudium, qui quum eſſet civium Romanorum dominus, libertorum ſervus erat. horum nutu ac libidine regebatur, & huc illuc impellebatur, ut nervis alienis mobile lignum. per hos præturas, ſacerdotia, conſulatus, ſupplicia clariſſimorum virorum, impunitates maximorum ſcelerum, omnia denique, largiebatur. Horum præcipue Narciſſi

Paruit imperiis uxorem occidere juſſus.

Quid de Nerone loquar, cujus barbara feritas effecit ut nomen ejus non hominis, ſed teterrimæ belluæ, & immanis monſtri nomen eſſe videatur. ecquid beatus veſtro judicio, aut omnino liber fuiſſe exiſtimandus eſt? qui elatus impunitate ſceleſtiſſimorum facinorum negabat, quenquam ante principum ſciſſe quantum ſibi liceret? qui vovebat ut ſe vivo ac vidente terra igni confunderetur? Quem vero tandem exitum vitæ habuit! tam dirum, tam horribilem & abominandum, ut ſine ingenti motu animorum legi non poſſit, niſi ſcelerum immanitas omnem miſericordiam abſumpſiſſet. Nec homo vocari meretur Domitianus, opprobrium illud ac dedecus Flaviæ gentis, natus in exitium generis humani, qui ſe dominum deumque dici non paſſus eſt tantum, ſed edicto præcepit: unde merito terribilis & inviſus cunctis, intimorum familiarium & uxoris conſpiratione tandem eſt oppreſſus. An vos tyrannum quenquam fortunatum, aut adeo liberum eſſe cenſetis, oppreſſorem legum ac libertatis civium? quiane purpura fulget? quiane copiis atque opibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

opibus exuberat, luxu diffluit, frequenti ſatellitio ſtipatus incedit? cujus ea vitæ lex & conditio eſt ut ſemper timeat & timeatur? ut poſſit interfici cum maxima gratia & gloria interfectoris? qui quum longe lateque ſui terrorem diffundat, ipſe intus pavet, & miſere formidat eos quibus eſt formidini? nec eas manus ſecurus adſpicit, quibus ſalutis ſuæ cuſtodiam reponit? qui ut potens eſſe videatur, in ſervientium patientia conſiſtit? Imo nulla eſt miſerior ſervitus quam eorum qui in ſupremo dignitatis faſtigio conſpiciuntur, niſi reverentiam ex bonitate & clementia, non odium ex atrocibus imperiis aucupentur. Timor enim eſt infirmum vinculum ſtabilitatis, nec diuturni magiſter officii. Nulli autem regnatori tanta potentia, tantæ opes ſuppetunt, ut caput ejus à fatali exitio ſervare valeant: ubi ſupra modum odia creverunt. Lucius Sylla ſibi Felicis cognomen adoptavit: at nihil eo fuit infelicius, ſi ad lumen perſpicuæ rationis oculos mentis erigamus. An ulla poteſt eſſe in patrandis ſceleribus felicitas? in everſione libertatis civium? in abolitione juris humani atque divini? in internecione hominum innocentiſſimorum? An ideo Venereus ille pullus, & fortunæ alumnus beatus eſt putandus, quod tot Quiritum millia proſcripſit, & indignis modis trucidari imperavit? O pravum de rebus judicium! ô ſiniſtram veræ felicitatis æſtimationem! Infeliciores ſunt mali (ut acute nec falſo pronunciat Boëthius) quum cupita perfecerint, quam ſi ea quæ cupiunt implere non poſſunt. Nam ſi miſerum eſt voluiſſe prava, potuiſſe miſerius eſt, ſine quo voluntatis miſere langueret effectus. Si relegata fortunæ pompa & ambitione rem ipſam intueri velimus, melior fuit eorum ſors qui neſaria proſcriptione perierunt, quam ejus qui talia perpetravit impune. Nam cum ſatius eſt pati quam inferre cuiquam injuriam, tum improborum mentes ſemper cruciatibus conſcientiæ, tanquam ardentibus furiarum tædis exagitantur, & ſecum ubique circumferunt domeſticum tortorem. Adde quod proſcriptorum manes miſericordia, & honorifica recordatione proſequimur, at Syllam omnis poſteritas abominatur. Videamus etiam quam diræ mortis genere ſontem animum expiraverit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ut certius de beata ejus fortuna decernere poſſimus. Nempe à fœdiſſimo germine pediculorum exeſus atque eroſus eſt. Pavit corpore ſuos carnifices, & vivus ac videns interfuit proprio funeri. Contemptiſſimus ſepedum animalium populus de Felice iſto Romulo triumphavit. Caput illud adoratum gentibus,& cultum inſtar alicujus numinis, tantam ex ulceribus mephitim exhalabat,ut niſi metus & horror priſtinæ majeſtatis imperâſſet faſtidio miſerorum mancipiorum, nemo crudelem illam naſorum peſtem tolerare potuiſſet. Ex his, & aliis innumerabilibus exemplis, quæ ſuper tam inſigni materia ad teſtimonium citari poſſent, abunde confirmatum eſſe arbitror, vos errare tota via, qui libertatem exiſtimatis conſiſtere in rerum malarum licentia atque impunitate, quum tanto ſint miſeriores non ſolum privatæ conditionis homines, & ex ima fæce plebis, ſed ipſi populorum principes, & late terrarum domini, quo plura illis contra fas atque honeſtum facere licet. Quanquam licere quum dico, ſermonis errore labor, nec ex animo, ſed cum vulgo loquor, praviſſimo recte ſentiendi magiſtro. Nam ſi ad ſinceri judicii lancem ratio exigitur, nemini peccare licet. & graviter à Satyrico ſapienter ſcriptum eſt,

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

An quia ſæpe facinoroſi homines,vel furto fallunt oculos inquirentium, vel gratia elabuntur, aut largitionibus judicia corrumpunt, ideo Deum cordis inſpectorem, & mentis ſuæ conſcinetiam vitare poſſunt?

Quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul
Se quoque fugit?

An quia præpotentium peccata non plectuntur legum pœnis, ideo illis, quæ non oportet, admittendi facultatem permiſſam eſſe arbitrabimur? Longe aliter definit ille

Virtutis veræ cuſtos rigiduſque ſatelles

Papinianus. Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram,& quæcunque contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt. Pernicioſæ ſunt illæ voces, & plerunque perniciem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

niciem attulerunt ſuis authoribus : id jus eſſe quod potentiori ſit utile ; Principem legibus ſolutum videri ; nihil turpe vel injuſtum cenſeri oportere, quod ſit cum aliquo fructu vel commodo conjunctum; in ampliſſima fortuna id æquius, id melius eſſe, quod validius ; Iuſtitiam opinionibus & hominum ſcitis atque inſtitutis, non natura conſtare; rerum dominis licere quidquid libeat. Abeant in morboniam deteſtanda tyrannorum dicta.

Sanctitas, pietas, fides,
Privata bona ſunt, qua libet, reges eant.

Nec Euphemi ſermo dignus eſt aſſenſu, qui apud Thucydidem pronunciat, viro tyranno, aut urbi imperium habenti, nihil à ratione alienum, quod fructuoſum. Quanto verius vidit & elegantius cecinit Tragicus vates,

Minimum decet libere cui nimium licet.

Quanto honeſtius ſenſit maximus Principum Trajanus? à quo quum multa alia ſint moderatè ſapienterque dicta, vel geſta, tum nihil ad æternitatis famam glorioſius, ad exempli normam utilius, & quo vel ſolo nomen Optimi jure optimo commeritus eſſe videri poteſt. Nam quum Præfecto Prætorii gladium vagina liberatum, tanquam inſigne poteſtatis, ſolenni de more in manum traderet, Hoc, inquit, ferro pro me utere, ſi recte & ex utilitate communi rempubl. geſſero : ſin minus, ſtringito id adverſus me. Cui conſonat illa vox digna majeſtate regnantis, legibus ſe alligatum profiteri. Nam ut excelſæ magnitudinis eſt, poſſe quod velis, ita ſummæ bonitatis, velle, quod debeas. Non enim omne quod licet honeſtum eſt, & longe diffuſius patent officiorum fines, quam imperioſæ legum ſanctiones. Deus ipſe, cujus eſt imperium in reges timendos, qui cuncta ſuo ſub numine torquet, voluntariis tamen legibus, tanquam pactis conventis, ſe adſtringit. Nec ſine cauſa finxerunt priſci vates, Iuſtitiam, rerum humanarum divinarumque reginam, aſſidere ſolio Iovis O. M. Non, ut ajebat fœdus ille cultor purpuræ, quia quidquid regi placeret, fas piumque eſſet : ſed è contrario, quia nihil velle debeat regia majeſtas, niſi quod verum ſit & æquum, quod ſana oratio firmet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quod juſtitiæ oraculo comprobetur. Nam ſi tantum quiſque in humana ſocietate exiſtimandus eſt poſſe, quantum habet virium, non modus, non ratio, non lex, non officium valebit: non publica gentium exiſtimatio, non reverentia poſteritatis. Recte quidem dicimus, & religioſa fide credimus de Deo, qui ſolus nec fallere, nec falli aut opinione labi poteſt, quidquid ei placitum eſt, id eſſe ſanctiſſimam legem, id optimum morem, id certiſſimo jure fundari, tametſi nobis interdum ratio non conſtet, quum ejus voluntas ſit norma juſtitiæ & æquitatis. Sed pernicioſe cum humana imbecillitate mens divina comparatur, niſi benigna interpretatio tollat errorem. Hoc interim fixum atque immotum maneat, quod nulla vi labefactari poteſt, ſolidam libertatem ſitam eſſe

Non in feſtuca, lictor quam jactat ineptus:

ſed in eo ut libenter & volentibus animis recta ſequamur, gaudeamus officio, ſubditi ſimus imperio legum, non propter metum ſupplicii, ſed propter decus honeſtatis. Leges & jura ſunt vincula civitatis, quorum miniſter, cuſtos ac depoſitarius eſt magiſtratus, quem ideo colere & omni obſervantia complecti debemus. Hæc eſt illa mens quæ per univerſum naturæ corpus diffuſa, gentes ac populus regit. Hic ſpiritus vitalis, abſque quo nec humana ſocietas, nec ipſe mundus ſtare poteſt. Querelas movetis, ut audio, de imminutione, vel ademptione privilegiorum. Audite quæſo placide, & mentibus æquis, chariſſimi ſocii & commilitones mei, vocem liberam erumpentem ex intimo affectu, quo vos inſtar filiorum amplector. Diſcite prius, ô boni, quid ſit vivere, quam ut veſtro more vivere poſtuletis. Vos enim ipſi in culpa eſtis cur intra gyrum compellamini, quia reverenter uti libertate neſcitis. Nemo vobis infenſior eſt hoſtis quam ipſimet vobis. Etenim ſi iis qui capitali vobiſcum odio diſſident optandi facultas eveniat, quid pejus aut pernicioſius imprecari poſſint, quam ut exuta reverentia majorum, omnia turbis ac ſeditionibus miſceatis?

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

Quodnam præclarius & excellentius privilegium imaginari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ginari poteſtis, quam quod hæc Academia per omnes terrarum oras ubicunque virtus & doctrina colitur, illuſtri fama celebratur? Quot heic effulgent, ſi uſquam gentium, lumina præſtantiſſimorum hominum, qui claris ingenii monumentis vindicant à barbarie ſeculum, & literis intermorientibus auxilium ferunt? Non eſt jam locus de quoquam nominatim dicendi, ne ſi recenſeam ſingulos, infinita oratio noſtra ſit: ingrata, ſi nonnullos prætermittam. Hoc illud privilegium eſt quod navibus atque quadrigis perſequi debetis, hæc *palma nobilis quæ terrarum dominos evehit ad Deos.* Hoc agite, generoſi & bene nati juvenes, ut quoniam in hoc Athenæum veniſtis, tanquam ad mercatum & nundinas optimarum artium ac ſcientiarum, referatis etiam hinc optandam bonis contagionem, neve vacui & inanes velut ex incendio, ruina vel naufragio, domum revertamini, dedecorantes & urbis dignitatem & doctorum. Hujus rei copiam & oportunitatem nemo vobis eripit, nullus inde quidquam delibat, aut intervertere audebit. Si quis turbulentus tribunus plebis intercedat quo minus in inſtituto laudis curriculo ſtudioſe gnaviterque pergatis, nihil cauſæ eſt quin eum in publica commoda peccare pronunciemus: nec placet, iis legibus, tanquam per vim & contra auſpicia latis, populum teneri. An quidquam de ſplendore natalium, de jure libertatis, de ſtatu ingenuorum, decerptum aut deſtoratum eſſe judicatis, quod evaganti licentiæ fræna ſunt injecta? quod luxu & laſcivia petire cupientibus poteſtas intercluditur? quaſi ſit ulla dejectior & humilior ſervitus, quam impunitas & licentia delinquendi, quam regi à cupiditatibus, ſervire libidinibus, non obtemperare imperio rectæ rationis? cui qui parent, latius regnant *quam ſi Libyam remotis Gadibus jungant, & uterque Pœnus ſerviat uni:* magnificentius triumphant, quam ſi quadrijugo curru per ſacram viam lauro coronati in Capitolium veherentur.

Qui quæret Pater urbium
Subſcribi ſtatuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam
Clarus poſtgenitis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Si pertæſum eſt ſervitutis, ſi piget vos privatæ conditionis, oſtendam vobis quo pacto ad immortalem gloriam, ad ſupremum dignitatis faſtigium, ſupra ſolium, ſupra tiaras & ſceptra regum, exſurgere poſſitis. Nec longe ſcilicet hoſtes quærendi vobis. intus in ſinu fovemus Sinones. Nemo pejus vapulat quam ſub flagello domeſticæ crucis. exercitor eſt cuique malus animus. habet ſuos conſcia mens inteſtinos carnifices. Non eſt tantum ab armata manu terroris ac periculi juvenibus alta & erecta indole præditis, quantum à lenocinio voluptatum, quæ blandiente vi, & arte proditoria nervos omnes generoſitatis atque induſtriæ ſuccidunt, & in ipſam rationis arcem, in mentis Palladium, per cuniculos irrepunt verius quam irrumpunt. Hos infames Sirenum ſcopulos, hanc hilarem pœnam, has blandiſſimas peſtes, & vitiorum illices qui domare potuit, ſuperat Alexandri Magni ſublimitatem. qui quum latiſſimos terrarum tractus, & potentiſſimas gentes, ac maximos mundi monarchas ſub jura redegiſſet, unde nomen reportavit ſempiternum, ſuccubuit iracundiæ. victus eſt orbis victor ab impotentia, qua ſtimulante perpetravit in amicorum intimos, in ſervatores ſuos ea flagitia, quæ ſempiternam ignominiæ notam inurunt auguſto ejus nomini, & ingentibus victoriis nubem obducunt. Quid ille Grajûm fortiſſimus Ajax?

Hectora qui ſolus, qui ferrum, ignemque, Iovemque
Suſtinuit toties, unam non ſuſtinet iram.
Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire poteſt.

Nec mihi quiſquam heic objiciat, talia verbis ſplendide dici ab umbraticis doctoribus in ſcholaſtico pulvere educatis, ſed ubi in rem præſentem venitur, ea prorſus abhorrere à ſenſu communi, nec in mores & ad vitæ uſum traduci poſſe. Nihil enim aliud concludet ſi quis ita ratiocinetur, niſi, aliter eſſe vivendum quam ſentiendum, aliud eſſe laudandum, aliud fieri oportere. Quæ ſententia res inter ſe naturali conſortio devinctas, per opinionis errorem divellit, & utilitatem ab honeſtate ſejungit. Hanc hæreſim ſapientiſſimus Philoſophorum Socrates exſecrari ſolebat tanquam cauſam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

causam omnium malorum & incommodorum, quibus humana ſocietas inquietatur. Cur tractatis ſtudia doctrinæ? cur diurna nocturnaque manu verſatis bonos authores, qui vobis monſtrent viam, qua duce tenere poſſitis

Edita doctrina ſapientum templa ſerena?

An ut eruditi tantum, non meliores evadatis? ut res præclaras & expetendas magnifico verborum ornatu extollere ac prædicare queatis, quemadmodum pueri laudant Iunonis avem; ſed aliter vitam inſtituatis? ut fortia loqui malitis, quam factis exſequi? Nimirum ut vobis idem vitio vertatur quod olim objectum eſt Athenienſibus, eos ſcire quæ recta ſunt, ſed facere nolle? Quod Dominus & Servator noſter exprobravit Scribis & Phariſæis, *Quidquid dixerint vobis ut ſervetis, ſervate & facite. Secundum opera vero eorum ne faciatis. Dicunt enim, & non faciunt.* Excuſatius peccant, & venia digniores ſunt, qui literas neſciunt. Habent enim effugium ad ignorantiæ patrocinium. quanquam is eſt virtutis ſplendor, ea dignitas atque majeſtas honeſtatis, ut ſe judice nemo nocens abſolvatur. Longe tamen diſpar eſt conditio imperitorum hominum, & eorum qui humanioribus ſtudiis animum imbuerunt, quibus ignoſci non oportet niſi ad omnes bene audiendi partes mentem comparent. Gravis adverſaria vobis conſtituta eſt, eximia parentum & amicorum veſtrorum exſpectatio: quam una re facillime vincetis, ſi hoc aſſidue meditemini, diu multumque eſſe elaborandum, non ſolum ut animo comprehendatis ſcientiam rerum plurimarum, ut noritis omnem memoriam vetuſtatis, ut Socratis ſermonibus os impleatis, non ut magna loquamini; ſed ut emendate, & ex recti ſimplicis norma vitam actioneſque veſtras componatis, ut virtutem jungatis cum doctrina. ſiquidem virtus dignitatem ſuam non agnoſcit, & præcipuo ſuo lumine atque ornamento deſtituta eſt, niſi ſtipata ſit comitatu ac præſidio bonarum artium & ingenuarum. Doctrina vero tanquam gladius eſt in manu furioſi, niſi dux & imperatrix vitæ mortalium recta mens, recta ratio, clavum moderetur. Nec vero ſtudia diſcentium tardari decet, aut induſtriam langueſcere, quod ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſupremum ſapientiæ gradum aſſurgere paucis admodum conceſſum eſt,

—— quos æquus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

Nam in rebus arduis, & magnopere expetendis omnia potius tentare & experiri oportet, quam ob aſſequendi deſperationem à recta voluntate deſeri, quum ad ſumma nitenti pulchrum ſit in ſecundis tertiiſque conſiſtere. Nam etſi maximis tantum operibus admiratio debetur, tamen inferiora non deſpicimus, & juſta laude non carent quæ ſunt maximis proxima.

Non ſi priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæque, & Alcæi minaces,
Steſichorique graves Camœnæ.
Eſt quadam prodire tenus, ſi non datur ultra.

Quocirca juvenes ſtudioſi, reſpondete quæſo veſtro nomini, & in id ſtudium cujus ergo huc eſtis miſſi, totis induſtriæ viribus incumbite, ut & parentibus gaudio, & vobis honori, & amicis præſidio, & patriæ emolumento eſſe poſſitis. Iterum clamo, teſtor, edico: nullum eſt pulchrius, & honoratius privilegium, nihil majori mentis ardore, nihil impenſiori cura conſervandum, quam ut ad hanc optabilem metam pleno gradu contendatis. Laus eſt publica, gloriæ ſtadium omnibus patet, virtus in medio poſita neminem faſtidit, aut dedignatur, qui modo ſe dignum illa judicaverit. Vigilandum eſt, fateor. neque enim muliebribus votis ac ſuppliciis beneficia deorum parantur. Labores multi ſubeundi ſunt, non abnuo. *Sed te id quod multi invideant, multique expetant, inſcitia ſit poſtulare, ſi tu laborem ſumma cum cura efferas nullum.* Vos qui nobili genere nati eſtis, adjungite majorum imaginibus ornamenta doctrinæ. Vos quibus adſunt opes & amplæ facultates, parate vobis eum theſaurum, in quem caſibus fortuitis, & decoctoribus ac furibus nihil licet. Vos quibus eſt res anguſta domi, quorum parentes genium fraudant, & unciatim ſubtrahunt miſeri de ſuo demenſo ne deſit unde ſtudiis & honeſtis artibus inſudare queatis: rependite vicem tantæ pietati, nolite turpi deſertione per ignaviam fruſtrari eorum

rum ſpem & ſollicitudinem. Nobis nihil exoptatius obtingere poteſt, quam ut cum pluribus communicetur, ſi quid valemus ingenio, vel ſpecie eruditionis. Amplectamini per Deum immortalem has rerum bene gerendarum commoditates, urgete præclaram occaſionem, & cum omnia fabricandæ fortunæ inſtrumenta vobis quaſi virgula divina ſuppeditentur, cavete ne tanto Numinis favori defuiſſe arguamini. Nunquam intempeſtivus eſt ad bonam mentem receptus, ſumite laudabilem ſuperbiam, & eos quibuſcum cottidie futiles cauſæ vos collidunt, fortiter contemnite, tanquam homines poſitos infra dignitatem veſtræ indignationis. Leo leporem non ſectatur, nec armiger Iovis, & fulminis ſatelles, in muſcas inſurgit. Nunquam fando auditum eſt, aut lectum, bubones cecidiſſe Pæanis arcu. Timidi & imbelles damæ non poſſunt mereri iram nobiliorum ferarum. Proprium hoc eſt magnanimæ generoſæque virtutis, non ſentire ſe læſum ab inferiori adverſario. Puer Aſcanius, *magnæ ſpes altera Romæ*, non quærit in venatu facilem & parabilem prædam, ſed ſpumantem

Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.

Quid vobis rei eſt cum vigilibus? quid cum humili plebecula? quin miſſum facitis prophanum vulgus? Diviſa ſunt immani intervallo veſtra & eorum munia. Servetis decorum. Patria vobis aſſignat partes Agamemnonis; cur agitis perſonam Therſitæ? Lubens equidem obliquarem ſinus, & mutata velificatione præterlaberer has Syrtes, hanc periculi & infamiæ plenam Charybdin. Vellem taciturnitatis velo poſſet obumbrari conceptus intimis ſenſibus dolor, ſed ita alte vulnus adactum eſt, ut ſilentio aut diſſimulationi non ſit locus. Neceſſitas cogit probra veſtra cœlo monſtrari, ſi non aliud ob precium, ſaltem ut mali vim & morbi magnitudinem noritis, quæ tanta eſt, ut nequeat niſi commotæ mentis excuſatione defendi, vel abolitionis beneficio & fideli in poſterum reſipiſcentia ſanari. Nam quid ego nunc vobis ob oculos proponam effigiem ejus diei, quem pene ex natali fatalem & emortualem huic Academiæ diem effeciſtis? Celebratur de more inauguratio novi Rectoris. quæ quidem actio ſolet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

exornari maximo conventu concurſuque omnis generis mortalium, præcipue autem veſtri ordinis frequentia & celebritate. Aderat princeps ingenii & doctrinæ, maximus ille ſeculi vir Ioſephus Scaliger, cujus etiam veneranda canities hunc actum noſtrum cohoneſtare dignatur. Aderant ſplendidiſſimi Academiæ Curatores, quorum fidei & prudentiæ concreditur ingens depoſitum, ſalus nimirum & dignitas hujus inclytæ Vniverſitatis, neve res literaria capiat aliquid detrimenti. Vterque non magis colendus & obſervandus ob generis & familiæ nobilitatem, quam ob morum honeſtatem, ob doctrinæ præſtantiam, ob generoſam mentis inclinationem erga omnes bonos. Alter in Ordinum illuſtriſſimorum conſeſſu jus ſuffragii primo loco dicendi obtinet, tanquam unus è primaria nobilitate Batavorum. Alter conſilium participat fortiſſimi Principis noſtri, & invictiſſimi herois MAVRITII, cujus bellica virtus, & auguſtum nomen ab ortu ſolis ad occaſum uſque pervadit ac diffunditur. Poſſum liquido jurare, pro ea quæ mihi cum utroque neceſſitudo intercedit, vos ambobus ſummæ curæ vehementerque caros eſſe, nec quidquam prius, aut antiquius habent, quam ut in medium conſulere poſſint, & mederi rebus turbatis, gratiamque illam & authoritatem qua plurimum pollent, temporibus veſtris impartiri. Sed vos ipſi, vos, inquam, ipſi, quantum in veſtra manu ſitum eſt, optime animatis, & ſua ſponte incitatis, poteſtatem adimitis exerendæ beneficæ voluntatis. Vos per veſtros mores efficitis, ut hebeſcat acies authoritatis eorum. Nemo pejus conſulit utilitatibus veſtris, quam veſtra intemperies. His proxime aſſidebat Magiſtratus hujus urbis, qui in terris repræſentat imaginem quandam & ſimilitudinem divinæ poteſtatis. Nam ut Deus præeſt legibus, leges Magiſtratibus: ita quodammodo Magiſtratus præſunt ſuis civibus, ideoque in ſacris literis nomine deorum inſigniuntur. Ex altero latere apparebat univerſus ordo profeſſorum, non obſcura nec ingloria nomina, nec indigna quibus aliquis honos deferatur. Nemo qui modo ſuæ dignitatis ſuique muneris rationem habuit ullam, defuit ſolenni officio. Sola in medio ſedilia, quæ tali feſto tempore, & anniver-

ſario

ſario ſacro ſolebant inundare appulſu ſtudioſæ juventutis, aut ſolitudine ſquallebant, aut raris ordinibus interlucebant, aut ab ignotis & prophanis vultibus occupabantur, ut propemodum ipſa ſcamna & ſubſellia miſeriam ſuam intelligere & publicum dedecus lamentari viderentur. Quum optimus & integerrimus virorum Rodolphus Snellius, qui Rectoratu abibat, o[illegible]-nem ex conſuetudine haberet, jamque dicendo longe eſſet provectus, irruerunt in auditorium ſine ulla reverentia quidam veſtrûm non audiendi propoſito, ſed ad interpellandam illius diei ſolennitatem. Stabant enim in ultima parte, quam ſupplere ſolent qui tardius advenerunt, aut qui præter numerum nihil adferunt. Hi inter myſteria Cereris Bacchanal agitabant. Nam partim incondito pedum ſtrepitu loquentem interturbabant, ut ægre ſermo dicentis etiam à proximis exaudiri poſſet: partim faſtidioſis execrationibus abominabantur, tanquam ſi hoſtilis facies, aut purgamentum aliquod apparuiſſet. interdum erant qui adducto vultu, & caperata fronte ſtuporem ſimulabant.

Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preßit humi nitens, trepiduſque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.

Quin etiam ad nomen auſpicatiſſimum Principis Auriaci, cui libertatem ſuam Batavia debet, & ad filii ejus magnanimi MAVRITII mentionem, quam tremunt armati exercitus, quem ſummum belli ducem maximi Reges agnoſcunt, (horreſco referens) pars inſulſo riſu diffluebant, & in cachinnos effundebantur, more ſannionum aut phreneticorum, qui quum acerrime morbo afflictantur, gaudiali ritu riſum propitiant. Hæc qualia ſunt? hæc vobis joca videntur? Seponite amabo nubem illam & caliginem errorum, quæ nunc ingenii vobis rectique judicii aciem hebetavit, quæque proſpectum omnem veritatis, atque integræ rationis, ſenſibus veſtris exemit. Num mentior? num onero vos falſis crimininibus? Vellem hercle res ita haberet. atque utinam calumniæ redargui poſſem? ſed vereor ut potius prævaricationis inſimulari debeam, quod multa ſilentio ſim prætervectus. Quanti enim vel illud unum eſſe creditis, quod ii quibus cordi eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quies & tranquillitas Academiæ, qui rem literariam ſalvam cupiunt, non exiſtimarunt tuto Rectorem inaugurari poſſe, & pedem figere in poſſeſſionem ſui magiſtratus, niſi novo more, & exemplo antea inaudito, locus hic, ſua majeſtate & inermi juſtitia ſacer, militaribus præſidiis muniretur? Quæ quidem contra vim comparata erant, nec bonis periculum, ſed præſidium & ſecuritatem denunciabant. At hoc ipſum, ſi quid ingenui ſanguinis, ſi verecundiæ micam haberetis, ſempiternum vobis dedecus, & indelebilem turpitudinis notam inurit. A quibus enim vim & violentiam timebamus? Nempe ab iis, à quibus minime oportuit. Vos enim ſoli metum turbarum intentabatis, veſtræ minaces & ſuperbæ voces timebantur ne in nervum erumperent. Nam ab hoſte nullus terror impendebat. pactæ jam erant induciæ, fœdus conventum iri ſperabatur, Legati regis Hiſpaniarum & Archiducum pacem poſtulatum venerant, & huic urbi bene erant in conſpectu, ut ſingulis horis ad eorum aures militiæ veſtræ flagitia perlaberentur. Si non honeſti decus, non officii ratio, non ætatis pudor, non patriæ charitas vos ab intemperantia tali deterrere potuit, famæ verecundia, & hoſtium exiſtimatio vobis moram objicere debuit, ne in eorum oculis tam inſolentes ludos palam præberetis. Quid reliqui feciſtis ad audendi proterviam, quum tam atrox ſuſpicio mitiſſimis placidiſſimiſque amicorum veſtrorum mentibus inſedit, ut in ſumma tranquillitate temporum, in pacatiſſima civitate, in loco Muſis & Gratiis conſecrato non poſſet celebrari natalis Academiæ dies, non inauguratio ſupremi in ea magiſtratus, niſi Mars armatus Apollini laureato ſubſidium atque opem attuliſſet? Heic mihi quiſque deſcendat in ſemet ipſum, & conſcientiam excutiat ac circumſpiciat ſuam. Ite ſinguli in conſilium de præteritis factionibus veſtris, ipſi pluris litem æſtimabitis. Nam quo piaculo luſtrari poſſe cenſetis audax illud & temerarium facinus, quo impulſi non defuerunt ex vobis, qui diploma potentiſſimorum Ordinum ſacrilega manu dilacerare, & humi projicere non exhorruerint? Si jure ordinario & extra ordinem punitur is qui Prætoris album raſerit, corruperit, ſuſtulerit, muta-

mutaverit, quidve aliud propoſitum edicendi cauſa turbaverit: quæ digna pœna ſtatui poteſt in eos, qui conſignatam publicis monumentis authoritatem ampliſſimi conſilii nefario auſu pene pedibus proſubegerunt? Si lege Iulia majeſtatis tenentur, qui ſtatus & imagines Imperatoris aliqua ſpecie contumeliæ læſerint, an erunt immunes ab eo crimine, qui mentem & rationem ſupremæ poteſtatis, ſpirantem & nobiſcum loquentem per literas interpretes, violare non dubitarunt? ſed etſi hæc ſunt graviſſime animadvertenda, tamen nil æque vos onerat atroci invidia, nihil minus ulla cauſæ condictione ſublevari poteſt, quam ultimus (ut ſic dicam) actus & cataſtrophe illius tragœdiæ. Quum enim peractis ejus diei ſolennibus, ut fieri poterat in tanto tumultu, tantiſque motibus animorum, Curatores ſtipante Magiſtratu urbano procederent ex Academia: plerique veſtrum ante veſtibulum ſtabant in inſidiis, & obſervabant eorum egreſſum. Nemo fuit qui caput aperire venientibus dignaretur. Multi perfricta fronte, & habitu formato in contumaciam, ſpeculabantur ora vultuſque ſingulorum, ut ſcirent ſe à vobis non tantum non vereri, ſed tanquam homines nullius pretii, & infimæ ſortis, palam irrideri contemnique, non aliter quam qui ſcenarum oſtentatione traducuntur. O ſingularem irreverentiam! ô immodeſtiam minime tolerandam in pacifico ſtatu bene moratæ civitatis! Quid aliud eſt, projecto conculcatoque omni pudore feros Cyclopum ritus æmulari, quam rerum arbitros & moderatores, legum & judiciorum adminiſtros, tutores ac præſides publicæ tranquillitatis, eos deſpicari ac pro nihilo ducere? in qua urbe nobis hæc otia donantur, & liberale Muſis atque ingenuis artibus hoſpitium conceditur? An non eſt illud Gigantum & Titanum more bellare cum diis? Vnde enim profluxit fabula de fratribus terrigenis, qui montes montibus accumulaſſe finguntur, ut cœlum irrumperent, & è ſolio Iovem deturbarent: niſi quia detrectabant obtemperare voluntati Regum ac Magiſtratuum, quos Poëtæ Iove genitos, & deorum ſanguinem appellare conſueverunt? Legibus Lycurgi, & inſtitutis Perſarum, quæ juſtis de cauſis à ſapientibus viris

vehementer collaudantur, nihil majoribus præſidiis, & fortioribus vinculis aſtringebatur, quam diſciplina parendi. Hac re, inquit Attica Siren Xenophon, Spartiatæ gloriantur & ingentes animos tollunt, quod humiliter ſe gerunt in obtemperando ſuis præfectis. Si vobis propter ætatis imprudentiam, & conſilii imbecillitatem non veniunt in mentem ea quæ ex uſu ſunt, nec in animum inducitis morem gerere ſapientioribus, quo in cenſu vos reponent cordati Cenſores, niſi eorum, quos poſtremi ingenii, & nullam ad rem in vita utiles, prudens Heſiodus pronunciavit? An quia Magiſtratus ingenti animo concoxit hanc inſignem contumeliam, & ſe ſentire diſſimulavit, ideo excuſatior culpa eſt, & impunitior abibit veſtra intemperies? Imo ſuper flagitium rebellionis atque immodeſtiæ accedit tanquam auctarium labes ingratitudinis, quod hanc diſſimulationem lucro & beneficio non apponitis. Nec exemplum deerat illis, nec ratio, nec legum authoritas, ad exequendam juſti doloris ultionem, ſi ſuo jure experiri voluiſſent. Veteres Romani, quo tempore

Moribus antiquis florebat Roma viriſque,

quum pretio erat vera probitas, & unde virtus colebatur,

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunque puer, licet ipſe videret
Plura domi farra, & majoris glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis.

Nec vero Magiſtratus majeſtas impune ſpernitur, aut vindice caret. Nam in ipſa lege divina, primum hoc præceptum eſt, cum adjuncta promiſſione longævitatis. Et jure civili conceſſum eſt Magiſtratibus, ut ſecundum jus, poteſtatis ſuæ juriſdictionem defendant pœnali judicio. Prætor à poſtulando ſummovet fœminas, ne contra pudicitiam ſexui congruentem alienis ſe cauſis immiſceant, neve virilibus officiis fungantur. Origo vero introducta eſt ab Afrania, quæ inverecundè poſtulans, & Magiſtratum inquietans, cauſam dedit edicto. Cur cœcus ab eodem munere excluditur, niſi quod inſignia Magiſtratus videre & revereri non poteſt? Quod ſi Codex & Pandectæ juris Romani nullas irroga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

irrogarent pœnas petulantibus & modeſtiæ contemtoribus, an ideo verum eſſet eos extra notam eſſe oportere? Nulla datur adverſus ingratum actio, niſi olim apud Perſas, quanquam ad remunerandum naturaliter obligati ſumus: & omnes conſentiunt gentes, terram nihil creare pejus homine ingrato. Qui tantum intra legum ſanctiones innocens eſt, nunquam erit in magnis viris habendus. Operæ pretium eſt conſiderare quantum olim plus apud Romanos poterant boni mores, quam ſeveræ leges. Valeria lex quum virgis cædi, aut ſecuri feriri vetuiſſet eum qui provocâſſet ad populum, nihil ultra adjecit, quam, ſi quis adverſus ea feciſſet, improbe factum videri. *Id olim*, inquit Livius, *viſum eſt vinculum ſatis validum legis: (qui tum pudor hominum erat) nunc vix ſervo ita minetur quiſquam.* A Cenſoribus patremfamilias in ærarios relatum eſſe legimus, ob intempeſtivam jocandi libidinem, alium item haud procul ab eodem periculo abfuiſſe, quod in eorum conſpectu ab amico advocatus clare nimis ac ſonore oſcitaſſet, nec effugiſſet triſtiorem notam, niſi conceptis verbis juraſſet, eo ſe vitio teneri, quod oſcedo nominatur. Si ob ſuſpicionem nimis ſupinæ ſecuritatis, & animi parum attenti ad id quod inſtabat agendum, honeſtus civis Romanus inibi fuit ut plecteretur, quid decreviſſent iſti priſcæ ſeveritatis patres in tam apertos contemptores eorum qui civitatem moderantur? Author eſt Plutarchus, vir fidei plenus, C. Veturio capital fuiſſe, quod Tribuno plebis in forum prodeunti de ſemita non deceſſiſſet. Tanta fuit antiquis temporibus reverentia Magiſtratus apud Romanos vetere Roma dignos, tanta cura pudoris, ac modeſtiæ, cujus potiſſimum causâ cenſoriam notationem, probitatis atque officii magiſtram, inſtitutam eſſe arbitror, ut propoſito infamiæ metu compeſcerentur vitia, quæ jure judicioque non vindicantur. Cornelius Tacitus, quo ſcriptore nullus unquam altius penetravit arcana principum, & intimos eorum receſſus ac latebras omnes indagavit, in Annalibus refert, L. Syllam juvenem illuſtri domo natum graviter à Domitio Corbulone viro Prætorio apud Senatum fuiſſe increpitum, quod ſibi inter ludorum ſpectacula loco non ceſſiſſet:

eaque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

eaque res magnis in eo cœtu auguſtiſſimo contentionibus agitata eſt, & ex hiſtoriarum monumentis producta ſunt in medium multa veteris reip. Romanorum exempla, quibus palam fiebat, feraci virtutum ſeculo juventutis irreverentiam gravibus ſæpe decretis notatam fuiſſe. Nemini veſtrum ignotum eſſe arbitror, quod de Conſule Fabio memoriæ proditum eſt: cujus pater quum obviam ei veniret, & lictores verecundia majeſtatis paternæ taciti anteirent, juſſit filius proximum lictorem animadvertere, (id enim erat ſolenne vocabulum, quo ſignificabatur honorem eſſe habendum magiſtratui) iſque ut ex equo deſcenderet inclamavit. Tum pater cum gaudio deſiliens, Macte, inquit, tali virtute & gravitate, fili; perge conſularem gradum magnanimiter tueri. Quum Proconſules aut Prætores in provincias ſuas ibant, mandatis inſtruebantur: quo in genere & illud caput erat, ne provinciales in ulteriorem familiaritatem admitterent. Nam ex converſatione æquali, contemptionem dignitatis oriri. Quin etiam iis præcipitur ut artificium adhibeant, & authoritatem magiſtratus ingenio ſuo augere contendant. Sacra Scriptura recenſet inter præcipua ſigna perditæ profligatæque gentis, non revereri faciem ſeniorum. Si cani & rugæ, ſi longior annorum ſeries juſtam venerationem meretur, quid, ubi publica dignitas ad provectam ætatem accedit, & apex ſenectutis authoritas? At non defuerunt è vobis quos palam eo nomine gloriari non puduit, quod depuduerint, nec ullum prorſus honorem urbano Magiſtratui exhibere ſint dignati. Egregiam vero laudem, ſed Cyclope dignam! magnum & memorabile nomen, ſed commune vobis (ut antea dixi) cum gente Titanum!

Qui manibus magnum reſcindere cœlum
Aggreſſi, ſuperiſque Iovem detrudere regnis.

Spolia ampla refertis ſcilicet, quod Polyphemi gloriam æmulati eſtis, qui tanquam gravi injuria violatus expoſtulat, queriturque procaciter, quod Vlyſſes auſus eſſet eum adjurare & obteſtari ut Deos & Iovem Hoſpitalem revereri in animum induceret.

Stultus es, aut ades huc longinquis hoſpes ab oris,
Qui petis ut ſuperos metuam, vel digner honore.

Non

Non Cyclopas enim tangit Iovis ulla ſupremi
Cura, nec ulla Deûm, quos longe excellimus ipſos.

Hæc ſi vobis acerba ſunt auditu, non minore cum moleſtia à me dicuntur. Invitus incedo *per ignes ſuppoſitos cineri doloſo*, ſed invitat me ut id faciam fides eximii amoris quo vos amplector. Non poſſum ſimul adulari veſtris auribus, & inſervire utilitatibus. Non licet pariter gravem amici perſonam ſuſtinere, & ſervilem animum induere Gnathonis alicujus ac paraſiti. Libertas, quam ego primariam generoſi hominis dotem exiſtimo, naturæ meæ candor, veritas, hoc officium mihi imponunt, ne quid per obſequium diſſimulem, ne peccatis obſecundem, voſque præcipites ferri ſinam. Credo equidem, nec aliter ſentiunt quicunque ſunt benigniori ingenio,& æquiori judicio in æſtimandis juvenum erratis, vos per incogitantiam eſſe lapſos majore animo quam conſilio: nec unquam ſerio vobiſcum expendiſtis, quam rem ageretis, quantum probri, dedecoris & flagitii ſuſciperetis, quum tam inſolenter os importunum & obduratum ad impudentiam oſtendiſtis Magiſtratui. Sed in tam improbo facinore, quod eſt contra morem obſequii, contra fas diſciplinæ, contra divinas humanaſque leges, nemini prodeſſe debet ignorantia niſi ad veniæ deprecationem ex ingenua delicti confeſſione: ad quam vobis facto agmine confugiendum eſſe ſuadeo, ne pertinaciam & obſtinationem ad imprudentiæ culpam adjungatis. Error & inconſpecta temeritas facile in veſtram ætatem cadit, ſed moniti meliora ſequi debetis, & ad bonam mentem reverti, à qua tamdiu tam intemperanter exorbitaſtis. Ego me adoleſcentem fuiſſe fateor, & affinem earum rerum quas fert adoleſcentia. Non ſemper vixi ad inſtitutum Socratis, aut Catonis. non ex diſciplina priſcæ ſeveritatis. multa retro geſta ſunt ad quæ invitus oculos reflecto.

Nec veterum memini lætorve malorum.

Sed ex animi ſententia profiteor, & ingenue teſtari poſſum ſine arrogantia vel ambitione, nunquam in partes ſuas Baudium detraxit factio turbulentorum,qui parere detrectant legitimis poteſtatibus ſuperiorum, quæ ſunt à Deo, & quibus qui obſiſtit, ordinationi divi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

divinæ obſiſtit. Non enim fruſtra gladium gerunt, ait Apoſtolus, ſed ad coërcitionem improborum. An ignoratis quod à prophanis hominibus religioſe ſcriptum eſt, vultu quoque lædi pietatem? Etiam interdum muta libertas, atque oris contumax habitus, atrociorem injuriam infligit, & acerbius offendit, quam vocis intemperantia & procacitas. Tantus enim eſt in Magiſtratu ſplendor, tanta dignitas ac prope divinitas, ut qui eum violare aggreditur, ipſum Patriæ parentem aggredi videatur. Atque adeo, ut in libera civitate liberam vocem eloquar, & ingenue vobis ac ſimpliciter animi mei ſenſum aperiam: ego adductus exemplis virorum, quibus exceptio nulla poteſt opponi, & oraculo ſacræ Scripturæ, cujus eſt æterna authoritas, ſemper illud habui pro fixa & immota veritate, nullam eſſe juſtam aut legitimam cauſam arma ſumendi contra Principes, quos Deus, natura, fas & jura nobis aſſignarunt. niſi vis ultima, quæ legem omnem frangit infirmatque, viris fortibus ac miſeris eam neceſſitatem imponat, ut ſalutem & incolumitatem ſuam præſidio Martis, & bellica manu tueri cogantur. Reddenda ſunt quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: quæ ſunt Dei, Deo. Si terrores ingruant, ſi ſuppliciorum metus intentetur, aut cervices fortiter præbendæ ſunt, & extrema quæque perferenda, fugere jubemur de civitate in civitatem. Apoſtoli quum à Præfectis populi, & è concilio ſacerdotum vetarentur annunciare doctrinam Euangelii, Deo potius quam hominibus obtemperandum eſſe declarabant, ſed non ideo vel ipſi inſurrexerunt, vel plebem ſeditioſis concionibus inſtigarunt adverſus dominantes: imo quum eſſent virgis cæſi, gaudebant, & ſibi gratulabantur, quod tali honore dignati eſſent, ut pro nomine Ieſu ignominia afficerentur. Paulus etiam Romanos graviter adhortatur ut ſubjecti ſint ſupremis poteſtatibus, qua tempeſtate infandum iſtud caput Nero, matricida, fratricida, cinædus & citharœdus, auriga, hiſtrio & incendiarius, rem Romanam miſeris modis divexabat. Religio autem cogi non poteſt, nec incivilius defenditur quam per civiles turbas atque diſcordias. Colendi ſunt Imperatores, Reges ac principes, ut homines à Deo ſecundi, ut unico

Deo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Deo minores. Parendum dominis non ſolum lenibus & humanis, verum etiam aſperis & immitibus. Boni & moderati votis optandi ſunt, ferendi autem æquo animo qualeſcunque obtigerunt. Sed de hac graviſſimi ponderis quæſtione non eſt nunc diſſerendi locus: illud ex his quæ retuli ſatis exploratum eſt, vos gravi animadverſione dignos videri, quod tam inſolenter Magiſtratum deſpexeritis. Tot ac tantorum dedecorum convicti quæ palam & in oculis omnium defixa ſunt, tamen audetis queri de nimia ſeveritate, & immodico rigore, quod exemplum in tres quatuorve ſtatutum ſit, quum fere communis omnium culpa fuerit, & pauciſſimi à contagione ſint immunes. Tam enim exploſerunt, qui pro foribus Academiæ contemplabantur cum irriſione vultus ingredientium & armatorum cohortem, quam qui velut dato ſigno irruerunt in auditorium: ſi non pedibus, affectu ſaltem, & votis favebant petulantiæ commilitonum. Corporibus aberant, animis præſentes erant, & conſpirabant in eandem voluntatem, quæ ſolet in talibus attendi, & facti crimen habet, ut qui cum telo ambulat hominis occidendi cauſa, tenetur lege Cornelia de ſicariis. Non abſurde Cicero concludit, Iulium Cæſarem ab omnibus interfectum videri, qui conjuratorum facinus approbarunt, & ejus interitu lætati ſunt. Neque enim inter facti authorem & approbatorem in magnis exemplis multum intereſt, & contagio quædam ſceleris exiſtimatur in judicio læſæ Majeſtatis, ſi quis eum audeat defendere quem perduellionis reum eſſe fateatur. Multa vero ex iis quæ patrâſtis in ea cauſa ſunt, niſi vos ætatis calor, & ignorantiæ prætextus abſolvat. Agnoſcite potius lenitatem & moderationem Iudicum, qui ex inſtituto veteri militaris diſciplinæ effecerunt, ut metus ad plures, ad paucos pœna perveniret. Nec inflictum eſt vulnus ea mente, ne ſpes ulla ſupereſſet reſtitutionis in integrum, ſed hoc fine potius, ut morbum tandem noſſe inciperetis excuſſo ſtupore, qui velut Circæo poculo mentes vobis faſcinavit, utque protinus ad Aram Clementiæ confugeretis,

Quam miſeri fecere ſacram.

Miſeri enim eſtis, & eo miſeriores, quod miſeriæ ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſtræ ſenſum perdidiſtis. An enim æquum fuit impunitate proſequi tantam oblivionem officii, tantam parendi dedignationem, tot petulantias & laſcivias, tantam omnis diſciplinæ ſubverſionem? tot probra, tot dedecora, quibus haud ſcio an quidquam perturbatius, & inordinatius admiſſum ſit ab incunabulis, & prima fundatione florentis hujus Academiæ? Quid quod etiam fama vagatur, complures veſtrûm ex compacto ſtatuiſſe, non profiteri nomen apud Rectorem, quum ad recenſionem erit veniendum? Præclara ſane conjuratio, qua hoc agitur, ut excidatis honore & privilegio ſtudioſorum: atque ut ſignorum deſertores deprehendamini, quod genus flagitii à Romanis fuſtuario plectebatur. Olim qui in delectu ſubterfugiebant militiam, & citati ad nomina non reſpondebant, vinclis verberibuſque caſtigabantur. Extatque memoratu dignum ſeveritatis exemplum à Manlio Curio, viro antiqua virtute ac fide, qui detrectatorem ſacramenti adoleſcentem, non ſolum bonis, ſed & libertate privavit, addito elogio, *Non eſſe opus Reipub. eo cive qui parere neſciret*: vendiditque tenebrionem, ita enim eum appellat Varro. Dicetis mihi, vetera ſunt iſta, & adeo obſoleta, ut non ſolum in moribus noſtris, ſed vix jam in hiſtoriis, atque annalibus reperiantur. Mutatæ ſunt rerum vices, & huic horridæ ſeveritati pares non ſumus. Attamen iſtiuſmodi viris, & moribus ſtetit Romana res. Sed ut omnia veſtræ libidini condonentur, ut cætera veſtro nutu & arbitratu fiant, quid cauſæ poteſtis adferre, quod ſchema, quem colorem prætexere, cur Academiæ membra deputentur quibus deſpectui eſt ſupremus Academiæ moderator? cur dignatione ſcholaſticorum aut ſtudioſorum? cur non potius neglectæ plebis, & platterorum quota portio cenſeantur, qui ſolennem, & antea ſemper uſurpatum profitendi nominis morem adeo inſolenter adſpernantur? Cato Cenſorius non eſt paſſus filium ſuum ab Imperatore Paulo Æmilio dimiſſum remanere in exercitu, niſi ſecundo militiæ ſacramento obligaretur, quia priore ſolutus cum hoſtibus pugnare non poterat. Olim C. Iulius Cæſar unica voce ſeditionem exercitus compeſcuiſſe memoratur, Quirites appellando, qui juris

jurandi

jurandi religionem & obſequii reverentiam exuerant: effecitque ut ſtatim concordi aſſenſu reſponderint ſe milites eſſe, & per omnia dicto audientes fore. Quod igitur nomen his male conſultis juvenibus dabo, qui ſe tali pactione devinxerunt? Nam ſtudioſos appellem ſane, ſed turbarum & ſeditionum. Num ſcholaſticos? qui leges in quarum verba jurarunt, eas habent ludibrio? qui Rectoris authoritatem contemnunt? qui ordinem omnem Academicum funditus conturbant? Quam porro felix & auſpicatus erit veſter in patriam adventus! Quam læto vultu ſcilicet, quam hilari fronte vos excipiet parentum & affinium exſpectatio, redeuntes domum, ut ſolent milites ignominioſe miſſi & expuncti è manipulis! Sed abſit ut tam ſiniſtre de vobis opinari velim, quaſi conſilio, & certo peccandi decreto ſuperiores culpas, & parum ſani pectoris laſcivias conſciveritis: melius ominatur animus. Temeritas juvenilis fuit, fervor, impetus, dulcedo quædam vindictæ, falſa ſtrenuitatis opinio, zelus, ſed non ſecundum ſcientiam. quidvis denique comminiſci malo, & ipſe mihi perſuadere, quam ut credere velim vos deliberata nequitia & improbitate tantum flagitii ac turpitudinis commiſiſſe. Quapropter, ô juvenes animo meo cariſſimi, quorum ſtudiis & commodis omnia mea tempora conſecravi, per Muſarum communia ſacra, per omne fœdus humanitatis, per veſtras ſpes, & parentum veſtrorum, per quidquid apud cunctas gentes ſanctum & inviolandum habetur, adjuro vos atque obteſtor, expergiſcimini tandem, & redite in virtutis viam, ſanate offenſas officiis, componite mentes ad obſequium, ad modeſtiam, ad verecundiam. His artibus, his machinis ſeſe volens patietur expugnari animus clementiſſimi Principis, ut ſempiterna oblivione, & fideli amneſtia deleatur memoria præteritorum, quæ facilius defleri quam defendi, corripi quam corrigi poſſunt. Scitote, viros in illuſtri faſtigio collocatos, & heroïca mentis indole præditos aſſimulari fulminibus, quorum ea vis & natura eſt, ut cedenti materiæ parcant, duriſſima quæque & obſiſtentia perfringant atque in pulverem convertant. Hæ ſunt Romanæ artes,

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Turbis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Turbis & tumultibus, terrore & minis generoſa corda non labaſcunt, ſed exaſperantur. Precibus & ſupplicationibus, ingenua culparum agnitione, perrumpendum eſt invicti viri pectus. aliter cogi non poteſt, & ejuſmodi vis illi grata erit. Si vos ſerio pœnitet admiſſorum, ſi corde virtutem capeſſere, ſi conſilia in melius referre bona fide decreviſtis, idem jus Sanatibus fore promitto quod Fortibus. Ego quantum ſtudio contendere, quantum gratia eniti, quantum precibus exorare potero, vobis me totum devoveo: ſed hac lege, ſi eſtis facturi officium veſtrum, ſi non eſtis fruſtraturi ſpem, & exſpectationem parentum, quibus ſumma votorum eſt videre vos auctos proventu bonæ frugis, cujus heic licet metere meſſem uberrimam, ſi veſtrum genium propitiare volueritis, nec lætam induſtriæ ſegetem, & ſperatam virtutum fœcunditatem in herba ſuppreſſeritis. Vigilando, meditando noctes atque dies, recte conſulendo, agendo quæ vos decent, conſequemini bona cum pace omnium, longe plura quam poſtulatis, ultroque privilegia non petentibus accreſcent. Nulla enim res efficacior eſt ad obtinendum quod velitis à generoſis & magnanimis pectoribus, quam flagrans amor, & conſtans aſſiduitas recte faciendi. Capio ſingularem hodierni ſermonis fructum, quod in vultu veſtro legere, & intueri penitus mihi videor certa indicia mutatæ mentis, nec fruſtra me de probitate & benevolentia veſtra ſecundam opinionem concepiſſe. Salva res eſt. cerno frontes ad pudorem compoſitas, cerno facies modeſtiæ & ingenuitatis colore purpurantes. Illud ſaltem coram immortali Deo teſtor ac profiteor, me nulla re alia quam magnitudine amoris & utilitatis veſtræ ſtudio impulſum, ad dicendi partes extra ordinem acceſſiſſe. Si ſecutus fuerit eventus,

Quem reor, & (veri ſi quid mens augurat) opto,

erit unde mihi in æternum gaudeam, vobis ex intimo cordis affectu gratuler. Vtcunque res cadet, exſtabit ſaltem infixum ſenſibus veſtris monumentum honeſtæ libertatis, & conſcientiæ meæ teſtimonium. Gratias vobis ago quam poſſum ampliſſimas, partim quod ingenti frequentia confluxiſtis ad hanc actionem, ut ipſa

quodam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

quodammodo Academia ſedibus ſuis excita videatur, partim quod cum benignitate & attentione ſum à vobis auditus. Tu quoque, Corneli Groti, Magnifice Rector & princeps noſtri Senatus, magnum humanitatis ſpecimen edidiſti, quod non inferius amplitudine tua duxeris intereſſe noſtris ſacris. Tibi ſupremum ævi decus & illuſtre ſidus literarum, Ioſephe Scaliger, infinitum me debere confiteor, ac ſemper præ me feram, quod poſthabitis gravioribus curis, quibus famam nominis tui cum æternitate jungis, auguſto tuo & venerabili conſpectu nos honeſtare ſis dignatus. Vobis etiam honorandi Collegæ devinctus ſum memoria beneficii ſempiterna, quod præſentiam veſtram, & benevolas aures nobis impartiri volueritis. Spero me pro captu mediocritatis jeciſſe fundamenta pacatioris in poſterum ſtatus. Volui quidem certe, & is ſcopus, ea mens fuit cogitationum mearum. veſtrum erit ſtudia noſtra vel exemplo ſubſequi, vel ſuffragio comprobare.

DOM. BAVDI

ORATIO

In funere Maximi Virorum

IOSEPHI IVSTI SCALIGERI.

VErba deſunt rebus immenſis, nec ſe animus explicare poteſt ingenti mærore circumfuſus ac debilitatus. Vtinam fas mihi foret horrore ſacri ſilentii obſignare luctum, *Qui nunc me coquit, & verſat ſub pectore fixus!* ad exemplum ſagacis illius pictoris, qui quum artificio excelleret, ingenio tamen magis abundabat, is velo obumbrâſſe dicitur quod penicillo exæquare deſperabat. Sed ſalva pietate fieri non poteſt, ut hodierno die vox noſtra obmuteſcat. Alterum reſtaret optandum, ut mihi digna tali viro contingeret oratio, cui nunc ſupremum humanitatis officium mœror noſter elargitur. ſed tale votum excedit ipſam humanam ſortem, nedum noſtram

ſtram mediocritatem. Illud tamen animum ægrum ex dolore ſolatur ac reficit, quod in rebus arduis ipſe conatus, licet infra meritum, licet impar voluntati, laudem meretur. *Et finem pietas contigit iſta ſuum.* Dabit igitur benignitas veſtra facilem veniam ſermoni indiſerto, labenti ſub onere admirationis. In exordio mœſtiſſimi muneris, quod honori ac memoriæ ſummi herois IOSEPHI SCALIGERI perſolvendum habemus, uſurpabo memorandam vocem Metelli Macedonici, cui cum eſſet nunciata mors Scipionis Æmiliani, cum quo vivente civiles inimicitias exercuerat, hoc modo filios ſuos ampliſſimis uſos honoribus cohortatus eſſe dicitur. *Ite, filii, celebrate exſequias. nunquam majoris civis funus videbitis.* Scilicet vir antiquæ ſimplicitatis, & Romana generoſitate dignus, detulit inimico luculentum gloriæ teſtimonium, delevitque ex animo priſtinæ ſimultatis memoriam, ut ſolius virtutis recordaretur. Idem nunc licet nobis ſine ambitionis metu pronunciare: nunquam vidit ætas parentum, nunquam videbunt anni conſequentes virum, vel ſplendore & antiquitate gentis, vel ſanctitate & innocentia morum, vel admirabili doctrina, & exquiſitiſſima optimarum artium cognitione, vel omni contentu conſenſuque laudis præſtantiorem. Si patria aut familiæ dignitas quidquam facit ad conciliandam juſtam venerationem excelſis mentibus, quid Galliarum regno in terris florentius? quid gente Scaligerorum honoratius dici aut excogitari poteſt? Quanquam benigna ſe diſſerendi materies aperit, in qua facilius ſit principium invenire, quam ſervare modum, & orationis exitum evolvere: tamen quia noſter heros cenſu ſuo dives; & propriis opibus potens, relegatæ fortunæ ambitione æſtimandus eſt, tacitus hanc partem præteribo, contentus ſola mentione parentis, viri ſine exemplo maximi, de quo quidquid præterea dixero, minus erit, niſi majorem ſe filium genuiſſet. Quanquam plerumque natura comparatum eſt, ut *fortes creentur fortibus*, *nec imbellem feroces progenerent aquilæ columbam:* tamen ubi ad ſummum cacumen gloria majorum evecta eſt, ſæpius ea res negligentiam creat, efficitque ut poſteri malint acquieſcere claritudini ſuorum paren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

parentum, quam eam augere factis & ulterius promovere. Plures per inertiam exiguo tempore decoquunt quidquid eſt ante partum ſecundæ famæ & exiſtimationis. Iam eo majeſtatis proceſſerat auguſta virtus & indoles IVLII CÆSARIS SCALIGERI, ſeu egregii belli facinora, ſeu pacis ornamenta & incredibilem ac pene divinam in omni diſciplina ſcientiam conſideremus, ut acceſſionis capax non ultra judicaretur, & abunde futurum eſſet ad aſſequendum nominis æternitatem, ſi filius longo intervallo præviam patris lucem inſecutus eſſet. At ille cæleſti mente, & ſacro quodam inſtinctu afflatus, tantum priſtinis operibus cumulum & auctarium adjecit, ut nihil majus conditio mortalium animo ac votis complecti poſſe videatur. Nam quæ ſingula mirari ſolemus in excellentibus ingeniis & ſublimibus naturis, ea junctim univerſa poſſedit. Quam enim partem literarum non dicam intactam aut inexpertam reliquit, ſed curioſa felicitate non ita pertractavit, ut nihil illum fugeret quod eſſet perceptione dignum, & in quo ſtatuiſſet ſibi eſſe elaborandum? Olim raræ laudis, & magnæ molis opus videbatur, ſi quis utriuſque linguæ ſermones edoctus eſſet: & hoc in equite Romano celebrat Romanæ fidicen lyræ: quid diceret *Si forte hic noſtrum fato delatus in ævum!* quam defixus hæreret, quam ſtuperet attonitus miraculo, ſi noſtri herois inauditam hac in parte memoriam, vim atque ſolertiam fando, vel oculorum fide, arbitratus eſſet! Vix ullum in univerſo terrarum orbe genus eſt idiomatis, cujus extent monumenta conſecratæ perennitati literarum, quod non aſſiduitate laboris perveſtigarit: &, quod admirationem auget, non vivæ vocis præſidio, non ope interpretis ſubnixus haſce moleſtias exantlavit, ſed ſuis auſpiciis rem geſſit, uſus tantum mutis illis magiſtris, quos fideliſſimos conſiliarios appellabat eximius regum Alphonſus. Non ſine veriſimili ratione creditur, inter impedimenta bonæ mentis, & inter cauſas cur hodie tam pauci ad antiquitatis perfectionem perveniant, numerandum eſſe hoc incommodum, quod tantum curæ ſtudiique linguis addiſcendis impendere cogimur, quum veteres protinus ſe ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

artium ipſarum penetralia conferrent. Et ſane varietas loquelarum non inſtruit nos ſcientia rerum, ſed viatico tantum, & neceſſario ſubſidio, ut ad eam longo circuitu diverſiſque tramitibus progrediamur. Hoc ut verum eſſe concedam in hominibus mediocri ingenio præditis, ita vaniſſimum deprehenditur in animis divinioribus, qui tam celeriter arripiunt res ſpecie diſſitas, numero infinitas, tanquam genio ſuo cognatas & conſentaneas, ut probabilem efficiant quorundam Philoſophorum amabilem inſaniam, qui ſic opinati ſunt, nihil aliud eſſe diſcere, quam reminiſci & recordari. Quibuſdam ingeniis raro cœli favore conceſſum eſt, ut per ludum & aliud agendo plus efficiant, quam alii improbo ac pertinaci labore. Scilicet ut ſtellarum orbes admirabili celeritate curſus ſuos conficiunt ſine ſenſu laboris, ſine tædio laſſitudinis, & in perpetuo motu nunquam defatigantur: ita mentes, quæ cœlo plurimum imputant, ipſa contentione animi, ingenii, virium, refici ac reparari videntur.

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Non poſſumus ex omni vetuſtatis memoria citare locupletius documentum, quam divinum illum ſenem, cui jam parentamus ut communi literarum parenti, & cujus dignitati faſces ſubmittere convenit, tanquam perpetuo ſcientiarum omnium Dictatori. Quanquam vix fidem habitura eſt poſteritas unum hominem tot linguarum intelligentiam ſe magiſtro eſſe conſecutum, tamen illa dos admiranda ſeu memoriæ, ſeu diligentiæ, tantum acceſſionis inſtar obtinet in comitatu majorum laudum atque virtutum. Quidquid ab orbe condito proditum eſt annalium aut hiſtoriarum monumentis, ſive à ſacris, ſive à prophanis authoribus, id omne ab ejus mente, tanquam ex oraculo quodam & ſanctuario depromi poterat; nec unquam quiſquam diſcendi ſtudio incitatus ad eum acceſſit quin recederet doctior & ad vitam ſapienter inſtituendam paratior. Non enim ſcientiam aucupabatur ad ſolam animi oblectationem, ut ſibi caneret ac ſuis Muſis, non ad vanam oſtentationem, ut ſcire tantum videretur,

quem-

quemadmodum nummis & calculis utimur ad numerandum : ſed ut eam in commune conferret, & publicis uſibus impartiretur. Cujus rei fidem faciunt æternæ laudis & artis pignora, quæ ſeculo depoſuit permanſura donec in terris erunt cultores honoris, ſapientiæ, atque eruditionis. Nulla vox eſt, nullum orationis genus tam ornatum, copioſum atque magnificum, quo talia pro dignitate celebrari poſſunt. tam autem vetat Solonis ſanctio ne divina res fiat in tranſcurſu. Reverentius hæc illibata judiciis & cogitationibus religioſi auditoris permittentur, quam ſi ingenii culpa deterantur. Simplici voto deſignaturus videor temporum felicitatem ab omni parte perfectam & abſolutam, ſi quicunque ad rem literariam animum appellunt ita nervos ingenii explicent, ut ejuſmodi ſcripta vel intellectu conſequi, vel ingenuo ſaltem amore complecti queant. Nam pleraque gravioris meditamenti ſunt ex ea nota, quæ profanum vulgus arcent ab ingreſſu, nec patent niſi quibus intima doctrinarum adyta recluduntur. Quis enim niſi interioribus literarum ſacris diu multumque operatus, auſit illotis manibus attrectare paginas illas, quibus annorum deſcriptiones, emendatio temporum, & accuratiſſima omnium ætatum ratio ac diſciplina continetur? quis niſi cum ſtupore accedat in lucos Euſebii nunc luce meridiana clariores? In Criticis, omnium recte æſtimantium judicio princeps ſine controverſia, ſine æmulo ac rivali dominatur. Quam multi ſunt qui totam in ea parte ſtudiorum ætatem conſumpſerunt, & eam famam adepti ſunt ut columina literarum, & ornamenta ſeculi perhibeantur, qui tamen nullo modo ſunt cum noſtro naturæ miraculo conferendi? Ille eſt aquila in nubibus, ille

Οἶος πέπνυται, οἱ δὲ σκιὰ ἀΐσσουσι.

Solus hic eſt ſapiens, alii volitant velut umbræ.

Quoties ejus meminerunt duo de triumviris reipubl. literariæ (non eſt obſcurum quos hoc elogio deſignari cupiam) tanquam de divino quodam viro, non de homine mortali loquuntur. Sed quid opus eſt per conjecturas, per interpretes & teſtimonia veritatem exquirere, quum in medio perſcriptæ ſint authoritates ipſius viri majores omni exceptione, quibus cum æternitate

ſeculorum famam nominis ſui conjunxit & exæquavit? Nullus eſt alicujus notæ ſcriptor Græcus aut Latinus, cui non lucem aliquam fœneratus ſit. Præclara ſunt, & ſupra omnem commendationis aleam aſſurgunt ea quæ cum uſu publico communicavit, nec minora cenſeri debent quæ intra Veſtæ penetralia liberali cuſtodia aſſervavit, ut erat fugitans ambitionis, & ipſe ſui contemptor, præſertim in ejuſcemodi ſtudiorum diverticulis & amœnitatibus, quum tamen plerique ex hoc muſtaceo laureolam quærant, & mirifice ſibi placeant ſi vocem aliquam obſoletæ vetuſtatis, *Verbaque cinctutis vix exaudita Cethegis*, è ſitu & ſqualore in lucem revocarint. Philologiam ille quidem adamavit, ſed quum intervalla negotiorum otio inſititio diſpungere voluit, & hoc exercitationis genus habuit inter laxamenta curarum. Quippe quum acer ille animus, & æmulator cœli, unde originem ducebat, non poſſet nihil agere, mutationem laboris inſtar refectionis arbitrabatur. Cato Cenſorius, ut memoriæ proditum eſt, in Originibus magnifice & ſapienter ſcripſit, viris claris & eminentibus non minus otii, quam negotii reddendam eſſe rationem. Erat & apud Athenienſes ἀργίας δίκη adverſus deſides & ignavos. Si noſtro incomparabili viro libuiſſet in lucem aſpectumque proferre quidquid ſub acumen ſtyli veniebat, quum mentem gravioribus curis feſſam humaniorum literarum ſolatio recrearet; nihil forſitan ſupereſſet quod in Criticis deſideraremus. Longe poſthabenda eſſent aliorum ſeria ludicris ejus, & animi remiſſionibus. Quum autem inflammavit eum igneus vigor, & afflavit ille ſpiritus, ut ad Poëſim accingeretur, quis cum ea paria fecit? quem non longo intervallo poſt ſe reliquit? Quis in Græcis viam vidit qua iretur ad carmen, aut viſam feliciori pede calcavit? Omnia captu ſeculi noſtri ſuperiora ſunt, & ad eruditiſſimæ antiquitatis gloriam adſpirant, nec fuco aut lenociniis, ſed inaffectata ſimplicitate & naturali pulcritudine aſſurgunt. quodque argumentum eſt abſolutiſſimæ ſcriptionis, omnes vel mediocriter literis imbuti, quum ejus Poëmata in manus ſumunt, ſi quid habent ingenuæ indolis, eadem ſibi in mentem venire poſſe vano credulitatis errore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

rore imaginantur : ſed ubi in rem præſentem, & ad experientiæ ſpecimen venitur, ſudabunt plus ſatis, &, niſi ſint prorſus excordes, ultro imbecillitatem ſuam agnoſcent, & ſuo ſe modulo ac pede metiri verum arbitrabuntur. Hoc opus, hic labor eſt. Ego plurimum genio meo gratulor, quod ex maximi viri conſuetudine, & intima admiſſione fructum hunc reportavi, ut quanquam abſum longiſſimè à facultate condendi monumenta perfectæ curæ aut artis, tamen haud omnium abſurdiſſime forſitan de claris operibus ſententiam ferre poſſim. Benignius enim & indulgentius patet judicandi dexteritas, quam efficiendi poteſtas. Cæterum qui (ut cum Platone loquar) non pepulit fores Poëticas, is ſi de præſtantiſſimo vate judicium facere præſumpſerit, nihilo plus aget, quam ſi cœcus de varietate colorum, ſurdus de concentu vocum arbitrari voluerit. Quum autem habeant hæc ſtudia ſuam quandam tempeſtivitatem, nec ſerior ætas promendis Muſarum fœtibus idonea aut habilis eſſe videatur : illud maxime mirandum eſt, in noſtro ſene perpetuam ingenii alacritatem, & juventutis indolem effloruiſſe : nec ullum ex ſenectute deliquium mens ejus unquam ſenſit, ſed acceſſionem prudentiæ, & judicii maturitatem reportavit. Veneres & feſtivitates comitatæ ſunt eum uſque ad extremum ævi decurſum. Sed ut picturæ lucem nihil tam commendat quam umbra : ſic non melius quam obtrectationi & invidiæ creditur qualis quantuſque ſit IOSEPHVS SCALIGER magni patris magna progenies.

Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe deorum.

Quid enim illi objectare poſſunt homines omni pudore diruti præter virtutem, cui bellum indixerunt? quid imperitos male urit præter infinitam eruditionem, cujus radios noctuæ non ferunt? quid flagitioſos & ſcelerum ſibi conſcios quieſcere non patitur præter integritatem morum, & vitæ ſanctimoniam, à qua longe ſunt averſi? quid animas humiles, & egenas veræ laudis offendit, niſi

Multa viri virtus animo, multuſque recurſans
Gentis honos,

quarum rerum fulgore perſtringuntur? Sed impenetrabiles ſunt heroum filii morſibus calumniarum, nec infame genus bubonum officere poteſt luminibus Phœbi. An quidquam decidit magno Catoni quod Strumæ ſedent in ſella Curuli, quodque ſe præterito Vatinius judicio fæcis Romulorum ad præturam eſt evectus?

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Vt arbores altius radice terram comprehendunt, quo ſævius ventorum furiis exagitantur: ita clarius illuſtratur, & purius eniteſcit dignitas & amplitudo præſtantium virorum, quo magis obnoxii ſunt telis malignorum, qui ſimultatem eorum affectant quorum ſimilitudinem aſſequi vel propter improbitatem nolunt, vel propter ignaviam deſperant. Ipſe Iove progenitus Hercules *diram qui contudit hydram*, qui omni genere monſtrorum terras liberavit, & quem fama beneficiorum memor adſcripſit numero Divorum, non prius invidiam debellare valuit, illam individuam virtutis labem, quam è rebus humanis exemptus eſſet. Noſter etiam dum interfuit mortalium cœtibus, ita ſublimitate mentis eminebat ſupra fatalem hanc lucem, ut ejus omnem impetum eluderet, tanquam à ſcopulo fluctuum aſſultus frangi ſolent. Niſi quis jejune malevolus putet, florem dignitatis, aut honorem illuſtriſſimæ propaginis, unde reges, & latè terrarum domini prodierunt, quidquam detrimenti capere ex fœtidis ſcurrarum conviciis, quorum ne nomina quidem ſine piaculo pronunciari debent. Quis unquam erupit in auras immanior & horribilior liber quam eſt SCALIGER hypobolimæus? Niſi ipſo furore ſatis cruciaretur editor infandi operis, delegandus eſſet carnifici. neque enim alia manu ſanari poteſt tam vehemens morbus. Sed quid aliud quam deteſtabile & abominandum pareret veſpillonis atque exoleti ſcorti progenies, plagiarius, fur, delator, crucis candidatus & eſca patibuli: monſtrum in ultimas terrarum oras deportandum, & ex ipſis humanæ naturæ finibus exterminandum? Is omni colluvione ſcelerum ac flagitiorum

rum execrabilis auſus eſt ſanctiſſimum ſenem, cui haud ita pridem tanquam deo litterarum aſſurgebat, quem laudibus extollebat ultra quam fas eſt ſperare mortali, in eum auſus eſt furcifer tam tetra, tam abominanda convitia jaculari, ut nihil impurius ex Averni faucibus tota furiarum cohors exhalare poſſit. Scilicet hæc nitedula ſordes ſuas affricare ſtuduit homini inculpatiſſimo, cujus conſcientia major, aut intacta vitiis, tantum abeſt ut ſe feriri ſenſerit, ut potius inde collegerit ſegetem & materiem veræ gloriæ, ſibique impendio placere debuerit, quum diſplicet talibus vomicis & carcinomatis, quæ vivunt in opprobrium ſeculi, & in deteſtationem generis humani. Sed nunquam aſſequetur impuriſſimus ſcurra, perditæ profligatæque turpitudinis, & morum immanitatis, ut vel bonorum virorum innocentiam lædere, vel clarorum famam imminuere, vel fortium & generoſorum indignationem mereri poſſit. Itaque noſter heros faſtidioſo contemptu, & conſtanti ſilentio vindicabat ſe ab hujuſmodi nebulone, ne luto manum inquinaret, aut voto compotem efficeret infamis famæ cupidum adverſarium, ſi iraſci dignatus eſſet. hoc enim propoſiti habuit ut glorioſis inimicitiis inclareſceret, & per ruinam alienæ exiſtimationis ad famam graſſaretur. Sed aquila non captat muſcas, nec unquam fando auditum eſt, bubonem obſcœnum periiſſe Pæanis arcu. Nos auriti teſtes ſumus, quam ſuaviter interdum jocos & dicteria jaceret in ejuſce notæ verberones, quos non tam oderat ob improbitatem, quam contemnebat ob ſtultitiam. Et certe ſibimet iratus, ac dignitati ſuæ fuiſſet injurius, ſi cum tam diſpari antagoniſta nullam ad rem, quam ad maledicendum idoneo contendere ſuſtinuiſſet, impar congreſſus Achillei in eo certamine, in quo victoria eſt penes eum qui ſponte cedit, & vinci ſeſe gloriatur. Tum autem, quanquam vivimus in effœto virtutum ſeculo, & feraciſſimo calumniarum, tamen non tam male & ſiniſtre opinatus eſt de ſuis temporibus, ut crederet fore qui tam portentoſis & immanibus mendaciis animum atque aures adverterent, præter eos qui ſimili morbo vel nefandi ſceleris, vel inſanabilis dementiæ conflictarentur. Sed nimis diu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

verſor in infami argumento, dum tot verba perdo contra bipedum nequiſſimum, qui non exiſtimavit probari poſſe ſui ſimilibus ſe eſſe juratum virtutis & honoris hoſtem, niſi principem ingenii, doctrinæ ac ſapientiæ, maledictis inceſſeret: quem quidem ſatis ulciſcuntur mores ſui. nam fruſtra ſim, & cum ratione inſaniam, ſi id genus animal oratione vel ſanare, vel ſauciare poſtulem, ut rubore ſuffundatur canis, cujus frons ferrea & exſanguis depudere didicit, atque omnem humanitatis ſenſum à ſe penitus abdicavit. Olim artibus ingenuis, & homine libero dignis mentes manſueſcere, mores expoliri credebantur, nunc ex hominibus in feras agreſtes degenerant, & naturam ipſam exuunt qui ſe literas amare gloriantur. Cur enim tam ferociter inſurgerent, tam intemperanter debaccharentur lymphatici homines in eum, quem omnes conſentiunt probi primarium ſæculi fuiſſe virum, & Principem Senatus literatorum? Hoc nemo in dubium vocat niſi ſacrilegus & inteſtabilis, nec ullus de generis origine vel ipſi, vel optimo parenti litem unquam movit, quanquam multorum oculis obſervabantur eorum actiones, nec effugiſſet curioſam malignitatis diligentiam, ſi qua ſiniſterior ſuſpicio animis hominum inſediſſet. Nunc exorti ſunt fraterculi Gigantum qui id attentarent quod omnium reformidaverat audacia. Sed non eſt mirum, ſi canes latratu, porci cœno ac ſordibus delectantur. Interim manet æternumque manebit immota veritas, nec loco cedet Scaligera nobilitas, quamvis exuta ſit patrimonio majorum, & exterminata ſedibus avitis per injuriam potentiorum magno cum ſæculi pudore. Non effecit tamen fortuna quod voluit. Ea enim tantum eripuit quæ dare ſolet. Scientiam rerum plurimarum, ſapientiam, animum intelligentem divini humanique juris, conſtantiam in adverſis, moderationem in proſperis, aliaſque heroicas virtutes non amiſit. Talia munera nec dono dantur, nec adimi cuiquam poſſunt. Omnia ſua ſecum portat magnanimus Bias, quum urbe & arce capta ſe ſolo beatus patriam relinquit, probamque pauperiem ſine dote quærit. Sed ex omni cenſu bonorum, quibus noſter heros ad miraculum uſque ſuſpiciendus fuit, nullam laudem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

laudem reor eſſe comparandam cum pietate, & religioſo Numinis cultu. Quæ virtus tanto clarior haberi debet, quo rarius in eruditis hominibus deprehenditur. Dicam enim juſta cum indignatione id quod res eſt: plerique ſcientiæ typho ſic inſoleſcunt ut Deum vereri ac venerari dedignentur, quaſi doctrina dux eſſe debeat ad induendos ritus Cyclopum, & exuendam Numinis reverentiam, in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ ac ſapientiæ reconditi. Noſter autem immane quantum à Mezentiis Divûm contemptoribus abhorrebat. Nullum genus hominum (ſi homines dicendi ſunt & non potius brutæ pecudes) tam inexpiabili odio averſabatur, & diris atque exſecrationibus devovebat, quam atheos: nec facile adduci poterat, ut crederet, quenquam ita deſciſcere à naturali lege & ratione, ut Deum aut non adoraret, aut non putaret. Permultos quidem reperiri qui ſic vitam inſtituerent, quaſi nullus eſſet in cœlo rerum humanarum arbiter ac moderator, qui quæ nos gerimus audiret, & contemplaretur, vindex ſcelerum, munerator recte factorum. Sed tamen ubi ſuam quiſque conſcientiam interrogat, neminem ſe judice abſolvi poſſe quin ſub domeſtico tortore ſævius vapulet quam ſi ſaxo ſaliat, has eſſe tædas ardentes, has furiarum faces quibus improborum mentes inquietantur, ut quidquid meruerunt ſemper exſpectent, & ultricem Nemeſin accinctam flagello ante oculos verſari arbitrentur; contra nihil ſecurius poſſe dici animo ſibi recte conſcio, *hic murus aheneus eſto: Nil conſcire ſibi. Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* Porro cum ſtudio veræ pietatis, quam ante omnia coluit noſter venerabilis ſenex, adjunxit amorem veritatis, quam & à patre didicerat, & prorſus in animum inducebat, eſſe baſim ac fundamentum omnium virtutum. Simulationem ac diſſimulationem refugiebat cane pejus & angue, tanquam hoſtem ingenuitatis, & quæ magnanimum pectus minime deceret. Placuit illi generoſa vox Achillis apud Homerum Iliad. 1:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζῃ.

odi æque ac portas inferorum eos qui aliud ore promunt, aliud

corde condunt. Hunc ille curſum vitæ peregit uſque ad extremum ſpiritum. Solon qui & unus fuit è ſeptem Græciæ ſapientibus & ſolus inter eos legum conditor, dicere ſolitus erat, Neminem eſſe numero beatorum adſcribendum, priuſquam ad fatalem metam devenerit, & ultimum vitæ actum expleverit. hic eſt ille decretorius dies qui de omnibus anteactis ſententiam fert:

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur, & eripitur perſona, manet res.

Nullum tunc fingendi tempus eſt, nullus mimo locus. Optime conſtat vitæ totius ratio iis qui fortiter mori didicerunt. Videamus igitur quantum heic conſtantis animi ſpecimen noſter ediderit. Iamprimum ſimul atque ſe morbo correptum ſenſit, continuo mens præſcia futuri, augurata eſt inſtare ſibi ultimum ævi terminum: idque ſermone & vultu ad firmitatem erecta denunciavit amicis; cumque familiares aliquam ſpem recuperandæ valetudinis oſtenderent, nec animum eſſe deſpondendum, ille contra de morbi ſui genere coram ſummis Medicis tam perite & accurate diſſeruit, ut rationibus ejus haud gravate aſſentirentur. Tanta vero cum tranquillitate mentis certam ſibi mortem impendere aſſeverabat, ac ſi in alieno foro verſaretur, nec ea res quidquam ad ſe pertineret. Mox ſupremæ voluntatis curas ordinavit, ne moreretur inteſtatus. Toto autem tempore quo domi deſedit, aut lecto affixus fuit, ſermones meram pietatem ſpirantes tanquam ex adytis effudit de miſericordia Dei, de redemptione generis humani, de juſtificatione per fidem in Chriſtum, de reſurrectione corporum, & animarum immortalitate, aliiſque præcipuis religionis articulis: adeo ut jam tum cœleſtis gloriæ primitias diſſerendo deguſtare videretur. Interdum vicem ſuam dolebat, quod ob imbecillitatem virium ſolemnibus ſtudiis, & vitæ muneribus incumbere ultra non liceret. Nempe animus priſcæ nobilitatis, & divinæ memor originis, cogitabat, Imperatorem ſtantem mori oportere. Nam ſi infimo generi gladiatorum curæ fuit ut honeſte decumberent, quanto magis decet viros tum in humanarum rerum deſpicientia, tum in ſtudio pietatis exercitatos hoc agere, ut conſtanter ac fortiter fati ſui legem excipiant?

ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ne velut inertes Poëtæ in extremo actu corruiſſe arguantur. Hunc caſum pulchre vitavit noſter primarius ſeculi vir. Nam cum antea ſemper æquabilem ſui modum retinuiſſet, tum in noviſſimo certamine, quo etiam filii deorum percelli ſolent, & de ſtatu mentis exturbari, tanto robore animi, tantaque conſtantia munitum pectus habuit, ut nullo mortis metu ſeſe perrumpi pateretur. Quin & ardentibus votis exoptabat cum Apoſtolo, mature liberari corporis ergaſtulo, & eſſe cum CHRISTO. Nihil aliud preces ejus ſpirabant præter faſtidium hujus infelicis vitæ, & certam fiduciam immortalitatis. Quin & uberibus lacrymis deplorabat nimiam vivacitatem ſuam, quod ad ea uſque tempora duraſſet, quibus in dubium vocaretur meritum & ſatisfactio Servatoris noſtri IESV CHRISTI, quem ſe propediem viſurum eſſe confidebat, ſedentem ad dextram Patris omnipotentis. In hac ſpe & pleniſſima perſuaſione animam placide exhalavit, ut mors ſomno ſimillima videretur, & ad cœleſtem patriam commigravit, unde dono Dei tam ingens pignus ac depoſitum in terras tranſmiſſum erat. Ita nobis occidit magnus heros, cujus quidem occaſum non ignavo luctu proſequi decet, ſed memoriam pie inviolateque venerari. Corpus, hoſpitium illius illuſtris animæ, quæ terras omnes nomine ſuo implevit, heſterna die compoſitum eſt tumulo, ubi exſpectat reſurrectionem, quum æternus æterni Dei filius veniet jura factorum daturus vivis ac mortuis. Potior autem ejus pars cœlo recepta eſt, ubi ſempiterno ævo fruitur, & eam vitam agit quæ nec temporum metis, nec & felicitatis modo circumſcribitur: quam non oculus vidit, non auris audiit, non vox eloqui, nec humana mens capere poteſt. Quapropter etſi non ſolum hæc Academia, verumetiam univerſa reſp. literaria gravi damno ac vulnere afflicta eſt ex tanti viri amiſſione, tamen illius beatitati potius gratulari nos oportet, quam infirmo deſiderio & muliebribus lamentis lugere ademptum, ne magis ob noſtram jacturam dolere, quam ob ejus commodum lætari videamur. Erigamus igitur animam, & fortibus ſolatiis leniamus ægritudinem: quod fiet ſi mentem componamus ad ejus exemplum atque imitationem.

Tot præclara ſui pignora nobis reliquit, quorum decus nulla poſteritas ſilebit, memoriam nulla unquam obliterabit oblivio. In iis contemplari licet ingentis viri effigiem melius expreſſam quam penicillis Apellis, aut cœlo Lyſippi Hæc nobis ad æmulandum propoſita ſunto. Nam ſi fumoſæ majorum imagines, quæ nihil intuendum exhibent præter externam corporis figuram, ardorem honeſtis mentibus addunt, ut eorum laudes vita & factis repræſentare contendant, quanto magis animos noſtros inflammari oportet ad gloriam & verum decus, quum diurna nocturnaque manu verſabimus monumenta præſtantiſſimi virorum? Vos ô flos & ſoboles ingenuæ juventutis, qui huc à parentibus miſſi eſtis, ut inde tanquam à mercatu domum redeatis aucti bonarum artium proventu, quibus patriæ uſui, vobis honori, amicis auxilio eſſe poſſitis, capeſſite precor & amplectamini tam pulchram & præclaram occaſionem. Non poſſunt omnes eſſe Catones aut Socrates. gratulandum eſt ſæculo noſtro, quod Leida primario & ſingularis exempli viro tamdiu potita ſit. Pulchrum & glorioſum eſt iis qui ad ſumma contendunt ſi in ſecundis aut tertiis conſiſtere poſſint. Nos, ut captus eſt mediocrium, non deerimus tueri dignitatem literarum, nec deſeremus honorificam ſtationem in qua nos bonorum ſuffragatio, & nonnulla doctrinæ opinio collocavit. Ad me quod attinet, polliceor ex animo, profiteorque, me nullo unquam tempore veſtris utilitatibus & commodis defuturum, qua publice qua privatim, ſemper curæ & cogitationes meæ ſtudioſorum juvenum temporibus devovebuntur. Extremum hoc erit, ut quod & mos & officii ratio præſcribit, huic ornatiſſimo conſeſſui gratias agam, quod tanta celebritate ac frequentia cohoneſtare dignati ſitis hoc noſtrum non ingenii aut eloquentiæ ſpecimen, ſed ſupremum pietatis munus atque humanitatis, devotum piis manibus principis omnium ætatum viri in omni genere literarum atque eruditionis.

Habita eſt in auditorio Theologico Lugd. Bat. XXVI. *Ianuarii* CIↃ IↃC IX. *hora decima matutina, poſtridie ejus diei quo defuncti corpus ſepulturæ mandatum fuit.*

DOM.

DOM. BAUDI
ORATIO
De INDUCIIS belli Belgici.
Edita ſub nomine LATINI PACATI.
CIↃ IↃC IX.

QVemadmodum iis, qui in magno mari periculis ac tempeſtatibus diu multumque jactati ſunt, nihil exoptatius votis, nihil auſpicatius viſu poteſt evenire, quam ſi Gemellorum ſidus cœlo lumen ſuum exerat, unde præſcia nautarum corda ſpem propinquæ ſerenitatis augurari ſolent; ita non eſt dubitandum quin gratiſſima voluptate ac lætitia perfundantur mentes bonorum omnium, poſtquam Induciarum lux quaſi ſignum extulit ad exſpectandam inde fidam & perpetuam pacem, quæ ſola poteſt in ſolido locare fortunas & incolumitatem Belgarum, poſt tot clades atque calamitates quæ jam prope per annos quadraginta miſeros cives crudelem in modum afflixerunt. Ac licet publica ſecuritas nondum voti ſui robur ac fiduciam aſſumpſerit, tamen maxima res effecta eſt, ex quo certa ſpes affulſit, diuturnas à bello & hoſtilitate ferias conventum iri. Nam & optimus quiſque confidit, & prudentiſſimus præſagit, fore, ut ſemel deguſtata quietis atque ocii dulcedine facilis ſit futura concordia inter fratres & conſortes populos; bonumque illud, quod initio certis temporum ſpatiis includebatur, proprium tandem ac perpetuum evadit. Nam quis eſt tam expers humanitatis, tam ab omni fœdere averſus, tam ab ipſa natura degener, quem bella diſcordiæque civium ſua ſponte delectent? qui non malit ad tranquillitatis portum appellere, quam continuis turbarum pugnarumque fluctibus inquietari? Sed incidunt aliquando neceſſitates & anguſtiæ rerum hujuſmodi, ut viri fortes non poſſint aliter vitam & ſalutem ſuam ab injuriis & intolerabili ſævitia propugnare, quam ſi in Martium, ut ſic dicam, hunc campum deſcendant, non ut præturas aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

conſulatus ambiant, ſed ut ſanguinem ſuum, ut conjuges ac liberos tueantur, & quidquid apud gentes ſanctum habetur. Talis cogitatio apud benignos rerum humanarum arbitros aut veniam nobis, aut etiam aliquam generoſæ indolis ac fortitudinis laudem aſſignabit. Neque enim ulla magis legitima cauſa eſt arma capiendi, quam ſervitutis depulſio, quam vitæ & incolumitatis tutela contra vim & immoderatam dominationem potentiorum. Sed fauſtis potius & ſecundis ominibus proſequi convenit exſpectationem beati ſtatus, qui jam in limine præſto eſſe ſperatur, quam obductas cicatrices refricare dicendo: quanquam grata ſolet eſſe, & ſolatium adfert gravia paſſis ſecuta commemoratio præteritarum calamitatum,

—— & quæ perferre moleſtum
Ante fuit, meminiſſe juvat,

poſtquam ad finem mala pervenerunt. Vt enim iis qui ex gravi morbo recreati ſunt, jucundior eſt fructus, & acrior ſenſus reſtitutæ in integrum valetudinis, quam ſi nunquam ægri fuiſſent: ita nemo melius bona ſua novit quam ii quos ſævi labores, & ambigui caſus plurimum exercuerunt. Intelligamus igitur felicitatem noſtram, & eam gratis animis interpretemur, ſepoſitis malignis ſuſpicionibus, quæ tamdiu hoc beatæ pacis negotium prorogaverunt. Libens aſſentior iis qui providam & ſapientem diffidentiam opinantur eſſe firmiſſimum adverſus fraudes & inſidias munimentum: ſecuritatem contra patere ad ictus, nec quenquam facilius opprimi quam qui nihil metuat: ac ſi in alterutram partem peccandum ſit, ſatius eſſe vanis moveri, & omnia tuta timere, quam inani credulitate velut hamo ineſcari. Sed habeat hæc diligens cautio locum, ut quæ provideri humano conſilio poſſunt ante commentemur, & animo præcipiamus, ne veniendum ſit ad inconſiderantiæ excuſationem *Non putaram*: quam ſcopulo pejus formidare debent ii, quibus populi ſalus concreditur. In hac parte non poſſumus eſſe nimium timidi, minuſque proni ad bene ſperandum: heic decet unum quemque pro communi bono, ut cum Latino Rege loquar,

Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.

At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

At vero ſequeſtranda eſt intempeſtiva moroſitas, & nimia ſollicitudo, ſi futura ſit impedimento, quo minus res maxime utiles ac ſalutares ad optatum & felicem exitum perducantur. Facerem temere, & privati hominis modum ac modeſtiam excederem, ſi curioſius inquirere auderem in actiones eorum qui ſedent ad clavum imperii, & quorum curæ ac vigilantiæ permittitur, ut videant ne quid reſpublica detrimenti capiat. Nefas ſit dubitare, quin tanto quiſque impenſius libertati cautum voluerit, quanto ſcrupuloſior eſt in evolvenda conceptione verborum, quibus abſque omni cavillo & circuitu planum & perſpicuum fiat, nos eſſe populum utentem noſtris legibus, omni nexu fidelitatis aut clientelæ, omnique jure alieno ſolutum. Sed ubi ſubſcripta & obſignata fuerint omnia quæ à verſutiſſimis ingeniis ad tollendas omnes exceptionum ambages excogitari poſſunt, quid erunt iſta præter vocabula artis? præter cautiones formularum? præter literas & voces? Infirma ſane ſunt hæc fidei vincula, nec idonei obſides diuturnitatis, niſi magnates ultro ſibi legem dicant, ne ulla ſpe vel ingentis commodi, neve ullo prætextu recedere velint à promiſſis. Nihil eſt in hominum ſocietate fide ſanctius, nihil in rebus divinis jurejurando. Sed ſi quis, ut ait Tragicus, lingua juret, mentem injuratam gerat, præſertim regni gratia, quo pretio Iulius Cæſar jus violandum eſſe dicebat, & re ipſa violavit: jam nihil erit ad decipiendos ſimplices efficacius religione ſacramenti. Nonne magna pars eorum qui in ſummo dignitatis faſtigio verſantur, verum eſſe comprobant id quod à Lyſandro dici ſolitum accepimus, pueros ludere aſtragalis, Principes perjuriis? Nunquam deerit hominibus ad fraudem paratis color, aut effugium ne pacto ſtetur cujus eos pœniteat, idque nullis fœderum aut conventionum formulis vitari poteſt: Idcirco etiam potentiſſimorum Regum ac Principum Legati dominorum ſuorum authoritatem in hanc cauſam obligare parati ſunt, ut ſecuritati noſtræ conſulatur. Porro conditiones & leges pene dicam horrendi carminis, quæ poſtulantur à principibus in altiſſimo rerum humanarum faſtigio conſtitutis, cum nullam contineant evidentem utilitatem, nec aliud quærant præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ter contumeliam ſceptrigerorum monarcharum, non videntur proponi animo impetrandi, ſed ut aliquo juſti colore negotium omne pacis aut induciarum conturbetur. Ajunt juris conditores, non eſſe hominum malitiis indulgendum, idque ſatis ſuperque dictat communis ſenſus. Quid porro minus ingenuo & candido pectori convenit quam id poſtulare, quod nec tibi proſit, & officiat alteri? Sunt qui contemptim traducunt, & ſermonibus extenuant vim illius ſive agnitionis, ſive declarationis, qua ſtatus noſter tanquam reſp. liberæ gentis ab adverſa parte nominatur. Sane nihil inde fiat accipientium, nec ad nos quidquam redit, niſi quarum rerum poſſeſſionem ſanguine ac ſudore per annos plurimos velut uſucapione partam habemus: & quidem ita ut maxima pars Chriſtianarum gentium perſuaſum habeat cauſam noſtram optima lege fundari. Sed ſi ſpectetur majeſtas & immenſa magnitudo Regis Hiſpaniarum, vix timida votorum nuncupatione quidquam majus à Deo immortali ſperare poteramus. Quis enim unquam credidiſſet, poſt tam diuturna bella per populum olim ſubditum geſta cum tam potenti regnatore, futurum, ut avito patrimonio dejectus, non tantum reconcilationis ſpem & præteritorum oblivionem oſtenderet, verum etiam ſua quodammodo confeſſione, nos legitimo jure ſubnixos eſſe, pronuntiaret? Id nobis & ad famam honorificentius, & ad ſpem ſtabilitatis firmius, & ad exiſtimationem vicinorum ſpecioſius videri debet, quam ſi diſertioribus verbis ſignificarent adverſarii, ſe nobis in perpetuum cedere, & reſignare omnia jura, nomina & obſequia, quibus antea Auſtriacæ domui divincti eramus. Nam hoc pacto libertatis noſtræ titulus originem ſuam caperet ab eorum beneficio, nec ad retro geſta vim ſuam extenderet. Nos autem publico jure & ſacrarum legum authoritate cauſam noſtram munitam eſſe dicimus, nec pendere ab alieno conceſſu. Non enim infinitam poteſtatem permiſſam eſſe principibus in Belgas, ut iis qui bello victis leges pro arbitratu imponunt, ſed aſtringi certis privilegiorum ac rituum formulis, à quibus ſi recedant, nec moniti meliora ſequantur, tunc Ordinum ſit providere, ut reſp. bene adminiſtretur. Hoc funda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

fundamento niti libertatem noſtram aſſerimus,nec ſine nota prævaricationis alium titulum ambire debemus: alioqui multum decedet de cauſæ publicæ dignitate, ſi fiduciarium jus ad hoc uſque tempus habuiſſe cenſeamur. Quid quod communi opinione prudentium receptum eſt, jura Majeſtatis in poſterorum præjudicium nec cedi,nec ullo quantumvis longiſſimo temporis ſpatio præſcribi poſſe? Reges enim pupillis comparantur in adminiſtratione eorum quæ ad ſtatum imperii pertinent, & in integrum reſtituuntur ſi quid perperam alienarint. Tutores enim & depoſitarii ſunt publicæ ſalutis, ut rem populi ſalvam fore, & non everſum iri, procurent ac ſpondeant, ut depoſitum cuſtodiant, non ut intervertant. Quin & amabilis ille error pleriſque Cæſaribus utiliter inſedit, ideo ſe Auguſtos appellari quod imperium augere debeant, non imminuere nec debilitare. Aut igitur prorſus excludenda fuit omnis de pace vel induciis diſceptatio, aut eo contenti eſſe debemus, quod more majorum, quod incolumi Regum Majeſtate, quod ſalvo jure ſalviſque legibus concedi poteſt. Hoc pacto ſatius eſt à volentibus obtinere minam, quam talentum per importunam efflagitationem. Ex formula fiduciæ inter bonos bene agier oportet; ex diſciplina humanitatis quidquid honoris detulerimus ſceptris, & tiaris, dum ea comitas nullam libertati labem aſpergat, nihil de vera magnitudine ac potentia decerpat atque imminuat, eo plus commoditatis, & invidiæ minus conſequemur. In conſilium nobis datur à magnis Regibus optime erga nos animatis, & quibus rerum noſtrarum ſtatus ad liquidum perſpectus atque exploratus eſt: qui nec ob prudentiam facile decipi poſſunt, nec ob innatam animi generoſitatem decipere vellent gentem obſervantiſſimam ipſorum Majeſtatis. Cæterum etſi magnæ molis deliberatio tardos ſolet habere progreſſus, & minime faciles explicatus in adminiſtratione populari, ubi tot capita ſunt, tot ſententiæ: tamen illud non in dubio ponendum, quin unum omnes ſentire debeamus. Neque enim tam ad rerum noſtrarum ſummam pertinet conſultare, utrum Induciæ placeant an bellum, quam omni ope cavendum eſt, ne diſſenſione ac pertina-

cia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ciâ (quæ plerumque rem in diſcrimen adducere ſolet) recta & reip. ſalutaria conſilia corrumpantur. Facto heic & maturato opus eſt, ne, ut in lentis & contentioſis deliberationibus ſæpe accidit, ea videantur optima quorum tempus & oportunitas effluxit. Vitia omnia & incommoda quæ ex armorum intermiſſione metuuntur, una re declinari facillime poſſunt, ſi in medium conſulerimus, ſi concordes erimus, ſi prudenter & circumſpecte nos geramus, intenti ad omnes eventus ne quid præter exſpectationem imparatis objiciatur. Sed ii qui tam ſedulo recenſent cauſas formidinum ad alendam in perpetuum diffidentiam, ut ſic inter fratres duret immortale bellum quod ſola contrariæ partis internecione finiri queat, veluti incendium quod ruina reſtinguitur, poſtquam nihil amplius ſupereſt quod igne abſumatur: ii tanquam importunæ muſcæ locis impolitis adhæreſcunt; levia prætervolant, nec ex adverſo perpendunt quanta bona, quantæ commoditates ex Induciis ſperari debeant. Multi rerum temporumque conſulti in ea ſunt opinione, ut exiſtiment magis in rem noſtram fore pactionem Induciarum, quam ſi ex tam diuturno & lamentabili bello proceſſus continuo fiat ad concludendam pacem, quæ (præter quod omnis mutatio ſenſim ac pedetentim induci debet, nec uno impetu tranſeundum eſt ex alio in aliud extremum) forte nec fida, nec diuturna foret. Exemplis enim & vetuſtis & recentibus compertum eſt, Inducias plerumque ſacratiores eſſe, ac minus violabiles, quam fœdera perpetuæ pacis. Cui experientiæ ratio etiam aliqua ſuffragatur. Nam cui conventa pax diſplicet, vix alio pacto poteſt animum explere, & offenſiones ſuas ulciſci, quam fidem violando. Qui non probant Inducias, exſpectatione finis dolorem ſuum frænant, ac moderantur. Quid non commodi ſperandum eſt, ut alia tacitus præteream, ubi ſine mutuo metu ultro citroque commeare licebit? dextras jungere? notas audire ac reddere voces? propinquos & amicos longo poſt tempore viſitare? An non veriſimile eſt, ex tali converſatione mentes ejuſdem gentis in unum coalituras, quas arma diſtraxerunt? An non arbitramur fore ut communiter & certatim pro ſe quiſque dirum Martem exſecren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſecrentur? An non illud cuivis liquet, Brabantinos, Flandros, Hannones, Arteſianos, & quantum pene eſt Belgarum ſub imperio ac ditione Archiducum, ardentiori pacis & compoſitionis cupiditate efferri quam noſmet ipſos? ſi non affectu & animorum inclinatione erga nos, ſaltem commodi ſui ſtudio, & ſpe florentioris fortunæ. Vident enim quod omnibus perſpicuum eſt, res opeſque noſtras bello creviſſe, ſuas contra paulatim atteri velut tabe quadam, & ſemper abire in pejus, nec unquam Batavos ac Zelandos meliore loco fuiſſe, quam in quo nunc ſiti ſunt. Cæterum hæc tanta fœlicitas non humanis viribus aut conſiliis, ſed divino favori tribuenda eſt, cujus ope per tot annorum curricula bellum geſſimus cum potentiſſimo terrarum Monarcha. Diſcamus ergo bene ferre magnam fortunam, eamque reverenter habeamus, ne ex inſolentia ſequatur rerum commutatio. Multi temere & imperite ſupra modum extollunt potentiam noſtrarum partium, nec ſatis magnitudinem hoſtis expendunt, quo nullus (cur enim ſileatur veritas) ab orbe condito latius imperitavit. Si quid in eo eſt imbecillum, ideo fit quia tantæ molis eſt ut ſe toto uti non poſſit, & quia omnis nimia magnitudo ſuis ipſa viribus fatiſcit. Illud quod ante dixi repeto (neque enim ſatis unquam celebrare poſſumus divinam ergo nos indulgentiam & miſericordiam) miraculo tamdiu ſtetimus contra tot regnorum ac regionum dominatorem, cujus immenſæ ditiones iiſdem pene metis ac ſpatiis quibus ſolis curſus, terminantur. Ea porro quæ divinitus accidunt, & à majore vi proveniunt, raro & inuſitato Numinis favore, non ſunt trahenda in exemplum, nec ad conſequentiam produci debent, alioqui ſub velo religionis pernicioſe erraremus. Non eſt ergo cur ob virium noſtrarum fiduciam gloriemur, & ſuperbe reſpuamus ſub honeſtis legibus conditionem Induciarum. Illud potius vereri convenit, ne ſi tam præclaram occaſionem ex conſilio ſummorum Regum ac Principum oblatam repudiemus, ſero poſtea eandem quæramus & queramur ademptam. Non ſemper præpotentibus dominis idem manet animus, nec fallaci auræ nimis fidendum eſt. Fortunam vitro conſimilem eſſe ferunt: reſplendet illa quidem,
ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſed levi momento frangitur: eam qui nimis avide inhiat, male concoquit, & velut dulci temeto victus, lymphari ac luxuriare conſuevit. Æqua mens ſibi fræ-nos imponit, & fortis apparet in adverſis, nec rebus proſperis ultra terminum moderationis evehitur, aut ſe felicitate corrumpi ſinit. Heic occurretur iterum ab iis qui nodum in ſcirpo quærunt: Et erit, inquient, ut per oportunitatem Induciarum, hoſtis fortunas ſuas conſtabiliat, pontentiamque & opes ita firmet, ut nulla vi poſtea pares ad reſiſtendum eſſe poſſimus. Quaſi vero nunc exiguus ille terræ limbus quem inſidemus, cum illius latifundiis ſit ulla ex patre conferendus. Et vero quid obſtat quin & ipſi utamur commoditate pacati temporis? quin ex præcepto medicorum caveamus in proſpera valetudine ne adverſæ præſidia conſumantur? quin attenti ſimus ad ærarii vires recte diſpenſandas? quod quidem nervos eſſe belli fateor, nec diſciplinam ſervari poſſe à jejuno exercitu: ſed & imperii dignitas, & ornamenta pacis ſine tributis ac vectigalibus ſtare non poſſunt. Verum ſunt alia longe præſtantiora, quibus populi ſalus, & rerumpublicarum fortuna continetur. In eo genere ante omnia eſt erga Deum Religio, quæ conſcientiam mentis noſtræ regit: eſt item erga homines Iuſtitia, quæ juris ac legum ſanctione fundat humanam ſocietatem, poſtremo cura morum bonorum, vigorque diſciplinæ, ſine qua maximæ res & opes, tanquam corpus anima ſpirituque defectum, ſua mole collabaſcunt. Hæc potiſſima fulcra & firmamenta omnis politiei ſtatus, quæ concuſſa ſunt belli ipſius impetu, pacis beneficio rurſus in priſtinum reſtituenda ſunt, & ſalutaribus conſiliis vincienda, quæ per civiles motus pene collapſa fluxerunt. Hoc ſi fiat, & ſi ſepoſitis diſſenſionibus ac factionibus, omnes unum idemque ſenſerimus, facile nos adverſus externam vim tutabimur. Sin invicem collidemur inteſtinis certaminibus, non erit recuſandum quin malo mulctemur, quod ipſi nobis Marte noſtro conſciverimus. Equidem aſſentior, eos qui rebus gerendis præſunt, illud in primus ſpectare debere, quum agitur de finiendo bello, vel ineundis fœderibus, utrum ii, qui pacem proponunt, inſidientur temporibus, & id faciant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ciant adducti neceſſitate rerum ſuarum, an vero ſponte, & impulſu benignæ voluntatis, aut (quod eodem pene recidit) tædio ſumptuum & malorum, quæ bello civili comitantur. Nimis ſane nos circumſpicimus, & vires noſtras falſo modo metimur, ſi credimus, hoſtem eo loci redactum eſſe, ut ad indignas Majeſtate ſua conditiones delabi cogatur. Ac de Archiducibus quidem, vix ulla probabilis cauſa eſt, cur dubitetur, quin ex animo pacem malint cum certiſſima ſecuritate, & omni affluentia rerum optimarum, quam perpetua bella cum ingentibus impenſis, & quotidiano diſcrimine ſubditorum. Placidam eorum mentem adhuc magis mitigat orbitas, & prolis deſperatio. Hinc veriſimile eſt eos potius de regundis imperii finibus eſſe ſollicitos, quam de propagandis. Ambitio quanquam potentium mentes fatigat, plerumque tamen friget ubi deficit ſuus hæres. Nec eſt deſperandum, quin Regem ipſum Hiſpaniarum ſerio pigeat tamdiu piſcari aureo reti, tantaſque opes effundere gerendo bello cum gente quæ

Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Quod autem nonnulli verentur, ne data ultro citroque commeandi facultate, paſſim huc illabantur, & viſcera ſtatus noſtri obrepant emiſſarii atque artifices factionum, qui largitionibus & promiſſis, aut (quod utroque potentius eſt) obtentu religionis, fidem & animos civium labefactare conentur: id non eſt de nihilo. Sed quorſum alio tendunt leges, & eorum cuſtodes magiſtratus, niſi ut in tales diligenti indagine anquiratur, & adverſus convictos exemplum ſtatuatur? An in tali periculo patiemur hebeſcere aciem publicæ authoritatis? an Curatoris egent noſtri Ordines, quaſi rebus ſuis ſupereſſe non poſſint? Si per civiles diſcordias, quæ vim imperii reſolvere ſolent, non defuit oportuna ſeveritas, an tempore pacis aut induciarum jura judiciaque ſilebunt? Nec eſt quod falſa fallacique ſpe lactemur, nobiſque palpum ipſi obtrudamus, quaſi principibus iis qui pacem aut Inducias ſuadent, tantæ curæ ſit, aut eſſe debeat noſtra ſalus & incolumitas, ut nunquam paſſuri ſint, quoad in ipſorum erit manu,

nu, nos ſub hoſtium poteſtatem ac ditionem redigi, ne ſupra modum increſcat magnitudo vicinorum, ut ſi nacta ſit materiem ambitioſam & Martialem, facile impelli poſſit ad invadendam alienam poſſeſſionem. Reges enim moderatores ſunt & arbitri ſuarum actionum, nec ab alterius auſpicio conſilium ſumunt. Vt nihil dicam de ſiniſtra curioſitate eorum, qui tam temere ſecretos magnatum receſſus, & intimas cogitationes rimantur, quique ſciunt quod neſciunt, quid opus eſt conjecturis in re perſpicua quum de contraria eorum voluntate ſatis liqueat? Nulla ratio ſuadet, nulla vis cogit ut aliud verbis oſtentent, aliud corde meditentur. Talis ſimulatio non cadit in illuſtres heroum animas. Alter bellorum inexpertus,& paci ſemper aſſuetus ingenio ad eam & affectu totus fertur,adeo ut nullis ſpecioſis conditionibus à propoſito dimoveri potuerit, quin pacem cum Ibero feriret contra multorum ſpem & ſtudia minime obſcura, quæ labantem animum in contrarias partes rapere potuiſſent. Galliarum Regem magnitudinis ſuæ ſecurum, ſola benevolæ mentis indoles hortata eſt; ut & ante nos ingentibus ſubſidiis adjuverit, & nunc idem animus incitat ut nos ſalvos eſſe velit etiam invitos ac reluctantes; quod optimum eſt miſericordiæ genus. Alioqui quis neſcit, naturali divortio Reges & reſpublicas inter ſe diſſidere? Si illis cordi ſumus, ut habeant etiam rationem dignitatis, ut ſe reſpiciant & famam vereantur, ne quid feciſſe velint quod incommodis opinionibus materiam, aut occaſionem ſubminiſtret. Illa vero capitalis & pernicioſa opinio longe ſegreganda eſt, quæ tamen, velut oraculum inculcatur multorum mentibus, nimirum nos incolumes & ſalvos eſſe non poſſe, niſi continenter in armis ſimus, & abſque ulla miſſione digladiemur more prædonum ac piratarum, quorum vita ſemper ſub ictu eſt, atque in acie ferri verſatur. Sane ſi tam dura lege viveremus, quis generoſæ virtutis indole præditus non optaret ſemel mori potius, quam hac perpetua ſollicitudine conflictari, ut ille purpurarum cultor,

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Sed non ita res habet, & tam deteſtandum omen Deus avertat. Omnia ſecuritatis humanæ præſidia,& pignora nobis ultro ſuppetunt, niſi nobis deeſſe velimus. Adſunt & conſilii auctores, & fidei ſponſores Legati maximorum Monarcharum & Principum, qui nos tranquillo animo eſſe jubent, & rara fore ſpondent ex perſona ſuorum Dominorum, quæcunque pacto Induciarum continebuntur. Neque tamen inficiari velim, opus omnino fore, ut præſidiario milite firmentur urbes limitaneæ, finitimæque hoſtili agro, ne quid ex improviſo mali oriatur. Neſcio an præ ſtudio, ritu Sabinorum, ſomniem quod velim; ſed hac jucunda opinione ſuſtentor, ſequuturam mox pacem ubi ſemel hanc amabilem otii loton deguſtare inſtiterimus. Quemadmodum ajunt, iis qui ex Clitorio fonte biberunt oboriri vini tædium, ita capiat nos ſatietas bellandi ſimul atque dulcedo ſequeſtræ pacis manare ad ſenſus,& in animos influere occeperit. Aure ſurda præterlabendi ſunt Sirenum cantus,qui nullam ſpem incolumitatis ponunt niſi in continuatione miſeriarum, atque in omnium rerum perturbatione, hoc eſt, qui in turbis otium, in naufragio portum quærunt. Ingenioſis hominibus patet uberrima dicendi materies, quum ſiniſtræ & inſidioſæ pacis mala commemorantur. heic luſciniolæ nunquam deeſt cantio. Nec ego ne nihil timeamus moneo, ſed ut timorem noſtrum ſana ratio, & communis utilitas moderetur, non quæſitæ ex alto cauſæ ſuſpicionum. Sunt enim nonnulli augures ſiniſtri judicio ſuo valde ſapientes, qui non tantum ea quæ ante pedes ſunt vident, ſed etiam in poſterum longe præſentiunt. Hi valde ſcilicet perpetuitate imperii, deque publica ſalute ſolliciti quærunt, etiamſi pactæ Induciæ bona fide ſervantur, quod vix futurum ominantur, dum *metuunt Danaos, & dona ferentes*, quid nobis denique futurum erit ubi tempus pactione definitum præterierit? Iuſtius eos interrogare poſſem, quid nobis hoc puncto temporis fiet ſi oblatas conditiones aſpernati erimus? quid non miſeriarum perpeſſuri ſumus, quid non adituri periculorum, ſi ab omni apparatu parum inſtructis, ab amicorum præſidio derelictis, iterum ad cædes & prælia veniendum fuerit? Quid ſi in acie fuſi fugatique erimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

erimus, & aliqua notabili pugna vincamur, ut eſt Martis alea ſemper anceps & incerta? nec nobis res eſt cum imbelli, vel imbecillo hoſte. quam tum arbitramur fore miſerandam conditionem noſtri ſtatus? Hactenus auxilio atque opibus duorum magnorum Regum adjuti, ægre tamen ſuſtentavimus, quid futurum eſt ubi repudiato eorum conſilio ſub cultro ſoli linquemur, ut etiam merito paſſi eſſe videamur quidquid evenerit? Iam vero ſi minæ erumpant in nervum, & ſtudia certaminum ad cætera vulnera noſtræ reipubl. malorum extremum accedat; diſcordia Provinciarum, diſtractioque à communi cauſa: quæ ſalus nos ſervare poterit, quum animis viribuſque juncti pares non ſimus?

Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες.

Hoc hoſtis velit, & magno mercentur Iberi.

Tamen non deſunt qui hoc exitiale diſſidium authoritate patrii moris, & privilegii cujuſdam prærogativa defendunt, ut cum ratione inſanire videantur, quaſi in tanta re nihil ſtatui poſſit niſi conſpirantibus in unanimem ſententiam omnibus Provinciis: quod quidem verum eſſe fateor, ſed pernicioſiſſimum exemplo foret, tali prætextu quaſi per concuſſionem bono publico remoram objicere, & ſanioris partis conſenſum impedire. Non ſunt habenda pro legibus quæ contra ſalutem reipublicæ tendunt. Nulla re magis conciderunt potentes populi, quam libertate diſcordi, & intempeſtiva privilegiorum obſervatione. Nec immerito culpatur Cato, vir alioquin omni laudi abſolutus, quod quum patria eſſet in extremum adducta diſcrimen, nimis antiqui moris retinens fuerit, & ita vitam inſtituerit quaſi fato delatus in remp. aliquam Platonis, non autem verſaretur in fæce Romuli. Vir ſapiens enim, & bonus civis, tempori conſilia ſua accommodabit, ne fruſtra obnitendo prævalidis, & ingraveſcentibus vitiis ſententiam dicat cui nemo ſuffragetur, aut obtemperet. Legum oportunitates, ut remedia quæ corporibus adhibentur, leniter inflecti debent, aut interdum plane tolli, ſi id exigat ſuprema legum omnium norma, ſalus populi. Nulli fuerunt obſervantiores legum à Lycurgo latarum quam Spartani. hoc ipſo gloriabantur, inquit Xenophon, & ingentes animos tollebant quod humili

obſequio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

obſequio ſeſe ſubmitterent patriæ legibus. Quum autem per eas non eſſet permiſſum, ut idem bis præfectus maris crearetur, & tamen omnino communis utilitas poſtularet ut Lyſander eo munere fungeretur: Aracum quempiam declararunt titulo tenus claſſis præfectum, ſed ſpecie legationis totam poteſtatem Lyſandro tranſſcripſerunt. Iidem, quum ea tempora incidiſſent, ut neceſſitati potius quam conſuetudini parendum eſſet, dixiſſe feruntur, dormiant hodie leges. Scipio Africanus, quum ad neceſſarium reip. uſum plane opus foret, ut ex ærario pecunia promeretur, nec facere auderent quæſtores, quod ſe lege prohiberi affirmarent: claves popoſcit, & cum dicto ærarium aperuit, ac legem utilitati cedere coëgit. Quæ reip. ſalutaria ſunt, ea ſalvis legibus, & bono more fieri cenſentur: hoc jus ipſe Iupiter ſanxit, &, ut ajebat magnanimus Hector, optimum eſt auſpicium pugnare pro patria. Si quis itaque roget, quis exitus nos manebit ubi fuerit elapſum tempus Induciarum, longe juſtius ex eo quæram, quem finem habitura ſunt hæc civilia bella? quæ mens eſt noſtrorum armorum? quis ſcopus? quis terminus? Omne bellum juſtum ac legitimum ea ſpe & cogitatione ſuſcipitur, ut ſine injuria in pace vivatur.

——— Pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum eſt: pax una triumphis
Innumeris potior.

Pacem intelligo quæ ſejuncta ſit à pactione ſervitutis aut ignominiæ, quæ nihil habeat inſidiarum, quæ talis ſit in receſſu, qualem dulce nomen promittit. Etiam ſi nobis ad bellandum obſtinatis, omnia proſpere feliciterque ſuccedant, (quod tamen temere augurari non oportet, quum Deus oderit nimis avaras & immodeſtas cupiditates) quid amplius jure nobis eſt ſperandum, quam ut noſtra conſervare poſſimus, neu modum egrediamur inculpatæ defenſionis? Non enim, ſi legitima cauſa fuit cur ab Hiſpaniarum Regis ſacramento deficeremus, eadem nobis militabit ſi eos fines exceſſerimus,

Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Porro quum nullo non tempore ſuſpecta nobis eſſe debeat inconſtantia rerum humanarum, varietaſque deſul-

toria fortunæ : tum nunquam magis cohibendi ſunt inſolentes ſpiritus, quam quum omnia ad nutum & voluntatem fluere videntur. Etiam ſi viribus pares eſſemus, (quod eſt ſummæ impudentiæ nobis arrogare) etiam ſi ſuperiores, tamen in ipſa victoria, quæ plerumque negligentiam creat, & à recte conſulendo abducit, maxime paci ſtudendum eſt, nec expectandum donec atrati eam petere cogamur, ut ajebat Demades popularibus ſuis intempeſtiva dimicandi cupiditate flagrantibus. Quum perlatus eſſet Carthaginem nuncius victoriæ Hannibalis ad Cannas, qua pene ad exitii metam venit Romanum Imperium, videbatur nefas injicere ullam pacis mentionem; non eo ſegnius tamen Hanno Barchinæ factionis adverſarius, quem ſemper belli contra Romanos ſuſcepti pœnituit, prudenter hortatus eſt ſuos cives, ut in ſecundis rebus fortuna uti vellent, & de pace potius, quam de bello cogitarent. *Nam ſi*, inquit, *prætermittimus hoc tempus quo magis dare quam accipere poſſumus videri pacem, vereor ne hæc quoque lætitia luxuriet nobis, ac vana evadat.* Nec falſus vates fuit. Nam quum tunc temporis ab animis ingenti lætitia occœcatis repudiata eſſet ejus ſententia, ſero poſtea à Senatu laudata fuit, quum eo redacti eſſent miſeriarum, ut quas conditiones ante ferre poterant, eas deinceps ſuppliciter orando non impetrarint. Mentes enim hominum dulci fortuna quaſi inebriantur, ne videre poſſint quæ ſunt ex uſu. Quem caſum vitare cupiens Cæſar ſcribit: *hoc unum eſſe tempus de pace agendi, dum ſibi uterque confideret, & pares ambo viderentur: ſi vero alteri paullum modo tribuiſſet fortuna, non eſſe uſurum conditionibus pacis eum qui ſuperior videretur, neque fere æqua parte contentum, qui ſe omnia habiturum confideret.* Quum igitur noſtræ vires & opes, cum immenſa magnitudine ac potentia Regis Hiſpaniarum ſine fœdo errore calculi conferri non poſſint: quæ ſpes, quæ fiducia nos inflat, ut utilitati, vel neceſſitati potius animos ſubmittere dedignemur? Pacem quidem arbitror magis in rem noſtram, exque dignitate publica videri: ſed quum in præſentia multis haud expediti conſilii difficultatibus obſeſſa ſit ad eam via, fruamur interim uſura tranquillioris ſtatus, & in lucro deputemus, quod tantiſper à mutuis funeribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ribus ceſſabunt manus. Quid enim? An nondum ſatis effuſum eſt fraterni ſanguinis? an nondum ſceleris & cicatricum pœnitet? Quin potius, ſi tantopere bella cordi ſunt, ferrum convertimus in hoſtem communem Chriſtiani nominis? Illic exercendæ virtutis ſeges creſcit, illic ad triumphum ſacra via ducit, illic honoris campus patet. At enim duplex heic difficultas objicitur, quam niſi ſummoveamus, omnis à publico conſilio ſpes Induciarum excludi videtur. Ajunt enim homines non imperiti rerum, nos opinione hoſtium pro infidelibus haberi in cauſa religionis: in ſtatu politico pro reis læſæ Majeſtatis ac fœdifragis: nec obſtare quod obſignatis literis pronunciamur liber populus; ejuſmodi enim teſtificationem non immutare naturam rerum, quum vulgo dici ſoleat, proteſtationem actui contrariam nihil operari, pluſque in talibus valere quod in receſſu mentis occultatur, quam quod verborum formula concipitur. Porro nec hæreticis fidem eſſe ſervandam, nec Principem paciſcendo cum ſubditis perduellibus ullo nexu obligari: rectius quidem & ex dignitate facturum, ſi ſe nulla conventione implicari patiatur: ſin ſecus fecerit, eum aut ipſo jure non teneri, aut ad majorem cautelam haud difficulter a Romanæ ſedis Prætore reſtitutionem in integrum, ſeu abſolutionem impetraturum. Duas igitur conditiones obſtare quo minus Rex Hiſpaniarum & Archiduces ullis pactis aut conventionibus ultra teneantur quam ipſis commodum ſit. Primum quod judicio eorum jampridem damnati ſumus hæreticæ pravitatis, ideoque nullo juris humani divinique conſortio digni cenſemur. Deinde quod extra cauſam religionis habemur pro ſubditis rebellibus, & idcirco nobiſcum non tanquam cum juſtis ac legitimis hoſtibus, ſed tanquam cum piratis & publicis prædonibus agendum eſſe exiſtimatur, adverſus quos jura belli non ſervantur. Hæc ſpecioſe dicuntur, & nonnihil ex vero trahunt. Tamen ſi levato velo rem ipſam inſpiciamus, plura panici terroris habent quam periculi. Nam quod decreto Conſtantienſis Synodi ſancitum eſſe fertur, fidem hæreticis ſervari non oportere, Iohanes Huſſus crudeli ſupplicio triſte documentum præbet, quam parum præſidii fuerit in ſalvo con-

ductu Cæſaris, adverſus vim & violentiam purpuratorum patrum, qui hominem innocentiſſimum vivicomburio ſuſtulerunt. Sed quæſita eſt latebra perjurio ex calumnia quadam, & malitioſa juris interpretatione. Negant enim, Cæſari fas fuiſſe publicam fidem concedere in fraudem & præjudicium Eccleſiaſticæ juriſdictionis. Signavit Cæſar, inquiunt, ſævitiæ & injuſtitiæ patroni, reſignavit orbis Chriſtianus major Cæſare. Quæ quidem defenſio non minus eſt incivilis & inverecunda, quam ipſum violatæ fidei facinus ac flagitium. Nam ut hoc illis ex liberalitate concedatur, de quo tamen acerrima controverſia eſt, Cardinales & Epiſcopos qui iſthuc venerant, fuiſſe Concilium recte atque ordine congregatum in nomine ſanctæ & individuæ Tinitatis ad propagandam Dei gloriam, & ad procurandam Eccleſiæ reformationem tum in capite, tum in membris: unde nam datum id ſibi ſumunt, ut authoritate Cæſaris abuti licuerit ad ineſcandas & illiciendas in fraudem credulas mentes hominum, qui alia lege non erant ſe commiſſuri judicio capitalium inimicorum? Quid Imperatoriæ Majeſtati relinquitur præter inanem magni nominis umbram, ſi fidem ſolenniter datam obſervare non potuit, niſi quatenus infenſiſſimis hoſtibus viſum fuit, qui non benignum cognoſcendi animum, ſed implacabilem condemnandi ſævitiam domo attulerant? Nullo colore niſi admodum longe quæſito excuſari poteſt facilitas Cæſaris, qui conſcientiam ſuam paſſus eſt alio pacto liberari, quam præſtando quod promiſerat. Non fuit in poteſtate totius Concilii, nec cujuſquam mortalium, ſolvere ejus animum nexu religionis, quo ſe ſua ſponte devinxerat. Etiamſi Huſſus nefariorum criminum manifeſtus fuiſſet, quæ flammis ultricibus expiari deberent: tamen reſtituendus erat unde venerat, & remittendus ad ſuam judicem ut in eum lege ageretur. Nullius enim quamlibet impuri ſceleris prætexu fides publica frangenda eſt, niſi novum aliquod facinus poſt eam impetratam admiſſum ſit, ideoque Papa Ioannes XXIII, qui paulo poſt Pontificatu dejectus fuit, quum ejus præſidio ac patrocinio perſona Huſſi commendaretur, non abſque cauſa voces has protulit: Etiamſi, inquit, germanum fratrem

trem confodiſſet, non patiar ut ipſi fiat injuria tantiſper dum Conſtantiæ commorabitur. Sed ut ex actis apparet, nunquam legitime convictus fuit ulla ſacrarum Scripturarum authoritate. Subvertit optimum virum prævalida conſpiratio adverſariorum, & error ita vetuſtate corroboratus, ut aures ad omnem veritatis vocem obturatæ eſſent, nec oculi ferre poſſent lucem verbi divinitus inſpirati. Denique quum Eccleſiaſtica progenies neget, ſibi fas eſſe quenquam occidere, quid cauſæ adferre poſſunt præter immanem explendæ ultionis aviditatem, non dimittere quem Cæſar receptum in clientelam debuerit quum ſæculari brachio traditus eſſet? Ab hac arce dejecti confugiunt ad aliud diverticulum, & ajunt, ſecuritate Imperatoria tantum caveri in eum caſum, ne vis ulla fiat quominus libere ad cauſam dicendam veniret, non autem ut adverſus contumacem & refractarium juris exſecutio retardetur aut impediatur. Sed contrarium liquet ex verbis ipſius reſcripti, quæ latiſſime concepta ſunt, & pleniſſimam poteſtatem tribuunt eundi ſine ullo metu, ac redeundi. Vertant igitur ſe in omnes formas, qui quo jure quave injuria Pontificiam tyrannidem defendere contendunt, non tamen efficient ut Huſſus jure cæſus eſſe videatur, aut ut in ejus perſona fas gentium non ſit impia fraude temeratum. Nam in hac materia parum aut nihil ad rem facit conditio perſonæ cui fides datur. Etiam latroni & prædoni vir bonus data fide dimiſſus, pretium redemptionis ſolvet, & jure ſummo tenetur, niſi ex edicto Prætoris quod metus cauſa geſtum eſt in integrum reſtituatur. Conſcientia enim promittentis ad votum exſolvendum religione adſtringitur, nec alius eſt modus vitandi perjurii, quam ſi pollicitatio lædat pietatem aut manifeſtam turpitudinem contineat, ut eam ſervare perfidia ſit potius, quam propoſiti conſtantia. Iusjurandum enim non debet eſſe vinculum iniquitatis. Nihil igitur adferri poteſt quod nimiam Cæſaris indulgentiam excuſet, qui à purpuratis patribus manſuetam indolem ſuam expugnari paſſus eſt, ut à ſe ipſo deſciſceret. Hieronymo Pragenſi commeatum obtulerunt, ſed qualem ægrotus leo permittebat beſtiis ad ſe viſendum accedentibus, ubi app arebant veſtigia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Omnia ſe adverſum tendentia, nulla retrorſum.

Quocirca ſimplicius eſt confiteri, tum factum ipſum prorſus illiberale atque inhumanum, tum decretum improbum videri, quo labefactatur ab imo fundamentum humanæ ſocietatis. Lex illa ſanguine ſcripta per deſuetudinem evanuit, nec ulla quod ſciam, exempla præterea occurrunt, ubi fides publice data vel hæreticis ſervata non ſit. Actum hoc quidem fuit Wormatiæ ut in Lutherum ederetur exemplum ſimilis perfidiæ, ſed irrito conatu. Nam nec Cæſar eam labem Majeſtati ſuæ nominique Germanorum aſpergi paſſus eſt, & vehementer præ cæteris conſilio exitiali fertur interceſſiſſe Ludovicus Elector Palatinus. Quod de perduellibus dicitur, ſcio, conventiones eas, quibus Principes paciſcuntur cum civibus olim imperio ſuo ſubjectis, egere multiplici cautione: quum plerumque nihil altius in magnatum pectora deſcendat, quam offenſarum memoria, cupiditaſque vindictæ, licet odium & iras ad tempus concoquant ac diſſimulent. Sed quænam firmiora ſecuritatis munimenta quærimus, quam ſponſiones maximorum Regum ac Principum, qui fidem ſuam eo nomine obſtringunt, ne nobis credulitas aliquid apportet damni? Pontifex nunquam ſibi manus ligat, ſed illius brutum fulmen Batava virtus jam pridem horrere deſiit, nec ullo tam tenaci vinculo conſtringi poſſunt ingenia Vertumnorum, quin viam ad effugium reperire queant. Igitur ſecludamus vanas rerum formidines & diffidentiæ cauſas nimis alte petitas, quibus ſi indulgeamus, nunquam tot malorum finem videbimus, nunquam in bonæ ſpei portu anchoram figemus, ſemper agitabimur tempeſtatibus civilium turbarum ac diſcordiarum. Concludam cum Diomede Virgiliano,

— Coëant in fœdera dextra
Qua datur, aſt armis concurrant arma cavete.

Deum ex intimo affectu quæſo veneror que, ut quamcunque in partem ſeſe conſilia noſtrorum Ordinum flexerint, ea patriæ Libertati, & Eccleſiæ ſalutaria ſint, atque ad felicem & exoptatum finem provehentur.

D I X I.

DOM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOM. BAVDI

ORATIO

De amplectendis belli Belgici INDVCIIS, Anno cIↃ IↃC IX.

Edita ſub nomine

IVLIANI ROSBECI.

OMnes qui aliquo humanitatis ſenſu ducuntur, quique benevolo animo affecti ſunt erga nomen & nationem Belgarum, ſicut illacrymari coguntur noſtris miſeriis & calamitatibus: ita nunc ſummis ad cœlum laudibus efferre debent eximiam illam manſuetudinem, incredibilemque ac prope divinam animi moderationem, qua Rex Hiſpaniarum & Sereniſſimi Archiduces impulſi, faſces ſuæ Majeſtatis ſubmittunt, nec ullas quamlibet novas & inuſitatas conditiones repudiant, dum feſſos civilibus bellis populos ad beatum pacis ac tranquillitatis portum provehere ardentibus votis exoptant. Non fuit hoc inceptum humani conſilii, ſed à cœleſti nutu atque inſtinctu profectum eſt. Deus, inquam, Opt. Max., in cujus manu ſunt corda Regum, hanc mentem iis divinitus inſpiravit. Vix enim unquam fando auditum eſt, aut legendo compertum, tantam in tali faſtigio demiſſionem extitiſſe. Libet ſæpius iterare quod dixi,

Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra
Proveniunt, neque nos mortalis dextera ſervat.
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.

Sæpenumero, Auditores, mecum ipſe meditari ſoleo, & præteriti temporis memoriam evolvere, quod ſi quiſpiam hos rerum eventus, hanc magnam fortunam, præſagire nobis intendiſſet, non ſolum vanus augur, ſed inſulſus & commotæ mentis homo judicatus fuiſſet. Vos rerum temporumque conſulti noſtis me vera loqui. Equidem quo mecum impenſius ipſe reputo tanti beneficii magnitudinem, vix eam animus capere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

poteſt, laborque ſub onere admirationis. Hæc enim unica palma facile vincit omnes laurus ac triumphos, quum potentiſſimi Duces cogunt in ordinem, & publicis utilitatibus poſtponunt ſuos affectus, frænant libidinem dominandi, quæ ſolet in excellentibus naturis ſedem regni conſtituere: compeſcunt cupiditatem vindictæ, qua nihil eſt in pectoribus humanis vehementius, quod aut rectorem ægrius patiatur: iracundiam moderantur, quæ eſt inimica conſilio & ſanæ rationi. Principium igitur hujus facti, tam præter ſpem & opinionem hominum ingentis, fato & cœleſti providentiæ eſt imputandum. Tum autem nativa bonitas, quæ præcipua eſt virtus heroicarum & illuſtrium animarum, ad hanc rem impulſor fuit: parſimonia humani ſanguinis, miſericordia pereuntium populorum, ſalus civium, quæ ſuprema lex eſt actionum præſtantiſſimarum. Non ego in cauſa Patriæ prævaricator, adverſariorum patronus huc acceſſi, neque vero tutum aut conſentaneum foret. Tamen illud affirmare audeo, ſi de animis eorum vero ſimiliter conjectare velimus, eos benignitate & clementia adductos, non vi aut neceſſitate compulſos, ad præſentaneam nos Pacis vel Induciarum pactionem invitâſſe. Quis enim terror, quæ vis aut neceſſitas effecit, ut eo delaberentur animæ terroris expertes, & corda vinci neſcia, niſi vis forte lenitatis & clementiæ, quibus ducibus qui ſe regendum permittit, is, ut cum Plauto loquar, victor victorem cluet?

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam ſi Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

Nunquam enim Regum ac Principum ſublimitas celſius aſſurgit, quam cum ſe ob publicam ſalutem demittit, ſecura magnitudinis ſuæ, cui nullum impendet ex humilitate diſcrimen. Hæc laus defuit ſummis terrarum Monarchis, qui cum omnia ſubjugaſſent, cupiditatibus ſuis ſuccubuerunt, victi ab animi impotentia, ab iracundia. Quis Alexandro Magno rebus geſtis comparandus eſt? Domuit gentes immanitate barbaras, numero infinitas, locis disjunctiſſimas, omni

paratu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

paratu copiarum abundantes : at cum totum pene orbem infra majeſtatem ſuam cerneret, animo imperare & vitiis ſuis jus dicere nequivit. Hinc multa contra decus honeſtatis patravit, dum vino & ira victus in amicorum intimos parricidiale ferrum ſtringit, ac viros ſanctitate morum, & ſapientiæ ſtudiis inſignes per tormenta fœde trucidari præcipit. Itaque Cicero

Flos illibatus populi, Suadæque medulla,

non dubitat in præclara illa pro M. Marcello oratione cunctis bellicis laudibus ac trophæis I. Cæſaris anteferre clementiam & placabilitatem animi, quod ſepoſitis ſuſpicionibus & offenſis, Marcellum Senatui populoque Romano & Reip. conceſſiſſet ac redonaſſet. Igitur niſi turpiſſimam ingrati animi notam incurrere velimus, immortales gratias & habere & agere debemus ſereniſſimis Principibus, ob tam illuſtre meritum ac prorſus inſperatum ; & memorem animum, ingentiſque voti reum, profiteri. Quum enim omnes & ſingulæ induciarum ab illuſtribus Galliarum & Britanniæ Legatis propoſitarum conditiones honeſtiſſimæ ſunt, Patriæ neceſſariæ, bonis exoptatiſſimæ ; tum vero una quædam in illis eſt, quæ ſupra cæteras caput effert, & à qua eædem omne robur ſuum atque firmitatem accipiunt. Nam qui pro Patria noſtra in libertatem adſerenda tam atrox, tam diuturnum tam denique calamitoſum bellum cum Rege Hiſpaniæ geſſimus, hac tempeſtate ſummam votorum conſequi poſſumus, & non noſtra ſolum opinione ac ſenſu, ſed adverſariorum quoque adſenſu, ampliſſimo Libertatis titulo beneficioque frui. Hæc prima & potiſſima Induciarum conditio eſt, quæ non doloſe, aut captioſo verborum circuitu, ſed diſertiſſimis vocibus, & luce meridiana clarioribus exprimitur. Felicem magnamque Patriam iſthoc nomine ! cujus gloria & amplitudo tanta eſt, ut ſi dignis eam præconiis celebrare jubear,

conantem debilitaret onus.

Quod uſque huc nunquam ſperare, vix timida votorum nuncupatione efflagitare fiducia fuit,

quod optanti Divûm promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultro.

Sed quid eſt ? reſilit patria formidine plena, & tam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ingens, tam inuſitatum, tam denique inſperatum beneficium rectis oculis intueri, & ſecura mente arripere neſcit. Nam plebeiæ mentes quia intellectu non percipiunt naturam heroicorum pectorum, in quibus ſeorſum tam excelſæ virtutes habitant; falſas nobis cauſas vanoſque metus fingimus, quaſi libertati noſtræ per ambitioſam oſtentationem, & imaginariam recognitionem fraus fiat, inſidiæque parentur. Videlicet in ſummis felicitatibus, & ſorte nimis ſecunda obſtupeſcit verius humana mens, quam lætatur; quia veretur ne ſubitum illud bonum repentina calamitas & miſeranda viciſſitudo conſequatur. Similis quædam formido, terror aut ſuſpicio noſtros homines inceſſit, qui quid hic latere, & quid tam ſpecioſa libertatis recognitio portendere poſſit, etiam atque etiam expendere. Sed utinam expenderent tantum, & non formido in odium, tergiverſatio in pervicaciam, cautiones denique in ſcommata, opprobria ſceptrorum converſæ eſſent. Sunt enim nonnulli homines, qui omnia ſiniſtrorſum detorquentes, odio & avaritia pleni, dictis factiſque conati ſunt Ordinibus fucum facere, & turbulento molimine univerſum pacificationis negotium impedire, quod minime erat ferendum. Inſidias enim, quas hiſtriones illi ſe metuere ſimulatè proclament, non eo uſque æſtimari fas eſt, ut earundem cauſa repudiemus præclaras rerum utiliſſimarum conditiones; verum ut conſilium capiatur, qui ſalva Induciarum ſpe, dolis & fraudibus multo jam ante obviam eatur. De quo quid ambigimus? Si enim Ordinibus vigilantiſſimè ad omnia intentis non defuit prudentia, per quam pericula ex Induciis veroſimiliter naſcitura proſpicerent: nefas ſit dubitare, quin ut in bello, ſic & in pace facile cavebunt, ne quid Reſpubl. detrimenti capiat. Nam in ocio ſerio cogitabunt de negotio, quia cum curis ſolutus eſt animus, tum maxime quod verum rectumque eſt cernit, & (quod præ formidine aut ſollicitudinibus intellectus aciem perſtringentibus nequibat) venturos rerum exitus ſanis rectiſque oculis intuetur. Verum, ut illuc redeam, mirandum non eſt, ſi Pacis omnem mentionem, tanquam occurſum inauſpicatæ avis averſentur, præſertim ii, quibus in

in campo Martio ſeges & materies eſt gloriæ, copiarum, potentiæ & authoritatis: nec deſint illis populares ac ſpecioſæ rationes, queis privati lucri cauſa imponant imperitæ multitudini, & in invidiam vocent quicquid adverſa parte tam liberaliter offertur: omni tempore timendos eſſe Hiſpanos, præcipue autem dona ferentes: latere anguem in herba, non fidendum hoſtibus reconciliatis: hoc agi, ut reſumptis viribus acrius ad pugnam redeant,& ex improviſo nec opinantes adoriantur. ex adverſariorum opinione fidem hæreticis atque rebellibus non ſervandam: denique ea quæ ſunt juris regii, majeſtatis & ſupremæ rerum poteſtatis, nulla pactione cedi poſſe, nullo tempore præſcribi. Quid multa? Cauſas omnes curioſa indagine veſtiant, quibus ad diffidentiam, tanquam ad unicum ſecuritatis aſylum ſuos deducant, nequid uſquam tutum, nequid ſanctum & inviolatum eſſe arbitrentur. Nihil mihi factu promptius eſſet, quam ad ſingula reſpondere. Sed ne in nimis longum excreſcat oratio, ſatis ſit perſonam hiſtrionicam detegere, & animos ſub vulpe latentes in lucem atque ſub aſpectum proferre. Haud dubie enim eos, qui ſic in hac rerum temporumque ſcena ſermocinantur, non ex incorrupto animorum ſenſu loqui exiſtimandum eſt, ſed partim aliorum præjudicatis opinionibus velut æſtu quodam abripi, & inſtar pecudum ſequi antecedentium gregem; partim ſub velo boni publici, quod eſt mantile & everriculum multarum malitiarum, ſuam rem agere, & privatis commodis atque utilitatibus ſtudere, quæ ſemper offecere & officient publicis conſiliis. Satius foret, ut ſepoſitis aliis cogitationibus, omnem curam,prudentiam & ingenii ſolertiam in commune bonum dirigerent, ac ſerio tandem meditarentur finire miſerias, quibuscum per tot annos infelix patria conflictatur. Metuere liceat, ſapere libeat, & formido noſtra non ab vaniſſima rerum imagine, longeque petitis ſuſpicionum portentis, ſed à rectis judiciis & publicæ incolumitatis reſpectu, moderamen accipiat. Sed nec fortunæ proſperitas, aut virium noſtrarum fiducia ſpiritus attollat. Nunquam enim magis de bello finiendo cogitandum, quam poſt victorias ac triumphos; quo ſcilicet tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

pore pro claris firmiſque pactionibus & legibus pacis conſulendi Patriæ facultas datur. Quo nobis ante alios majore animorum propenſione inclinandum arbitror, quippe qui non noſtro ſolum Marte, ſed externis præſertim copiis atque opibus adjuti, bellum hactenus geſſimus cum potentiſſimo terrarum monarcha. Quanquam ſi Reſpubl. noſtra tam bene eſſet conſtituta, ut ad belli continuationem propriæ noſtræ facultates & vires ſufficerent; non eſſet prudentium, certa pro incertis mutare cum tam multiplices ſint vitæ caſus, tam anceps alea rerum humanarum, ut frequentius ex tranſverſo incurrant quæ non formidamus, quam quæ jucundæ opinionis palpo nobis imaginamur. Procliviſſimum eſt homini temerario & incircumſpecto, honeſtas Induciarum Paciſve conditiones aſpernari. Cuivis etiam imbelli atque ignavo licet inchoare bellum: ſed ægerrime deſinit, nec in ejuſdem illius manu eſt auſpicium & finis. Incipit, cum alterutri partium diſplicet pax, & pruriunt cornua. Deſinit arbitratu victoris, aut alterius internecione. Vnus horulæ momentum, uniuſque prælii fortuna ſubvertere poteſt, quicquid magno molimine per plures annos exædificatum eſt. Nuſquam minus quam in Martis certamine eventus reſpondent. ἥκιστα γὰρ ὁ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, ait Thucidides. Etiam optime deliberata & prudenter adminiſtrata non raro ſortiuntur infelicem exitum. Non enim eodem animo de bello gerendo conſultatur, quo ad gerendum acceditur. Facile eſt enim homini togato replere curiam verbis, quæ tutò volant

—— dum deſtinet hoſtem
Agger murorum, nec inundant ſanguine foſſæ.

Sed cum in rem præſentem veniendum eſt, & manus conferendæ cum hoſtibus, illic virium, non eloquii certamen cernitur, illic animi, non conſilii præſentia requiritur. Adde quod & fortiſſimum quemque Mars pignerari ſolet.

Mors & fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoque tergo.

Quantæ ergo temeritatis fuerit, imo dementiæ, quum tanto

tanto ſimus adverſariis inferiores, ſive dignitatem conſideres, ſive potentiam, ſuperbo faſtu aſpernari tam utilem, tam honeſtam, tam denique tutam conditionem? Tutam ajo, quia ſincero affectu, citraque fallaciam nobis eam propinari cenſeo. Enimvero niſi Rex Hiſpaniarum & Archiduces affectu & voluntate cum paſtore populorum & rege regum Agamemnone conſpirarent, qui ajebat,

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι,

Volo ego populum ſalvum eſſe potius quam perire:

nulla vi unquam, nullo metu adducti eſſent, ut ex æquo cum hoſtibus ſuis paciſcendi gratia ex ſolio in planum deſcenderent. Errat enim largiter, & hoſtium vires ac potentiam nimis imprudenter æſtimat, ſi quis putat eos in hujuſmodi rerum anguſtias eſſe conjectos, ut inferioribus Majeſtate ſua conditionibus auguſtam exiſtimationem fœdare cogantur. Sed videlicet (quid ni enim liceat & in hoſte laudare virtutem?) ſtimulavit eos bonum publicum, à quo vinci pulcherrimum eſt victoriæ genus. Vtinam redire lubeat in memoriam præteritorum, quibus nempe ſerio bonaque fide diſcuſſis, proniores eſſemus ad cupide arripiendas rerum præſtantiſſimarum commoditates, quæ nobis divinitus offeruntur. Vtinam ſine partium ſtudio, ſine gratia vel odio, peſſimis conſulendi arbitris, nudam veritatem levato opnionum velo contemplari, ſaniſque judiciis à falſo ſecernere valeamus. Sed nec decorum eſt homini privato, nec tutum ſubdito vocare in dubium fundamenta publicæ cauſæ. Fuerit quædam major vis, quædam cœlo miſſa calamitas, & ineluctabilis fatorum ſeries, quæ miſeros cives

Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos,

ad arma funeſta protraxit; an ideo neceſſe eſt in perpetuum ac ſine ulla reſpiratione

Ἄσπονδον πόλεμον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι;

Irreconciliabile appetere aut gerere bellum?

Nam quis erit modus ſæviendi in mutuam perniciem? graſſandi in Patria viſcera? fundendi fraternum ſanguinem? Quando tandem finem videbimus tot malorum & exitiorum, quæ jam per annos XI, & quod excurrit, nos minutis ictibus cædunt, ut perire nos coti-

 die

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

die ſentiamus, vel quod deterius eſt, ne ſentiamus quidem? Nam ſi ſerio morbum agnoſceremus, & niſi longa patiendi conſuetudo callum ſenſibus obduxiſſet, ad medicinam ægra Patria confugeret, nec remedia ultro oblata rejiceret atque aſpernaretur. Omne bellum per ſe miſerum eſt & calamitoſum : nullum infelicius bello civili & inteſtino.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὅς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.
Gente focoque caret, nec fas aut fœdera novit,
Qui cives inter cupit exitiabile bellum.

Is eſt ex numero civium ejiciendus, imo ex finibus naturæ humanæ exterminandus, tanquam monſtrum quod luſtro piari ſolet, & in ultimas terrarum oras deportari, quem diſcordiæ, quem cædes civium ſua ſponte delectant. Pia & ſancta bella Chriſtianorum non ad internecionem contrariæ partis ſpectare debent, ſed hunc ſcopum oportet eſſe propoſitum, ut laurea triumphi cedat Palladis olivæ, nec aliud armorum præſidio quæratur, quam ut in pace ſecure vivere liceat. Huc ut pertingat Reſp. noſtra, num auſpicatius tempus exoriri queat, quam quod nobis in præſentia non ſine nutu divini numinis obtingit? Summi Principes & latiſſime regnantes domini pertæſi tot acerba caſuum & calamitatum, quæ civilibus bellis indivulſæ comites adhærent, eo majeſtatem ſuam dejiciunt, ut ne quidem conditiones nimis quam exorbitantes & abſonas ſubire vereantur, modo vel per imminutionem ſuæ majeſtatis via muniatur ad ſacellum Divæ Pacis. Etſi Reges nunquam majores ſunt & auguſtiores, quam cum ſeſe ad humanitatis officia comiter ſubmittunt. Neque enim tali faſtigio ullum imminet à benignitate periculum. Semper illos celſitudo ſua comitatur, ac nihil detrimenti capere poteſt vera magnitudo Heroum καὶ διοτρεφέων βασιλήων, *ab Iove nutritorum regum*, licet æquas cum inferioribus pactiones inire dignentur. Nulla re mortales accedunt propius ad divinæ naturæ ſimilitudinem, quam ignoſcendo lapſis, obliviſcendo injuriarum, conſolando afflictos, denique ſalutem impartiendo quamplurimis, & ſervando etiam ſervari nolentes. Humanitas & clementia hominem

cœlo adſerit : & , ut olim acclamabant Athenienſes Pompejo urbem ingredienti,

Ἐφ' ὅσον ἀνθρώπους οἶδας, ἐπὶ τοσοῦτον εἶ θεός.

Qua ſtudes homo vocari, dignus es dici Deus.

Sceptrigeros Reges etiam invitos ſubſequitur ſua majeſtas. Procul eos ſummovent ab invidia & contemptu non ſolum faſces Imperii,

Οἷς λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε,

Queis populi commiſſa ſalus atque ardua rerum,

verum etiam ipſe Deus , qui Reges & Regum apices ſacro honore extollit.

Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι, φιλεῖ δέ ἑ μητίετα Ζεύς.

Ab Iove Regis honos, hunc diligit ipſe Deûm Rex.

Quin ergo cognoſcimus felicitatem noſtram ex Regali atque Archiducali manſuetudine prognatam ? Quin quo fata & Principum benignitas vocant , fauſto pede imus ? & projectis infelicibus telis , dexteras fidei & amicitiæ ſacras jungimus cum noſtro ſanguine , cum fratribus, qui & linguæ conſortio , & patriæ ſocietate, & ſanctiſſimæ neceſſitudinis pignore ſunt nobis conjuncti ? Sed videlicet ut in corporibus hominum quidam ſunt morbi , qui ſtupore ſenſum præpediunt , ut ciborum ſuavitatem deguſtare non valeant ; ita nos fatali quodam malo perſtringente mentis aciem , bona noſtra non intelligimus, & obſequentem fortunam ultro nobis oblatam intromittere non dignamur. Inſidias metuere fingimus , ingenioſique ſumus in exaggerandis cauſis malignarum ſuſpicionum, ne pacis unquam ægra Patria compos evadat : quæ tamen ſola poteſt mederi rebus afflictis , & honori priſtino reſtituere ſpes opeſque Belgarum. Plato princeps ingenii ac doctrinæ literis prodidit , apud Arcadiæ populos anniverſarium ſacrificium Lycæo Iovi ſolitum eſſe celebrari , in quo tum alia quædam animalia , tum etiam vivi homines immolabantur , quorum carnes & viſcera promiſcue cum viſceribus aliorum animantium mixta, ad epulandum convivis apponebantur : cui autem obtigerat humanis carnibus veſci , in lupum eum transformari credebant, & cum eo genere ferarum per ſaltus ac nemora divagari. Huc nimirum ſpectat fabula ad effigiem naturæ & veritatis accommodata , ut per-

perſpicuum fieret, eos qui ſemel incepiſſent cædibus & mutua internecione graſſari, naturam ipſam exuere, & in agreſtes immaneſque belluas degenerare. Mithridatem etiam Ponti regem ferunt, quum ſe continenter antidotis adverſus venena præmuniret, hoc tandem effeciſſe, ut in naturam conſuetudo mutaretur, nec ſibi ſumptis mortiferis potionibus necem afferre poſſet, etiam quum omnino mori decreviſſet. Vix adduci poſſumus ut fidem habeamus priſcis ſcriptoribus, cum talia legimus conſignata monumentis hiſtoriarum. Sed incredulitatem ejerabimus, & admirationis deſinemus, ſi bona fide velimus in noſmet ipſis inquirere, & feritatem noſtrorum morum atque temporum rectis oculis contemplari. Quotuſquiſque enim noſtrûm eſt, quem immania hæc bella non adeo efferarunt, ut & malo ſuo gaudeat, & omnem humanitatis ſenſum ex animo ejeciſſe videatur? Quum nihil ſit in rebus mortalium & nomine pacis dulcius, & re ipſa magis ſalutare, magiſque conſentaneum cum officio & ingenio humanæ naturæ: tamen ita plerique obduruimus ad miſerias & calamitates noſtras, ut ſolam Pacis & Induciarum appellationem, tanquam infames ſcopulos, aut ſiniſtri ominis augurium exhorreſcamus. Quod ex eo facile liquet, quod non, contenti humaniſſima declaratione, qua Status unitatum provinciarum agnoſcitur populus liber & *αὐτονόμος*, cui pro arbitratu liceat uti ſuis legibus, ſuis moribus atque inſtitutis, poſtulavimus inciviles quaſdam ceſſionum formulas, quæ nihil utilitatis aut commodi afferebant, præter dedecus & opprobrium ſceptrorum: ut facile cuivis homini non prorſus excordi appareret, nihil aliud quæri, quam ut hac monſtroſa petitione negociatio diſturbaretur. Si male vellem ominari Patriæ, non poſſem quidquam infauſtius noſtris hominibus imprecari, quam ut in tali pervicacia & importunitate perſeverent, utque per improbitatem ea cuncta tandem conſequantur quæ flagitant, & his etiam plura. Nam ſi in cœlo Deus eſt inſpector & arbiter humanarum rerum, qui majeſtatem Regum adſerit, & Nemeſin ſanguineo armatam flagello gentibus immittit, ad puniendum ſpes nimis elatas atque immoderatas, non eſt dubium

quin

quin gravis exitus incumbat cervicibus eorum, qui tam intemperanter ſceptris illudunt, dum eas conditiones populi olim ſubditi Sereniſſimis terrarum dominis depoſcunt, quas nemo privatus ſubire in animum induceret.

Evertere domos totas optantibus ipſis
Dii faciles. nocitura togæ, nocitura petuntur
Militiæ.

Vt olim fatuus ille Phrygiæ Rex Midas, qui pretioſo contactu omnia convertebat in aurum, inter medias opes inops, hoc ipſo gravem ærumnam incurrit, quod voti copos à Baccho redditus eſſet; ita nos vitiis noſtris & diſcordi libertate concidemus, ſi ad metam omnium male optatorum pervenerimus. Quam bene in nos congruit, quod de P. Romano affirmat apud Tacitum Galba Imperator in aurea oratione qua Piſonem adoptavit? nec totam ſervitutem pati poſſumus, nec totam libertatem. Queri ſolemus de Regum Ducumque inclementia. Sed eorum qui parent ingenia ſæpe huic incommodo mederi queunt, ſi compeſcant ardorem nimiæ & effuſæ libertatis, & obſequium cum ſecuritate malint, quam cum pernicie contumaciam dedignationemque parendi. Quoniam in eum ſermonem nos occaſio deduxit, non poſſum quin orationi intexam aureas voces T. Quinctii Flaminii, quas tanquam ex oraculo effatus, & non ſolum Græcis, ſed noſtris quoque Ordinibus, qui ſummæ rei præſunt, arrectis auribus hauriendas, & intimis ſenſibus defigendas obſervandaſque propoſuiſſe videtur.

Libertate modice utantur. temperatam eam ſalubrem & ſingulis & civitatibus eſſe. nimiam & aliis gravem, & ipſis qui habeant, effrænatam ac præcipitem eſſe. Concordiæ in civitatibus Principes ac Ordines inter ſe, & in commune omnes civitates conſulerent. Adverſus conſentientes nec regem quenquam ſatis validum, nec tyrannum fore. diſcordiam & ſeditionem omnia oportuna inſidiantibus facere: quum pars quæ domeſtico certamine inferior ſit, externo potius ſe applicet, quam civi cedat.

Quare, ſi dubitamus mentem in melius flectere, quo tamen conſilio nullum ſalubrius eligere poſſumus, ſemperque integrum eſt viro ſapienti pœnitere: ſal-

tem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

tem fruantur beneficio Induciarum, quas ſi temperanter bonaque fide habuerimus, optima ſpe ſuſtentor, fore, ut exinde pax æterna & inviolabilis conſequatur: cujus ſenſus tanto ſuavior erit, quo ſævioribus bellorum procellis per tot annos jactati fuimus. Quid enim ultra tendimus? An non jam ſatis intepuit ferrum mutuo fratrum & popularium ſanguine? Quin poſitis in commune odiis, manus infeſtas vertimus in juratum illum hoſtem Chriſtianarum gentium, qui floreptiſſimis Europæ regnis exitium, aut ſervitutem quavis morte atrociorem minitatur, dum validas vires in Patriæ viſcera convertimus, & atterimur civilibus bellis? Illic ſeges & materies eſt uberrimæ laudis. Illic in omnem eventum patet campus ad ſempiternam gloriam. Aut enim honeſta mors immortalitate donabit victos in tam præclaro certamine, aut parata erit palma victoribus. Hæc vere ſacra militia eſt, propagare decus ac dignitatem nominis Chriſtiani, Turcis & infidelibus bella parare, qui non tam ſua virtute, quam noſtris diſcordiis formidabiles & potentiſſimi evaſere. Si hæc noſtra fortitudo exercitata cædibus conſanguineorum populorum, ſeſe in capita ac perniciem communium hoſtium effunderet: non eſt dubitandum, quin hujuſmodi pios conatus Deus ille exercituum fauſto ſit exoptatoque fine terminaturus.

D I X I.

F I N I S.

DOMI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOMINICI BAVDI I. C.

DE

FOENORE

Commentariolus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

DOM. BAVDI I.C.

DE

FOENORE

Commentariolus.

ITA hodie corruptis moribus vivitur, ut neque honeſtatis amor homines ad recte faciendum allicere, neque pœnarum timor à maleficio deterrere poſſit: præſertim cum auri fulgor obverſatur depravatis mentibus, admiratione divitiarum, quas ſtrenui juxta & ignavi concupiſcunt, ubi quæ præmia virtuti atque induſtriæ bonorum debentur, ea præſentibus nummis væneunt, & apud indigniſſimos eſſe comperiuntur. Cui malo ut occurrat humana imbecillitas, optimum factu putat exſecare penitus quidquid ſubeſt vitii, ne ſecum integras partes in conſenſum morbi rapiat. quod quidem conſilium neutiquam reprehendendum foret, ſi par animo Eventus, & obſequens Fortuna reſponderet. Sed uſu magiſtro probatum eſt, intempeſtiva ſeveritate, vel nihil profici adverſus fraudes ac verſutias improborum, vel potius multum offici; dum ex ipſa difficultate gliſcit peccandi cupiditas evanido legum auxilio, quæ vel aperta petitione palam oppugnantur, vel mille fallendi artibus per cuniculos ſubvertuntur. ut hîc communiter expediat obtemperare moderationi prudentium medicorum, qui tutiſſimum remedii genus eſſe arbitrantur, ab inſanabilibus morbis omnem abſtinere medicinam. Similiter conſultius fore videatur τὸ κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινεῖν, omittere prævaldas & adultas vetuſtate pravitates, quam attentare quod obtineri non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

non poſſit cum magno & opprobrio humanæ improbitatis, & detrimento publicæ authoritatis. Id multis illuſtribus documentis confirmari poteſt. unum hoc tempore in exemplum proponam. FŒNUS & verbo Dei, cujus æterna authoritas, & omnium ſapientium calculo graviter damnatur, & cum paſſim humanis legibus ſevere vindicetur, nuſquam vehementioribus decretis notatur quam in hoc regno Galliarum: nuſquam tamen, quod mirum videri poſſit, crebrius & impunitius committitur. Ac illa quidem crebritas hinc exſiſtit, quod in animis mortalium penitus inſidet quædam detrectatio dedignatioque parendi, quam & irritat magis atque exaſperat propoſita contumaciæ falſa ſpecies utilitatis, quæ blandam vim adfert etiam ingeniis haud malis, nedum ut in hac morum ac temporum colluvione ſibi temperent homines, quibus nulla honeſti cura, & omnia cum lucro recta videntur. Impunitas autem non à vitio legum aut Magiſtratuum eſt, qui cum in receſſus pectoris & involucra diſſimulationum nihil juris habeant, nulla item providentia cavere poſſunt quin peccetur, ſolum in facta vim ſuam exſerunt, & veſtigia culpæ fugientis perſequuntur; quam niſi pene manibus atque oculis deprehendant, ceſſat & legis poteſtas, & officium judicantis. Porro in propoſita ſpecie tot latebræ, tot effugia reperta ſunt ad eludendam elidendamque omnem animadverſionem, ut vix unquam liquido pronuntiare poſſit cognitor, SATIS QUÆSITUM VIDERI. Cum enim duplex potiſſimum via ducat ad veri perveſtigationem, teſtium vox, & inſtrumentorum fides: prima hæc lex inter Macedonas iſtos veluti religione quadam munitur, Ne quid ſcripto prodatur, ne quid manentibus literis deponatur. Tum autem ſollicite cavent, Ne quis adſit auceps, qui, ut ait Comicus, conſilia captet auribus. &, ut eſt proclivis ad ſequius ſuſpicandum mens culpæ ſibi conſcia, ſi quis fortuitus interventor objiciatur, protinus ex compacto rem geri putant, & corycæum de induſtria ſubornatum, qui ſe teſtimonio coarguat, omnemque fallaciam inſidioſa colluſione perſpicuam faciat. Ita perit inter duos flagitioſæ negotiationis ſecretum, & fides in ſolidum habenda

benda eſt unius fœneratoris infidelitati. qui (ut dignum eſt eo genere hominum) perjurio rem ſolvere poterit, & inficiari ſacrum depoſitum. Quod ſi in lucro turpi famam aut conſcientiam vereatur, mori tamen poteſt antequam ſe debitor onere crediti liberet. quo caſu hæres juſtam ignorationis cauſam obtendet, atque interim bona lege pignus oppido quaſi ſuum vindicabit. hinc ſeges & materia litium, quarum tædio ſimul & inopia probationum vir cordatus præoptabit juri ſuo renuntiare potius, quam in ambiguum certamen deſcendat, & præſenti pretio velit emere ſpem incertiſſimam. Adde quod ii quibus adminiſtris & proxenetis utendum eſt in hujuſcemodi depectionibus, plerumque ſunt & fama viles, & fortunis inopes. unde veriſimili argumento conjicitur, eos parvula communicatione lucri haud difficulter impulſum iri, ut falſi ſeſe adſtringant. Ita fiet ut interverſis rerum indiciis magni ſæpe pretii mercimonium ſtranguletur inter uſurarios prædones, mutua conſpiratione juratos in perniciem ejus qui non læderetur niſi crediſſet. Vt nihil horum incidat, ſi condicta die ſors cum uſura non redditur, ecce aliud periculum à lege commiſſoria, licet ejus aſperitatem in pignore Conſtantini ſanctio ſuſtulerit. [a] cui ratio juſtiſſima patrocinatur, ne ſcilicet debitores inopia coacti conditionibus iniquis res ſuas in fœneratores transferant. Poſtremo ut omnia procedant ex animi ſententia, tamen ſi tuum recuperare poſtulas, & caput & fœnus repræſentandum erit, quod pedetentim inſtar alluvionis augeſcit, imo interdum perniciter graſſatur, dum qui mutuitat, cogente penuria nihil negat, qui pecuniam credit, ſtimulante avaritia conditiones inſanas flagitat, ut ſæpe præſtabilius ſit ſimplici damno defungi, & quod vides periiſſe perditum ducere, quam recenti intertrimento veterem jacturam cumulare. ne quid interim dicam de ſordibus, & impudenti petacitate eorum qui talibus conciliaturis adhibentur, quos non alio pacto amoliri poſſis niſi offam ob os objicias velut alicui Cerbero.

dandum

---

a] *L. ult. C. de pact. pignor. Arg. l. ſi fundus. §. vet. ff. de pign. & hypoth.*

dandum eſt, inquam, ſemper aliquid iſtis malis crucibus extra numerum ac præter conventionis legem, &c, ne deſit honos contumeliæ, velut ex æquo bono. In hujuſmodi anguſtias compellitur tanquam alter ἐνδοπλούσιος Tantalus magnas inter opes inops, qui cum pretioſa mobilia poſſideat, non habet ad manum nummos unde rebus ſuis ſubveniat, aut Fortunæ præclaram facem lucenti ſeſe permittere poſſit. Is ut pecuniam redigat, Stoico ſtomacho tædia iſta quæ retuli devorare cogêtur, aut ingenti diſpendio ſua vendere, aut, quod rebus reſtat egenis, bonam copiam ejurare. Hæc exuberantibus malis pio quidem affectu mederi ſeſe ſtudent rigidæ regni Conſtitutiones, quibus & delatori magna merces, & flagitii manifeſto pœna gravis irrogatur, ſed quæ veteratoriis fruſtrationibus, ut antea dixi, non tantum in irritum cadunt, verum etiam in irriſum. Quinimo quod eſt & à ratione, & à mente legis alieniſſimum, præſens damnum redundat in eum cui lex conſultum cupit. is contra qui in legem committit, quique noxam hoc nomine commeritus eſt, non tantum impunitate exſultat, verum etiam ex culpa meſſem auream metit, &, ut ait Satyricus, animos à crimine ſumit [*a*]. Nec jus hîc deficit, ſed deficit probatio. quam ut in lucem adſpectumque protraherent, utque immanem illam avaritiæ beluam pœnarum indagine cingerent, nihil inexploratum omiſere Legiſlatores & Magiſtratus. quorum religioſa curioſitas tantum ſibi licere permiſit, ut etiam reo teſtimonii dictionem adverſus creditorem concedere non dubitarint [*b*], quod alias & more pravum eſt, & exemplo periculoſum. Sed placuit Senatui jus hîc extra ordinem dicere, ne latendi fiducia ſubnixi, nocentes pœnis elaberentur, dum quovis modo accuſationem exarmari poſſe confidunt. Cæterum ejuſcemodi aberrationes ſecundum ea quæ proponuntur, interdum exempli cauſa poſſunt admitti, ſed quando id fieri expediat præſtan-

[a] *Vt in ſpecie l. Duo ſunt Titii. ff. de teſtam. tut.* περὶ τοῦ γεγονέναι ἢ μὴ γεγονέναι, ἢ ἔσεσθαι ἢ μὴ ἔσεσθαι, ἢ εἶναι ἢ μὴ εἶναι, ἀνάγκη ἐπὶ τοῖς κριταῖς καταλείπειν. οὐ γὰρ δυνατὸν ταῦτα τὸν νομοθέτην προϊδεῖν. *Ariſtot. 1. Rhetor. in princip.* [b] *par Arreſt du 1. Febr. 1577.*

præſtanti judicio expendendum eſt. quæ deliberatio ſub certas præceptionum formulas non cadit, ſed locis, hominibus ac temporibus tota fere gubernatur.

Verum enimvero probe ſubductis rationibus non aliud aptius remedium uſque adhuc excogitari potuit, quam quod paſſim ex uſu communi στεῤῥὰ θεὸς Neceſſitas in conſuetudinem recepit : ut in ſingulis urbibus, præcipue autem in iis quæ mercatu, copiis, & civium frequentia florent, ſit unus aut alter qui permiſſu principis ex profeſſo nummos ſub pignoribus aut hypothecis in uſuras exerceat. Is ut utriuſque ſecuritati caveatur, duplicem unius ſtyli chirographum in membrana conficiet, cujus alterum mutuanti dabit, alterum ſibi retinebit. Hoc publicæ neceſſitatis ſubſidio vitantur ſuperiora incommoda, lateque alioqui diſſeminata vis mali, quæ penitus non poteſt tolli, tolerando ſaltem reſtringitur. Simul etiam haud mediocre fulcimentum ærario accedet, & in præſens, & quotannis per eos qui certatim redіment iſtiuſmodi prærogativam [a]. Sed ut evaganti licentiæ frænum injiciatur, aurea mediocritas ſervanda erit, & in tempore quo pignus cuſtodiri oporteat, & in modo uſurarum. Vtriuſque rei moderamen penes principis arbitrium erit. Sed quoniam ſemel cæpi verecundiæ limites tranſilire, cenſendi quoque jus ſine populi ſuffragio pergam uſurpare. Placet igitur, ad quadrantem ſortis uſuras annuas extendi. Quanquam enim hæc ratio ſupra duplum excedit terminos ipſius centeſimæ, tamen longe graviora ſunt ea, quæ cum Manliano ſupercilio vetentur, paſſim fiant, nunquam ad liquidem perducantur, hoc ſolo veluti flexu ac circuitu declinari poſſunt. Prima quidem & potiſſima lex in legibus ferendis eſſe debet, Vt honeſta jubeantur, vetenturque contraria : ſed nec minus providendum eſt, Vt ſint ejuſmodi ſcita, quæ civium geniis & captui temporum convenire videantur. Quid enim attinet recta imperare, ſi non ſit qui obtemperet? Quorſum leges horrendi carminis,

[a] *Quædam civitatis vitia facilius compeſcit Princeps, ſi patiens eorum eſt. Sen.* 1. *de Clemen. & Plinius in panegyr. Plus moribus confert Princeps qui bonos eſſe patitur, quam qui cogit.*

quæ velut gladius in vagina reconditus, vel in uſu conſeneſcant, vel fraudulentis artibus impune circumveniantur? Nihil porro magis convellit fundamenta reipublicæ, quam ſi prohibita ſecure contemnantur. Nam ſi velis, inquit ſolers imperator apud Tacitum[*a*], timeas, ne vetêre. at ſi prohibita impune tranſcenderis, neque metus ultra neque pudor eſt. Adde quod imperii vim magis reſolvit, & ſeverius plecti debet fraus innexa contumaciæ, quam vel omittentis incuria, vel ſimplex temeritas aperte tranſgredientis. Placet igitur is modus uſurarum, non ut legitimus, non ut congruens bonis moribus, ſed velut accommodatior temporibus, & quia vix alio pacto clandeſtino iſto genere Daniſtarum purgabitur provincia, niſi fœnus improbiuſculum uni paucisve conceſſum cæteris aut peccandi voluntatem, aut certe peccati illecebras auferat. Sublatis enim nequitiæ authoramentis, haud temere quiſquam gratuito malus erit. Cæterum minime author ſim, ut locum hîc habeat vel in diem addictio, vel pactio legis commiſſoriæ. ſed hoc tantum permiſerim, ut poſt expletum annum creditori jus faſque ſit rem pignoratam pluris licitanti per præconem addicere: cujus anni dies demum cedit à tempore non ſoluti fœnoris. Ex pretio venditionis trapezita ſive nummularius nomen ſuum expunget, quod inſuper omni onere deducto reſidebit, id vel ad pios uſus atque in alimoniam pauperum erogabitur, aut reſtituetur proprietario, ſi is uſquam compareat.

Quidquid adverſus iſtud conſilium adferri poteſt, id omne ad unicam ſummam redit: fœnus eſſe rem perniciosam, nullo jure, nullo more comprobandam. Quæ quidem honeſta oratio eſt, ſi ad veterem diſciplinam & ad ſimplicis recti normam exigatur: ſin ad inſtituta temporum in quibus nunc degitur, & ad hanc hominum fæcem, reperietur dictu magis ſpecioſa, quam uſu conducibilis [*b*]. At enim excuſatior eſt culpa, ſi latebras & ſecretum quærat, quam ſi publica autho-

---

[a] *Lib.3. hiſt.* [b] *Cum contendi nequitum eſt, clam tendenda eſt plaga, ait Paccuvius. Huc ſpectat Lyſandri verbum.* Ὅπυ ἡ λεοντῆ μὴ ἐφικνεῖται, χρὴ τὴν ἀλωπεκῆν προσράπτειν.

authoritate muniatur. Haud equidem id inficiari auſim, ſed cum directo limite ac velut aperto Marte fieri nequit, ut elementa pravi cupidinis eradantur: nonne longe ſit & re mitius, & civili prudentiæ convenientius, ut leges amica vi leniter inflectantur, & quando non poſſunt quod volunt, velint id quod poſſunt? Tot olim hodieque à Regibus promulgatæ ſanctiones, tot graviſſima Senatuſconſulta, quibus omni ope conſilioque certatum eſt, ut fœneratorum improbitas judiciorum laqueis irretiretur: quid aliud effecere quam ut omnibus perſpicuum fieret quibus flagitiis impares ſimus [a]? Qua ex re immane quantum detrimenti capiat & Regia Majeſtas, & ampliſſimi ordinis authoritas. Cato minor, vir alioquin ad omne virtutis exemplum genitus, imprudentiæ accuſatur à pragmaticis hominibus, quod

Virtutis veræ cuſtos, rigiduſque ſatelles,

ſententiam diceret non tanquam in ſentina Romuli, ſed tanquam in πολιτείᾳ Platonis.

Inſani nomen ſapiens ferat, æquus iniqui,
Vltra quam ſatis eſt Virtutem ſi petat ipſam.

Quædam enim virtutes odio ſunt, ait viva virtutum imago Pætus Thraſeas, ſeveritas obſtinata, invictus adverſus gratiam animus. Contra vero non infimam laudem reportavit judicio viri experientis [b] Flaminius, quod ex utilitate communi non tantum ſecundum leges, ſed & ipſis legibus imperare conſueviſſet. Etiam medicus violentibus ægrorum deſideriis obſecundat in loco. Gubernatores cum in magno mari rectum curſum tenere nequeunt, mutant velificationem, & obliquant ſinus in ventum. Quidni ſimiliter liceat moderatori regnorum aut rerum publicarum, cui ſalus populi ſuprema lex eſt, temporibus aſſentiri, & utilia honeſtis admiſcere [c]? Sed occurritur nobis à Theologorum Senatu, qui uno ore fas eſſe negant à recta conſcientia vel latum unguem decedere, nec unquam illiciti quidpiam admitti oportere, ut majus incommo-

 dum

[a] *Periculoſum eſt oſtendere civitati, quanto plures mali ſint. Sen. 1. de Clem.* [b] Οὐ κατὰ τοὺς νόμους μόνον ἄρχειν εἴωθε πρὸς τὸ συμφέρον, ἀλλὰ καὶ τῶν νόμων. *Plut. in ejus vita.* [c] 3. *ad Rom.*

dum ſubterfugiatur, imo ne quidem ut aliquod ſalutare bonum inde conſequatur. Quibus haud illibenter conſentio conſciſcoque, ſi libero ac ſoluto arbitratu liceat utrum malis; ſed ut nunc mores, nunc tempora ſunt, neceſſitas, quæ frangit infirmatque omnem legem, huc etiam rectiſſimas mentes detorquet ut interdum leviter deflectendum habeant ad confinia vitiorum, quo vitiis ingraveſcentibus ſi non mederi, ſaltem moderari poſſint. Hæc declinatio à regia via, ſi lis in foro conſcientiæ juxta formulam divinæ legis dijudicetur, ægre, ſine elogio, miſſionem impetrabit: verum ſi ſententia feratur ἐπιεικῶς κατὰ τὸ ξυμφέρον, ut aſſolet in ejuſmodi negotiis, haud dubie cauſam obtinebit[*a*]. Οὐδεμία γὰρ μηχανὴ τῷ νῦν καθεστῶτι ῥυθμῷ, μὴ οὐκ ἀδικεῖν τοὺς ἄρχοντας ἢν καὶ πάνυ ἀγαθοὶ ἔωσιν. Et ut vafer [*b*] Theſſalus dicere ſolitus erat, neceſſe habet injuſtitiam adhibere in parvis, qui juſtitiam in magnis ſalvam velit. Porro vehementer hallucinantur qui medicinam depravati ſtatus à ſeveris legibus petendam opinantur: cum res doceat, crudioribus remediis delicta verius accendi quam reſtingui, longeque efficacior ſit ad impetrandum quod cupit, indulgentia patientis, quam ad imperandum terror ac minæ, parum firma vincula diuturnitatis.

Natura duci poſtulat ſe, non trahi:
Suaderi amica pace, non cogi malo [c].

Neque enim imperioſæ legum ſanctiones, & acerba judicia bonos ex animo facere poſſunt, ſed vel peccaturis formidinem, vel peccantibus pœnam infligunt. Probitatis autem & ſolidæ virtutis domicilium non eſt in vultu, qui perſæpe mentitur, ſed in pectoris penetrali, quod nec oculis nec legibus pervium uni [*d*] Deo patet. Altius itaque penetrandum eſt, & ut mali labes interius hæret, ita inde accerſenda eſt correctio laborantis, ac prope jam in exitium labentis diſciplinæ. nimirum à fideli fundamento rectæ & inculpatæ educatio-

[a] *Democriti ſententia.* [b] *Iaſon, ut author Plutarchus in Politicis,* ὡς ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ, τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν. [c] *In Iambis noſtris* περὶ ὀρθοπαιδείας. [d] *Deus* καρδιογνώστης. *Tertull. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur.*

cationis, qua fiat ut rudes ac teneræ puerorum mentes, unde ſeminarium reipublicæ exſiſtit, ſtatim & à primoribus unguiculis inſueſcant obſervare virtutem, averſari vitia, non invitamento præmiorum, aut metu coërctionis, ſed amore ſolo rerum honeſtarum, & odio turpitudinis. Hoc ſi fiat, publico fiat bono, nec valde ſcilicet laborandum erit de legibus inter bonos mores, de animadverſionibus inter innocentes. Sed hæc tractatio gravioris operæ eſt, nec præſentis inſtituti. [*a*] Nunc ut rerum ſtatus eſt, cogimur hominum ingenia remediis experiri, & more medicorum venena venenis procurare. Qui enim aliter fiat in corpore tam ægro, tam exulcerato, ac pene depoſitæ ſalutis? Nec gravate veniam dabit huic neceſſario malo cenſura Theologorum. Quibus ex adverſo reponere poſſumus authoritates omni exceptione majores, hauſtas ex ipſorum ſacrariis. Libellum repudii levibus ex cauſis, & ob fribuſcula Iudæis indulſit Deus, non tanquam probaret, ſed ob duritiem cordis, ut interpretatus eſt [*b*] Servator noſter. Præliari die Sabbatho capital erat: ea tempora inciderunt, ut poſtmodo factu neceſſarium foret, quod antea capitis periculo ſancitum erat [*c*]. Loth filias ſuas velut hoſtias offert Sodomitarum libidini, ne ſcelus innominandum perpetrarent adverſus angelos, qui in ejus hoſpitium diverterant [*d*]. Conſimili prorſus exemplo ſenex de montibus Ephraim & filiam virginem, & Levitæ concubinam, Gabaonitis polluendas permiſit, ut infandam vim ab hoſpite temperarent. Nec quiſquam eſt tam inhumanus humanarum rerum arbiter, quin hujuſmodi factis aut aſſentiat, aut ignoſcat [*e*]. Iam cum grave ſit fidem fallere, quis tamen non videt, graviter peccaſſe Iephten, dum & imprudenti voto ſeſe devincit, & impio crudelique ſacrilegio potius quam ſacro conſcientiam exonerat? Quid Paulum Apoſtolum ad teſtimonium citem? qui cum palam edicat, Chriſtum fruſtra mortuum

[a] Οὐ γὰρ πεφύκαμεν αἰδοῖ πειθαρχεῖν, ἀλλὰ φόβῳ, οὐδ᾽ ἀπέχεσθαι τῶν φαύλων διὰ τὸ αἰσχρὸν, ἀλλὰ διὰ τὰς τιμωρίας. [b] *Matth* 19. [c] *in Machab.* [d] 19. *Iud. v.* 23. [e] *In male promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum. Hieronymus.*

eſſe, ſi circumciſioni locus ſit, quique hoc nomine Petrum Iudæis aſſentantem atrociter increpuit: is ipſe tamen infirmitati Iudæorum hoc elargitus eſt, ut Timotheum circumciderit. Tanti refert quo tempore, quibus cauſis, qua fine quæque actio ſuſcipiatur. Quodſi hæc talia heroïcis illis temporibus partim caruerunt vera reprehenſione, partim etiam laudem commeruerunt: quis tandem jure miretur aut ſuccenſeat in hiſce morum ſordibus, hac rerum ſcena, quippiam ex iniquo ſumi quod adverſus ſingulos utilitate publica rependatur? Quod ſi quis forſitan objectet, non exemplis ſed legibus, non præjudiciis ſed rationibus eſſe judicandum, in aliis haud obſtinatius pertendam. ſed in propoſito noſtro natura rei non patitur ut munitioribus præſidiis inſiſtamus. Non enim cauſam defendendam ſumimus cui fas gentium faveat, & naturalis æquitas non refragetur, ſed morbo ſævienti levamen quærimus, cui non aliter humano conſilio ſubveniri poteſt, quam ſi perpeſſione ac tolerantia levioris incommodi gravius periculum propulſetur. At enim, occinet quiſpiam, ſicuti viro forti, ac bono civi nulla injuria tam atrox inferri poteſt, ut patriæ parricidio vindicanda ſit; ita homini Chriſtiano nulla vis unquam adferetur, ut homicidio manus impiare ſuſtineat. Quantillum vero diſtat fœnus ab occidione; niſi quod graſſator aut ſicarius una plerumque plaga rem abſolvit, fœnus autem crebris ac minutis ictibus hominem carpit, &, ut alludam ad immane Tyranni juſſum, ita ferit, ut ſe mori ſentiat? Hanc acrem & amaram declamationem ſic breviter reſolvo. Si exploratum ſit, hæc deliquia radicitus evelli poſſe, non eſt cunctandum; ſin res nullo modo facultatem habitura eſſe videatur, non eſt conandum. Quanquam ſi Iuriſconſultorum regula ſtamus, quæ leges benignius interpretari præcipit ut voluntas earum ſervetur, non adeo diſtricte nec indiſtincte condemnabimus uſuras. Primum enim locus ille [a] Deuteronomii, quo potiſſimum eas interdici vulgo putant, non in rem generatim conceptus eſt, ſed

[a] 23. *cap.* 28. *verſu. Non fænerabis fratri tuo pecuniam aut fruges, aut alias res, ſed extraneo.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

ſed ſpecialiter in perſonam [*a*]. Fratris quidem appellatio porrigi deberet ad univerſos homines, ſaltem ad domeſticos fidei, ſi priſca ſimplicitas in pretio eſſet, & Chriſtianæ charitati ſuus honos exſtaret. ſed quando tantum boni nobis invidet ſiniſteritas hujus ſæculi, neceſſe eſt, anguſtioribus cancellis vim & uſum iſtius verbi determinemus. Fratrem igitur interpretari convenit eum cui vel acceptum ferimus, vel expenſum referre ſtudemus aliquod beneficium, quive nobiſcum neceſſitudine quadam devinctus eſt, ut non ſolum communi lege humanitatis, verum etiam ratione officii velle ejus cauſa debeamus. Cum igitur interdictio certum perſonarum genus excipiat, perpetui juris definitio eſt, cæteros lege non teneri. Sed omnem tergiverſationem tollit antitheſis, quæ mox ſubjicitur. ita enim frater ſub lege prohibitoria continetur, ut excludatur alienus, h. e. qui nobis nec injuria nec beneficio cognitus eſt. Alibi [*b*] proponit idem author in argumentum divini favoris, & præcipuæ felicitatis, Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies. Alibi [*c*] probro imputatur inutili ſervo qui defoderat humi theſaurum, quod non potius eum fœnori collocâſſet. Non ſum neſcius aliovorſum trahi poſſe mentem & ſententiam horum teſtimoniorum: ſed nec decretum eſt mihi rem fædam ſpecioſis nominibus obvolvere, quo fucus fiat imperitis [*d*]. Vltro aſſentior, uſuras adverſari bonis moribus, pugnare cum publica honeſtate, vetari legibus, abhorrere à ſacro Dei verbo: ſatis tamen judicatum eſt ex his quæ hactenus à nobis diſputata ſunt, non eſſe nefas utilitatibus Reipublicæ poſtulantibus aliquid interdum de ſeveritate prohibitionis remittere. Quam enim multa præter jus bonumque vel neceſſitas omni ratione potentior cogit, vel [*e*] *ſuadet utilitas Iuſti prope mater & æqui?* Non injuria ſubvereor, ne, ſi id legibus aut exemplis comprobare ſumam, intemperanter abuti videar otio, & uti in re parum dubia teſtibus non neceſſariis [*f*]. Vſucapio

a] *Intereſt hominis hominem beneficio afficere. l. ſervus. ff. de ſerv, expor.* [b] *Deut.* 28. *c.* 12. *v.* [c] *Luc.* 19. *c.* 23. *v.* [d] *Nocet antiquus rigor & nimia ſeveritas, cui jam pares non ſumus. Tac.* 1. *hiſt.* [e] *Horatii hemiſtichium.* [f] *l.* 1. *ff. de uſucap.*

quæ nolenti, ſaltem ignoranti domino res ſuas adimit, introducta dicitur publico bono. Deductio coloniarum in eundem ſcopum collineat, quo invento ut nihil ad firmandas imperii vires efficacius, ita nihil in ſpeciem crudelius, nihil, ſi nuda fronte rem inſpicias, injuſtius dici aut cogitari potuit. Sic in decumatione, cæca fors ſæpe cædi ſtrenuum & innocentem deſtinat, ſed diſciplinæ vigor & exempli magnitudo decoquit in ſalutem univerſorum quidquid hic viritim aut injuſtitiam habere videtur, aut acerbitatem. Quid enim humanius, quam cum ab univerſo exercitu flagitium admiſſum ſit, efficere ut metus ad omnes, ſupplicium ad paucos perveniat? Lacones malo jure, ſed utili exemplo ſervos Hilotas immanibus poculis urgebant, & cogebant inebriari, deinde flore Liberi perculſos protrahebant in conſpectum ingenuæ juventutis, ut ſpectaculi fœditas eam ab ebrioſitate avocaret. Ad honorificàm oſtraciſmi contumeliam non poterat niſi innocentia & illuſtri aliqua virtute perveniri. Tolle lupanaria de rebus humanis, ſcribit vir ſanctus, & ardebunt omnia libidinibus. Quid loquar de fœdiſſima nundinatione munerum? quid de ſacrilegâ cauponatione beneficiorum? quæ flagitia nullo ſchemate defendi poſſunt, quam ubertate quæſtus & tyrannica vi conſuetudinis? Hæc palam ab omnibus culpantur, & fiunt tamen nec uſquam licentius atque in hoc regno: quæ vero paſſim alibi ſalubriter uſurpantur, ea religioni habemus imitari, & ad uſum traducere. Velut in facti ſpecie, quam proponimus, ecquis ignorat, apud bonam orbis Chriſtiani partem hoc in moribus eſſe poſitum, ut palam & authoritate publica paucis quibuſdam fœnerandi jus ſit, ne quiſque clam & invitis legibus hanc ſibi licentiam aſſumeret? Ea moderatio ſemper probabitur probis, tolerando potius quàm tollendo vetera vitia compeſcere, leni fomento magis quam urendo ſecandove vulnera curare. Nec ſcrupulum injiciet homini in rebus humanis exercito, ſi quid inibi videtur admixtum impuritatis. Non enim aliter hæc ſacra conſtant, quoties ut clavus clavo, ſic malum malo pellitur. Ita ſe res habent in hac miſera mortalitate. ſemper ſalvis legibus ea geri putandum eſt quæ pro publica ſalute fiunt. Et, ut obnuntianti Andromachæ

chæ reſpondet magnanimus Hector, Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Huc accedit, quod in propoſito magis invidia voculæ commovemur, quam genere ipſo delicti? ſiquidem plurima legibus recepta ſunt, ex quibus deteriora ſequuntur omni fœnore licet improbiſſimo. Conſtitutionibus [a] Aureliæ ſancitum eſt adverſus æris confeſſi, æriſque debiti judicatos, ut uſuræ currant à die citationis. Ex hoc jure, quod alioquin & æquiſſima ratione & ſalutari fine fundatur, reprimendis ſcilicet litium ambagibus, & reis ad ſolutionem compellendis, incredibile memoratu eſt quanta labes ſordibus & avaritiæ creditorum aperiatur. Nam ut excerpam pauciſſima de plurimis, qui merces in diem vendunt, augent immodice pretia rerum, & qui mutuo pecunias credunt, ampliorem inſtrumento ſummam inſerunt, & interuſurium modici temporis ad ſortem adjungunt, magnaque mercede pauxillam exſpectationem paciſcuntur. Poſtea vero ſtatim ab interpoſito contractu, quo jure quave injuria reos in jus vocant, ad hoc ut jam tum uſuræ deberi incipiant. Demum, quod caput malitiæ eſt, alieniſſimo tempore mutuum reflagitant, ut ſumptibus exhauriant, & fortunis evertant miſeros debitores. Iam vero capite XLVIII. legis Molineæ quid dici poteſt colore juſtius, re & eventu crudelius? Cumulantur omne genus exſecutiones in unum, ſimul ac pronuntiatum eſt pecuniam deberi. Convolant illico velut ad cadavera vulturii forenſes, pignora diripiuntur in cauſam judicati, bona ſubjiciuntur acerbiſſimæ voci præconis, vivo videnti funus ducitur. ni intra juſtos dies judicatum faxit, in carcerem compingitur, atque illic mœrore & ſqualore contabeſcendum habet, donec aut morte, aut ſolutione liberetur. nam hoc miſerabile beneficium non indiſcriminatim tribui ſolet, ut ceſſione bonorum defungi liceat. Quod ſi metu tantarum calamitatum non audet ſui conveniendi copiam facere, continuo dupli triplive mulcta ſtatuitur in contumaciam abſentis. Hæc ſupplicia ferunt ſæpe nullam ob noxiam, quos aut ſuæ cuique rationes, aut improvida fide jubendi facilitas nexu obligationis adſtrinxerunt: quibus mi-
ſeriis

a] *Artic. 5.*

ſeriis quæ tandem fœneratorum ſævitia comparari poteſt? Poſtremo quid aliud eſt ab intolerabili uſura id quod intereſt, niſi quod iſtud plerumque nec modo nec ratione circumſcribitur? ut veriſſime ſenſerit, & eleganter ſcripſerit Celſus [*a*] adoleſcens, plerumque ſub authoritate juris ſcientiæ perniciosè errari. Nec ſeorſim ab iſta mente judicavit [*b*] Philoſophus, eum excetræ caput adoriri, quiſquis tollere paret quæcunque vel vitia vel incommoda ſolent etiam ex optimis & legibus & inſtitutis proficiſci. Neque tamen audienda eſt capitalis iſta vox, nata in peſtem generis humani, Μηδὲν εἶναι φύσει δίκαιον ἢ αἰσχρὸν ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει, καὶ μηδὲν ἄλογον ὃ ξυμφέρον. Sed cum humana ſors non capiat ab omni laude cumulatam felicitatem, optima conditione cenſeri debent in terris, quæ minimum labis trahunt ex hac mortalium contagione. Ad ſummam, ſapiens legum conditor ita ſe comparabit, ut meditate norit ingenia gentis, articulos temporum, ſæculi mores, imaginem reipublicæ. Vitia quæ inemendabili pravitate callum obduxerunt, ſi funditus exſcindi poſſint, igne ac ferro graſſabitur. ſin corroboratum vetuſtate malum auxilia non admittit, nec ſine gravi periculo labefactari poteſt, curam omnem fato permittet, ac ei qui ſupra nos negotium curat. Plato, vir ingenio & doctrina princeps, hanc cauſam adfert, quamobrem ad rempublicam capeſſendam non acceſſerit, quod cum offendiſſet populum Athenienſem prope jam ſenio delirantem, ſuada corrigi poſſe diffideret, malo cogi, nefas eſſe arbitraretur. Vt enim in ſingulorum hominum ætatibus, ſic in omni populo, in omni ſtatu, ſunt ſui natales, ſunt certi incrementorum gradus, eſt conſiſtens vigor, eſt vietum aliquid & caducum, quod ſenſim & ἡσύχῳ ποδὶ tendit ad fatalem metam. Hæc eſt rerum viciſſitudo, hæc univerſitatis lex, cui quiſquis obſiſtit, nec hilum proficit, & more gigantum bellat cum Diis. Quæ cum ita ſint, ſine contumelia quidem dimitti decet [*c*] Zenonas illos, qui adducta fronte & cenſoria gravitate decernunt, nunquam à recto calle Virtutis atque honoris

a] *L. ſi ſervum. §. ſequitur. de verb. obl.* [b] *Plato.* [c] Φέρειν ἐλαφρῶς ἐπαυχένιον λαβόντα ζυγὸν ἀρήγει, ποτὶ κέντρον δέ τοι λακτιζέμεν τελέθει ὀλισθηρὸς οἶμος. *Pindari gnome.*

noris eſſe divertendum: quibus in umbra & ſchola ſplendide diſſerentibus patienter auſcultabimus: ſed cum in rem præſentem veniendum eſt, non ſemper ſequi licet illud ad laudem directum iter, imo vero non infima pars ſapientiæ eſt, cum inſanientibus furere; dementiæ autem, fruſtra niti rationibus contra publicam inſaniam, nec aliud ſeſe fatigando niſi odium ac periculum quærere. Concludam igitur cum Eprio Marcello, qui ſub exemplo ſuo quemque docet, [a] MEMINISSE TEMPORVM QVIBVS NATVS SIT, QVAM CIVITATIS FORMAM PATRES AVI QVE INSTITVERINT, VLTERIORA MIRARI, PRÆSENTIA SEQVI, BONOS IMPERATORES (addo & MORES) VOTO EXPETERE, QVALESCVNQVE TOLERARE.

a] *Apud Tac. 4. Hiſtor.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 A 32